REGULA BEATISSIMI PATRI NOSTRI AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, ...

Agostiniani, Aurelius santo Augustinus, Hugo : de Sancto Victore

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26 Q
35

C. 57. 6

Digitized by Google

REGVLA

BEATISSIMI PATRIS NOSTRI AVGVSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, Eccleſiæq; Doctoris eximij.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EXPOSITIO VGONIS DE SANCTO VICTORE,

ſuper Regulam beati Patris Noſtri Auguſtini.

CONSTITVTIONES CONGREGATIONIS

Obſeruantiæ Lombardiæ, ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini.

DIFFINITIONES CONGREGATIONIS

eiuſdem.

REPERTORIVM CENSVRARVM, & pœnarum, quæ in Conſtitutionibus taxantur.

Repertorium cenſurarum, & pœnarum, quæ in Diffinitionibus aſſignantur.

MANTVAE, Apud Iacobum Ruffinellum.
M D L X X X V.

EX LICENTIA SVPERIORVM.

LECTORIBVS SAL.

QVIA optimi in Reſpub. Principis eſt, non modò curare qualis Reſpub. ſit, verumetiam proſpicere, qualis futura ſit, iccircò multum R. P. F. Clemens Fera à Liburno, qui ab ineunte ætate, habitũ induerat Auguſtinianæ congregationis Obſeruantiæ Lombardiæ, ac in ipſa congregatione (non multos agens annos) ea conſpectus eſt probitate, vt ei nonnullorum Monaſteriorum fuerit demandata prouincia, quo in munere, ea vſus eſt prudentia, vt ſumma humanitas cum ſumma iuſtitia coniuncta videretur, atque adeò factum eſt, vt indè ſemper in ipſa congregatione, cum ſumma ſui laude, & ipſius congregationis vtilitate, & decore, grauioribus officijs cumulatus extiterit, poſthæc in generalibus comitijs ſuæ congregationis omnium ſuffragijs, & votis ſumma cum omnium lætitia, non ſemel, ſed bis (præ admirando regimine) Vicarius generalis eligitur, quo in munere plurima intelligens ſibi curanda, illud in primis elegit, vndè præſentiæ, & poſteritati conſuleret.

Quod cum multis rationibus ſe poſſe præſtare cognoſceret, illud maximè ratus eſt conſequi poſſe ſancti Patris Noſtri Auguſtini Regula: qua, & multæ religiones, & congregationes moderantur, ac ſimul ſanctæ Conſtitutiones ſuæ congregationis conſeruantur, quibus tum forma multarum reformationum à multis catholicis uiris celebratarum, tum optimi mores Apoſtolorum exemplo, & uita tenentur. Idque cum aſſequi non poſſe conſpiceret niſi denuò Regula, & Conſtitutiones imprimerentur, nulli ſumptui, nulli labori parcens, ſumma adhi-

bita cura, & ſtudio imprimendas curauit. Itá enim à uetuſtate, & carie purgatas, perpetuæ utilitati, ſuæ, & cæteris religionibus conſulens, typis imprimendas, & renouandas tradidit, opus profectò pietatis eximiæ, tum ergà Patrem ipſum Auguſtinum (nè obliuioni detur, tanquàm mortuus à corde) tum ergà religionē ipſam, quæ, ſi quas fortaſsè rugas contraxit; nunc (ut Aquila in priſtinam reuocata iuuentutem) robur, & incrementum accipiet. Pollicitus eſt autem ſe nunquam defuturum ubicunque uſui eſſe intelliget. Valete.

F. V. G.

REGVLA BEATISSIMI PATRIS N. AVGVSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, Eccleſiæque Doctoris eximij.

¶ *De charitate Dei, & proximi.* *Capitulum primum.*

ANte omnia fratres cariſſimi diligatur Deus, deindè proximus, quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data.

¶ *De vnitate cordiū in Deū, & rerū cōitate. Ca. 2.*

HAec igitur ſunt, quæ vt obſeruetis p̄cipimus, in monaſterio conſtituti. Primum propter quòd in vnum eſtis congregati, vt unanimes habitetis in domo, & ſit uobis anima una, & cor unum in Deo. Et nō dicatis aliquid proprium, ſed ſint uobis omnia communia, & diſtribuatur unicuiq; ueſtrum à præpoſito ueſtro, uictus, & tegumentum. Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter ualetis omnes, ſed potius unicuiq;, ſicut cuiq; opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuiq;, ſicut cuique opus erat. Qui aliquid habebant in ſæculo, quandò ingreſſi ſunt monaſterium, libenter uelint illud eſſe commune. Qui autem nō habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt tribuatur, etiam ſi paupertas eorum quandò foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. Tamen non ideò ſe putent eſſe felices, quia inuenerunt, uictum, & tegumentum, quale foris habere non potuerunt.

¶ *De humilitate.* *Cap. 3.*

NEc errigant ceruicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, ſed ſurſum cor ha-

beant,& terrena vana non quærant, nè incipiant monaſteria diuitibus eſſe utilia, non pauperibus, ſi diuites illic humiliantur,& pauperes illic inflantur. Rurſus etiam illi, qui aliquid uidebantur eſſe in ſæculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illam ſanctam ſocietatem, ex paupertate uenerunt, magis autem ſtudeant, non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi communi uitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerint, nec de ſuis diuitijs magis ſuperbiant, quia eas in monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſæculo fruerentur. Alia quippè quæcunq; iniquitas, in malis operibus exercetur ut fiant, ſuperbia uerò, etiam bonis operibus inſidiatur, ut pereant. Et quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cum anima miſera ſuperbior efficitur, diuitias contemnendo, quàm fuerat poſſidendo? Omnes ergò unanimiter, & concorditer uiuite, & honorate in uobis inuicem Deum, cuius templa facti eſtis.

¶ *De orationibus.* *Cap.* 4.

ORATIONIBVS inſtate, horis, & temporibus conſtitutis. In oratorio nemo aliqd agat, niſi ad quod factum eſt, undè, & nomen accepit, ut ſi fortè aliqui etiã præter horas conſtitutas, ſi eis uacat, & orare uoluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint. Pſalmis, & Hymnis cum oratis Deum, hoc uerſetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum, quod autẽ non ita ſcriptum eſt, ut cantetur, non cantetur.

¶ *De ieiunijs, & abſtinentia.* *Cap.* 5.

CARNEM ueſtram domate: ieiunijs, & abſtinentia eſce, & potus, quantum ualitudo permittit. Quandò autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamen extrà horam prandij, aliquid alimentorum ſumat, niſi quum ægrotat. Quum acceditis ad menſam, donec indè ſurgatis, quod uobis ſecundùm conſuetudinem legitur, ſinè

tumultu,

tumultu, & contentionibus audite, nè ſolæ uobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant Dei uerbum.

¶ *De refectione mentis, & corporis.* Cap. 6.

QVI infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine, ſi aliter tractantur in uictu, non debet alijs moleſtum eſſe, nec iniuſtum uideri eis, quos fecit aliqua cõſuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putēt, quia ſumunt, quod nõ ſumunt ipſi, ſed ſibi potius gratulentur, quia ualēt, quod non ualent illi. Et ſi eis, qui uenerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium, aliquid alimentorũ, ueſtimentorum, operimentorumuè datur, quod alijs fortioribus, & ideò fœlicioribus non datur, cogitare debent (quibus non datur) quantum de ſua ſæculari uita illi ad iſtam deſcenderint, quamuis uſque ad aliorum, qui ſunt corpore firmiores frugalitatem, peruenire non potuerint. Nec debent uelle omnes, quod paucos uident amplius, non quia honorantur, ſed quia tollerantur accipere, nè contingat deteſtanda peruerſitas, ut in monaſterio, ubi quãtum poſſunt, fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. Sanè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, nè grauentur: ita, & poſt ægritudinem, ſic tractandi ſunt, ut citius recreentur, etiam ſi de humillima ſæculi paupertate uenerint, tanquàm hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Sed cum uires priſtinas reparauerint, redeant ad fœliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei, tantò amplius decet, quantò minus indigent. Nec cibi eos teneat uoluptas iam uegetatos, quos neceſſitas leuarat infirmos. Illos ſanè exiſtiment ditiores, qui in ſubſtinenda parcitate, fuerint fortiores. Melius eſt enim minus egere, quàm plus habere.

¶ *De habitus, & pudicitiæ modeſtia.* Cap. 7.

NON ſit notabilis habitus ueſter, nec affectetis ueſtibus placere, ſed moribus. Quandò proceditis.

ſimul ambulate, cum ueneritis quò itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris, nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Oculi veſtri, & ſi iaciantur in aliquam fœminarũ, figantur in nullam, neq; enim quandò proceditis, fœminas videre prohibemini, ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle, crimino ſum eſt. Nec ſolo tacito affectu, ſed affectu, & aſpectu quoq; appetitur, & appetit, concupiſcentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuntius. Et cum ſe inuicem ſibimet (etiam tacente lingua) conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis, alterutro delectantur ardore, etiam in tactis ab immũda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculũ, & illius in ſe diligit fixum, ab alijs ſe non videri cum hoc fecerit. Videtur omnino, & à quibus ſe videri non arbitratur. Sed & ſi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo deſuper inſpectore, quem latere nihil poteſt? An ideò putandus eſt non videre, quia tantò videt patientius, quantò ſapientius? Illi ergò vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminæ malè videri. Illius namq; in hac cauſa commendandus eſt timor, vbi ſcriptum eſt. Abhominatio eſt domino, defigens oculum. Quandò ergò ſimul eſtis in eccleſia, & vbicunque fœminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.

¶ *De correctione fraterna.* *Cap.* 8.

ET ſi hanc de qua loquor vobis oculi petulantiam, in aliquo veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete, nè malè cœpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur.

tur.

tur. Si autem poſt admonitionem iterum, vel alio quoq; die idipſum eum facere videritis, iam velut vulneratum ſanandum prodat, quicunque hoc potuerit inuenire. Prius tamen eſt alteri, vel tertio demonſtrãdum, vt duorum, vel trium poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri. Nec vos iudicetis eſſe malèuolos, quandò hoc indicatis. Magis quippè innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus haberet in corpore, quod velit occultari, dum timet ſecari, nonnè crudeliter à te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quantò ergò eum potius debes manifeſtare, nè deterius putreſcat in corde? Sed antequam alijs demonſtretur, per quos conuincendus eſt, ſi negauerit, prius præpoſito debet oſtendi (ſi admonitus neglexerit corrigi) nè fortè poſſit (ſecretius correctus) innoteſcere cæteris. Si autem negauerit, tunc negãti adhibendi ſunt alij, etiam coram omnibus, vt poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci. Conuictus verò, ſecundùm præpoſiti, vel etiam presbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam. Quam ſi ferre recuſauerit, etiam ſi ipſe nõ abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, nè contagione peſtifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, iudicandiſq; peccatis, diligenter, & fideliter obſeruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Quicunq; autem in tantum progreſſus fuerit malum, vt occultè literas ab aliquo, vel quodlibet munus acceperit, ſi hoc vltrò cõfiteatur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem depræhenditur, & conuincitur, ſecundùm arbitrium presbyteri, vel præpoſiti, grauius emendetur.

De

VEstes veſtras in vnum habeatjs, ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas, nè à tinea lædantur. Et ſicut paſcimini ex vno cellario, ſic induamini ex vno veſtiario. Si fieri poteſt, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnuſquiſque quod depoſuerat, an aliud, quod alter habuerat, dum tamen vnicuique prout cuiq; opus eſt, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, & conquæritur aliquis ſe deterius accepiſſe, quàm prius habuerat, & indignum ſe eſſe, quòd nõ ita veſtiatur, vt alius frater veſtitur, hinc vos probate, quantum vobis deſit in illo interiori ſancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen ſi veſtra tolleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod poſueratis, in vnum tamen locum, ſub communibus cuſtodibus, habete quod ponitis. Ita ſanè, vt nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in vnum fiant, maiori ſtudio, ac frequentiori alacritate, quàm ſi vobis ſinguli propria faceretis. Charitas enim de qua ſcriptum eſt, quòd non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus ante ponit. Et ideò, tantò vos amplius proficere noueritis, quantò amplius rem communem, quàm propriam curaueritis, vt in omnibus quibus vtitur tranſitoria neceſſitas, ſupereemineat, quæ permanet charitas. Conſequens ergò eſt, vt etiam cum quis ſuis filijs, aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentibus, in monaſterio conſtitutis, aliquam contulerit veſtẽ, ſiuè quodlibet aliud, inter neceſſaria deputandum, non occultè accipiatur, ſed ſit in poteſtate præpoſiti, vt in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit, prębeatur. Quod ſi aliquis rem ſibi collatam cœlauerit, furti iudicio condemnetur. Indumenta veſtra, ſecundùm arbitrium præpoſiti lauentur, ſiuè à vobis, ſiuè à fulonibus

nè

nè interiores animæ ſordes, contrahat, mundæ veſtis nimius appetitus.

¶ *De cura infirmorum, & imbecillium.* Cap. 10.

LAVACRVM etiam corporis, cum infirmitatis cogit neceſſitas, minimè denegetur. Fiat tamen ſinè murmure, de conſilio medicinæ, ita vt etiam ſi nolit, iubente præpoſito, faciat quod faciendum eſt pro ſalute. Si autē velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquādò enim etiam ſi noceat prodeſſe creditur, quod delectat. Deniquè ſi latens eſt dolor in corpore, famulo Dei dicenti, ꝙ ſibi doleat, ſinè dubitatione credatur. Sed tamen vtrū ſanando, illi dolori, quod delectat expediat, ſi non eſt certū, medicus cōſulatur. Nec eant ad balnea, ſiue quocunq; ire neceſſe fuerit, minus, q̄ duo, vel tres. Et ille qui habet aliquò eundi neceſſitatem, cum quibus præpoſitus iuſſerit, ire debebit. Aegrotantium cura, ſiuè poſt ęgritudinem reficiendorū, ſiuè aliqua imbecillitate, ſiuè etiā febribus laborantiū, vni alicui debet iniungi, vt ipſe de cellario petat, quod cuiq; opus eſſe proſpexerit.

¶ *De adminiſtratione ciborum, & librorum.* Cap. 11.

SIVE autem, qui cellario, ſiuè qui veſtibus, ſiuè qui codicibus præponuntur, ſinè murmure ſeruiant fratribus ſuis. Codices certa hora ſingulis diebus petātur. Extra horam, qui petierit, nō accipiat. Veſtimenta verò, & calciamenta, quandò fuerint indigentibus neceſſaria, dare nō differant, ſub quorū cuſtodia ſunt quę poſcūtur.

¶ *De venia petenda, & iniurijs remittendis.* Cap. 12.

LITES autem nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, nè ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Quicunq; cōuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, aliquem læſerit, meminerit, ſatisfactione, quàm citius curare, quod fecit, & ille qui læſus eſt, ſinè diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem ſibi debita relaxare

debe-

debebunt, propter orationes veſtras, quas vtiquè quantò crebriores habetis, tantò ſanctioreſ habere debetis. Melior eſt enim, qui quamuis ira ſæpè tentetur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quàm qui tardius iraſcitur, & ad veniam petendam, tardius inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiam ſi indè non proijciatur. Proindè vobis à uerbis durioribus parcite. Quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, undè facta ſunt uulnera. Quandò autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coercendis dicere uos dura uerba compellit, etiam ſi ipſi uos modum exceſſiſſe ſentitis, non à uobis exigitur, ut à uobis ſubditis ueniam poſtuletis, nè apud eos, quos oportet eſſe ſubiectos, dum nimium ſeruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda eſt uenia ab omnium domino, qui nouit eos, quos plus iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Non autem carnalis, ſed ſpiritualis, inter uos debet eſſe dilectio.

¶ *De obedientia.* *Cap.13.*

PRAEPOSITO tanquàm patri obediatur, multò magis presbytero, qui omnium ueſtrum curam gerit.

¶ *De officio prælati.* *Cap.14.*

VT ergò cuncta iſta ſeruentur, & ſi quid ſeruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, ſed ut emendandum, corrigendumque curetur, ad præpoſitum præcipuè pertinebit, ut ad presbyterum cui eſt apud uos maior auctoritas referat, quod modum, uel uires eius excedit. Ipſe uerò, qui uobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiēte felicem. Honore coram uobis, prælatus ſit uobis, timore corā Deo ſubſtratus ſit pedibus ueſtris. Circa omnes ſeipſum bonorum

rum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Diſciplinam libens habeat, metuendus impo nat. Et quamuis utrunque ſit neceſſarium, tamen plus à uobis amari appetat, quàm timeri, ſemper cogitans, Deo ſe pro uobis redditurum eſſe rationem. Vndè uos magis obediendo, non ſolùm ueſtri, ſed etiam ipſius miſeremini, qui inter uos, quantò in loco ſuperiori, tantò in periculo maiori uerſatur. Donet dominus, ut obſeruetis hæc omnia, tanquàm ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes, non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti.

¶ *De iugi lectione Regulæ.* *Cap. 15.*

VT autem in hoc libello, tanquàm in ſpeculo poſſitis inſpicere, nè per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana uobis legatur. Et vbi uos inueneritis ea quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias domino bonorum omnium largitori. Vbi autem ſibi quicunque ueſtrum uiderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro, orans ut ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

Explicit Regula B. P. N. Auguſtini.

EXPOSITIO VGONIS DE SANCTO VICTORE, SVPER REGVLAM B. P. N. AVGVSTINI HIPPONEN-ſis Epiſcopi, Eccleſiæq; Do-ctoris eximij.

¶ *De charitate Dei, & proximi.*

ANTE oīa fratres cariſſimi diligatur Deus, deindè proximus, q̄a iſta præcepta ſunt principaliter nobis data. Expoſitio.

HAEC pręcepta, quę ſubſcripta ſunt ideò Regula appellantur, quia videlicet in eis nobis rectè viuendi norma exprimitur. Regula autem dicitur, eo quòd rectè regat, vel doceat. Et quod nos dicimus Regulam, Gręci Canon appellant. Vndè etiam Græco nomine Canonici, ideſt, Regulares appellati ſunt, hi qui in monaſterijs conſtituti, iuxta regularia præcepta ſanctorum patrum, canonicè, atque apoſtolicè viuunt. Quibus dicitur.

Hæc ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus, in monaſterio conſtituti. Expoſitio.

AD hoc diuina præcepta leguntur, quatenus lecta intelligantur, & impleantur. Metuenda eſt enim illa ſententia qua dicitur. Seruus, qui ſcit volũtatem domini ſui, & non facit, plagis vapulabit multis. Hinc Paulus ait. Non enim auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. Audiamus ergò ſacra præcepta pij domini, & memores ſimus mandatorum ipſius ad faciendum ea. Quia ſicut dicit beatus Iacobus. Si quis in lege perfectè perſpexerit libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. Et dñs in euangelio. Beati, qui audiunt verbum Dei,

Dei, & cuſtodiunt illud. Igitur, quæ præcipiuntur nobis in monaſterio conſtitutis, humiliter attēdamus. Regula.

¶ *De vnitate cordium in Deum.*

Primum propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo. Expoſitio.

PRIMA nobis admonitio fit de vnitate, & concordia, & tali concordia, quæ in Deo ſit. Nam cōcordia ad faciendum peccatum, mala eſt. Concordia verò ad faciendum bonum, ad ſectandam iuſtitiam, & ſeruiendum Deo, bona eſt. Hoc eſt (propter quòd in vnū ſumus congregati) ſcilicet, vt in ſeruitio diuino vnum ſpiritum, & unum animum omnes habeamus. Et ideò præcipit ut unanimes habitemus in domo, & ſit nobis anima una, & cor unum in Deo. Oportet enim, ſi in unum congregati ſumus corporaliter, ut ſimul habitemus ſpiritualiter. Non enim prodeſt, ſi nos continet una domus, & ſeparat diuerſa uoluntas. Plus enim attendit Deus unitatem animi, quàm loci. Ecce in una domo ſumus plures homines, diuerſi mores, diuerſa corda, diuerſæ animæ. Hæc omnia debet coniungere in unum, una intentio, & unus amor in Deum. Debemus ergò in hoc eſſe unius animi, & unius uoluntatis, ut ſeruiamus Deo, & ut diligamus Deum ex toto corde. Quòd ſic haberi poteſt, ſi frater cū uenit ad monaſterium, incipit ſe ſpoliare propria uoluntate, atque illum imitari, qui ait. Non ueni facere uoluntatem meam. Et iterum. Pater non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu. Hoc eſt enim, quod maximè adducit cōcordiam, ſi quiſque non ſuam, ſed alterius uoluntatem facere ſtudeat in bono. Et hoc eſt magnę humilitatis indicium. Indè generatur obedientia, creſcit charitas, & pax, atq; iuſtitia, & cæteræ uirtutes. Quod ſi ego uolo facere uoluntatem meam, & iſtæ ſuam, & illæ ſuam fiunt diuiſiones, oriuntur lites, iræ quoque, & rixæ, quæ ſunt opera carnis. Et (ſicut ait Apoſtolus) qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Sunt quidam in congregatione, obſtinati

in

in ſuo ſenſu, ſapientes in oculis ſuis, nam quod in animo cóceperint, hoc quaſi ex ratione defendunt, nec ſe alijs, ſed alios ſibi applicare contendunt. Et ſi uiderint ſibi nõ obtemperari, ſtatim commouentur, & alios perturbant. Tales ſolent eſſe rebelles mandatis ſeniorum, plurimũquè in eis regnat paſſio inobedientiæ, & impatientiæ. Iſti non ſunt idonei ad concordiam. Nam (iuxta Apoſtoli uocem) euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratũ eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Magna quippè obſcuritas cordis eſt ſuperbia, & ualdè ſtulta ſapientia eſt, alijs ſe uelle præferre. Quò contra idem Apoſtolus ait. Si quis uidetur inter uos ſapiens eſſe, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens, & ſecũdùm Deum, magna ſapientia eſt, omnibus ſe iudicare inferiorem. Indè ſcriptum eſt. Quãtò maior es, humilia te in omnibus. Hinc dominus diſcipulos ſuos, inter quos cõtentio erat, quis eorum uideretur eſſe maior, ſtatim ad humilitatis concordiam reuocat dicens. Qui maior eſt ueſtrum, erit ueſter ſeruus. Et ipſe filius hominis, nõ uenit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare redemptionem pro multis. Ergò unanimes habitemus in domo. Bonum eſt enim, & iocundum, habitare fratres in unum. Nec tam placent ei noſtra ieiunia, noſtræ orationes, quàm cõcordia. Ideò dicit in euangelio. Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens, offeres munus tuum. Ex quibus uerbis patet, quià qui concordiam non habet, omnipotenti Deo ſacrificium offerre nõ ualet. Penſare ergò debemus, quanta ſit apud Deum concordię uirtus, ſinè qua non placent ipſa ſacrificia, quibus delentur peccata. Et ſciendum eſt, quia cum ad conuerſionem uenimus, contra diabolum certamen aſſumimus. Nihil eſt autẽ, quod ipſe tantum timeat, quantum charitatis unitatem. Nam ſi diſtribuimus totũ quod habemus propter Deum, hoc diabolus nõ timet, quia ipſe nihil poſſidet. Si ieiunamus, hoc ipſe non metuit, quia cibum nõ ſumit. Si uigilamus,

indè

indè non terretur,quia ipſe ſomno nõ vtitur.Sed ſi charitate coniungimur, indè vehementer expaueſcit, quia hoc tenemus in terra,quod ipſe in cœlo ſeruare contempſit.Hinc eſt,quòd ſancta eccleſia terribilis eſſe vt caſtrorum acies ordinata deſcribitur, quia ſicut hoſtes timent, quando aciem caſtrorum benè ordinatam, & coniunctã ad bellum vident,ita nimirũ diabolus expaueſcit,quando ſpirituales viros, virtutum armis accinctos in vnitate concordiæ viuere conſpicit,victuſq; vehementer dolet, cum eos per diſcordiam diuidere, & penetrare non valet.Hinc de domino ſcriptum eſt.Factus eſt in pace locus eius.Ibi cõfregit potentias,arcum,ſcutum,gladium, & bellum.Ex quibus verbis patet, quia omnia diabolica arma frangit concordia. Regula.

Et ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo. Expoſitio.

HAE ſunt primitiæ ſpiritus, quas ex primordio noſtræ conuerſionis offerre omnipotenti Deo debemus,ſicut ipſa ſapientia præcipit dicens. Fili da mihi cor tuum,prius enim corde,& volũtate trahimur ad Deum, ergò ſi corpore ſeparamur à ſæculo: corde,& anima iungamur Deo, vt poſſimus veraciter dicere. Mihi autem adhærere Deo,bonum eſt. Nam qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo. Adhæreamus ergò ei vt ſimus fortes per ipſum,vt ſimus vnum in ipſo, & beati cum ipſo dicamus ei.Adhæſit anima mea poſt te. Charitas ſeparat nos à mundo,& ipſa nos coniungit Deo. Sic erit nobis anima vna, & cor vnum in Deo, ſi ex toto corde, & ex tota anima diligamus Deũ.Deus enim charitas eſt,& qui manet in charitate,in Deo manet,& Deus in eo.Et quia charitas non quærit quæ ſua ſunt, rectè ſubiungit. Regula.

¶ *De rerum communitate.*

Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia. Expoſitio.

NON enim debemus aliquid habere proprium, aut quicquam dicere meum, ſed noſtrã, vt dicatur, noſtra capa, noſtra tunica, noſtra domus, noſtra cauſa, & in cæteris ſimiliter. Omnia enim in communi debemus habere, & omnia communi nomine appellare. Sed in hoc penſandum eſt, quanta differẽtia ſit iter carnales fratres, & ſpirituales. Nam illi, quod commune eſt, diuidunt; iſti, quod diuiſum erat, in communi ponunt. Ibi quiſq; quod ſuum eſt quærit. Iſti, non quæ ſua ſunt quærunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. Plus ergò valet iſta propinquitas, quàm illa, quia illa deficit, iſta creſcit. Illa habet diuiſionem, iſta vnitatem. Illa tranſit cum ſæculo, iſta permanet cum futuro. Ad hoc enim ſimul modo in iſta domo viuimus, vt poſtmodum in cœleſti regno maneamus. Filij Dei ſumus (ait Apoſtulus) ſed nundum apparuit, quid erimus. Scimus autem, ꝙ cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã videbimus eum, ſiauti eſt. Et iterũ. Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus: ergò nõ debemus habere ꝓpria, ſed ſint nobis omnia cõmunia. Partes ſibi faciunt homines in hoc ſæculo. Alius argentum, & aurum, alij domos, & familias, alius nomen grande, potentiam, & gloriam. Iſte hoc, alius aliud: diuerſi diuerſo modo, pars verò piorũ, eſt ipſe Deus. Et nos ſi volumus habere talem hæreditatem, vt eſt dominus, tales nos oportet exhibere, vt digni ſimus eum poſſidere. Ergò, ſi volumus in hęreditatem poſſidere Deum, nihil debemus habere extra Deum. Nam nimis eſt auarus, cui non ſufficit Deus, ꝙ ſi quippiam aliud quærimus: verbi gratia, aurum, & argentum, poſſeſſiones, cum iſtis partibus, pars fieri dominus, dedignatur. Verba ſunt beati Hiero. Ego (inquit) non accipio hæreditatem inter cæteras tribus, ſed quaſi ſacerdos, & læuita, viuo de decimis, & altari ſeruiens: altaris oblatione ſuſtentor, habens victum, & veſtitum, his contentus ero. Beati enim pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Et quia quã-

diu

diu hic viuimus, corporali neceſſitate indigemus, rectè ſubiungitur. Regula.

Et diſtribuatur vnicuiq; veſtrum à præpoſito veſtro, victus, & tegumentum. Expoſitio.

SIc enim dominus voluit ordinari eccleſias ſuas, vt alij vacarent ſpiritualibus, alij eis temporalia miniſtrarent. Et ideò alios voluit eſſe præpoſitos, alios ſubditos. Præpoſitorum officium eſt, ſubditis corporalia miniſtrare. Subditorum miniſterium eſt, ſpiritualibus ſtudijs inſiſtere, lectioni, orationi, cōtemplationi vacare, in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, cœleſti domino deſeruire. Tantò ergò opus eſt, vt circa ſe ſolicitius uiuant, quantò eos aliena cura non implicat. Conſtitutum eſt à domino, ut qui altari ſeruiunt, de altari uiuant: dignus eſt operarius (ſicut ipſe ait) mercede ſua. Et ideò ſi uiuimus de annona Chriſti, & iuſtum eſt, ut laboremus in ſeruitio Chriſti, & tunc dignè mercedem accipimus, ſi prius boni operarij fuerimus. Dicit enim apoſtolus Paulus. Qui non uult operari, non manducet. Quòd ſi non laboramus, & manducamus, tantò maioris criminis efficimur rei, quantò Dei beneficia ſuſcipimus indigni. Oportet ergò, ut ſeruiamus ei à quo paſcimur, ſi ſine periculo animæ, uolumus ſumere, ꝙ nobis diſtribuitur, & tantò plus debemus in eis eſſe ſoliciti, quātò ea percipimus ſine magno labore. Nam quid mirum, ſi hi qui temporalibus occupantur, minus ſtudioſè, & religioſè uiuunt, ſi frequenter in cogitationibus, & ſermonibus, atque actionibus ſuis, offendunt? Vſus enim ſæculi, hominem ad peccatū, etiam quandoque inuitum trahit. Hi uerò quibus, & cura mundi, & occaſio peccandi deeſt, quantò minus religioſè uiuunt, tantò amplius ſupernum iudicem offendunt, nec ſine graui periculo animæ (& in minimis negligentijs) offendunt. Penſemus ergò, ad quid nobis uictus, & tegumentum tribuitur, ut ſit totum deſiderium noſtrum, primum quærere regnum Dei, & iuſtitiam eius,

 pro-

propter quod hæc omnia adijciuntur nobis. Qualiter autem diſtribuendum ſit oſtenditur, cum ſubinfertur. Regula.

Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potius vnicuiq;, ſicut cuiq; opus fuerit.

Et hoc auctoritate apoſtolica roborat, dicens.

Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuiq;, ſicut cuique opus erat. Expoſitio.

HOc non eſt ita intelligendum, vt vnicuique quod opus erat, ſic abundanter diſtribueretur, ꝙ non haberent indigentiam. Cum enim ſcriptum ſit, ꝙ inter eos nullus egens erat. Scriptum etiam legimus de ipſis apoſtolis, ꝙ ſeruiebant Deo, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate. Ex quibus verbis colligendum eſt, ꝙ multi corpore indigent, nõ animo. Sed qui ſemetipſos abnegãt propter Chriſtum, animi virtute ipſam ſuperant naturam. Dei namq; dilectio, quæ fortis eſt vt mors, non ſolùm illicita deſideria, verumetiam ipſos corporales, & naturales extinguit affectus. In primitiua quippè eccleſia, tanta erat gratiæ ſpiritualis abundantia, vt non ſolùm modico contenti eſſent, ſed hoc ipſum quod nihil habebant, pro ſummis delicijs deputarent. Vnde Apoſtolus ait. Nihil habentes, & omnia poſſidentes. Hinc etiàm quidam vir ſanctus ait. Sufficiebat nobis paupertas noſtra, vt diuitiæ computarẽtur. Item Apoſtolus. Magnus (inquit) quæſtus eſt, pietas cum ſufficientia, habentes inquit victum, & veſtitum, his contenti ſimus. In huiuſmodi ergò non debemus attendere voluntatem carnis, ſed valitudinem naturæ. Plus enim appetit carnalis voluptas, quàm neceſſitas. Quamobrem, in eo quod dicitur. (Quod vnicuique quod opus eſt tribuatur) iſte modus ſeruandus eſt, quatenus ſic nutriatur caro, vt ſeruiat. Et iterum ſic reprimatur, vt nõ ſuperbiat. Sic ſeruetur neceſſitas naturæ, vt abſcindatur ſuperfluitas concupiſcentiæ. Regula.

Qui

Qui autem aliquid habebant in ſeculo,quãdo ingreſſi ſunt monaſterium libenter velint illud eſſe commune. Expoſitio.

HOc fecerunt primitiuæ eccleſiæ fratres. Dignum enim eis videbatur, vt qui communem habebant gratiam,communem haberent,& ſubſtantiam.Et quibus vnus erat ſpiritus,vnus eſſet,& ſumptus.Benè autem additum eſt,libenter, quia hilarem datorem, diligit Deus. Libenter debemus terrena dare, vt poſſimus cęleſtia cõperare. Regnum enim cœlorum,tantum valet,quantum habes.Nil vilius,cum emitur.Nihil carius,cum poſſidetur.Duo ſunt quæ relinqui oportet propter Deum,facultatem,ſcilicet poſſidendi,& voluntatem habendi. Hinc eſt quod dñs ait in euangelio. Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet,non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et iterum.Qui vult venire poſt me,abneget ſemetipſum.Illud pertinet ad ſubſtantiã,hoc ad voluntatẽ.Non enim ſufficit exteriorem relinquere ſubſtantiam,niſi interiorẽ abſcindamus concupiſcentiam.Vnde,& ſubditur. Regula.

Qui autem non habebant,non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt. Expoſitio.

ETiam illi, qui nihil habebant foris, habent intus, qnod relinquere poſſunt propter Deũ, ſcilicet voluntatem habendi.Vnde ſcriptum eſt.Non concupiſces. Plus enim attendit Deus affectũ,quàm cenſum.Hinc per ſapientem dicitur.Fili da mihi cor tuum. Quod fieri non poteſt,niſi prius carnalis appetitus reſecetur.Primum ergò iubemur habita deſerere: deindè terrena non quęrere,vt poſtea liberius ad cœleſtia poſſimus anelare. Et ne videretur pauperibus ſæculi,qui conuertuntur, neceſſaria non debere miniſtrari,quia nihil in monaſterio quærere præcipiuntur,ſubiectum eſt. Regula.

Sed tamẽ eorum infirmitati, quod opus eſt tribuatur, etiam ſi paupertas eorum quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterat inuenire. Expoſitio.

SIve enim diuites ſint,ſiue pauperes,ſiue nobiles,ſiue ignobiles, quicunq; accedunt ad ſeruitium Chriſti,iuſtum eſt,vt viuant de annona Chriſti. Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Regula.

Tamen non ideò putent ſe eſſe fœlices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris habere non potuerunt. Expoſitio.

MVlti enim ad conuerſionem veniunt, non tantum propter animę ſalutem, quàm propter corporis neceſſitatem,qui non Deum colunt,ſed ventrem ſuũ: de quibus ait Apoſtolus. Quorum Deus venter eſt.Talibus dominus dicit in euangelio. Amen dico vobis,quæritis me non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus meis.Horum talium tota eſt intentio, atq; fœlicitas, vt benè paſcantur, benè veſtiantur, & benè ſit eis temporaliter. Et quia terrena appetunt, cœleſtibus priuantur.Receperunt enim(ſicut dñs ait)mercedem ſuam. Vndè ſummopere cauendum eſt,nè temporalibus adhæreamus bonis.Ideò Pſal.nos admonet dicens. Diuitiæ ſi affluant,nolite cor apponere. Terrena quidem nobis in vſu eſſe debent,cœleſtia autem in deſiderio. Eſt enim q̃dam admirabilis,& magna multitudo dulcedinis Dei:de qua dictum eſt. Quia oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit,q̃ præparauit Deus diligentibus ſe. Vnde ſcriptũ eſt. Satiabor cũ apparuerit gloria tua.Illa ergo ſatietas,debet eſſe noſtra fœlicitas.Regula.

¶ *De humilitate.*

Nec errigant ceruicem,quia ſociantur eis,ad quos foris accedere non audebant, ſed ſurſum cor habeãt, & terrena vana non quærant, nè incipiant monaſteria diuitibus eſſe vtilia, non pauperibus, ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Expoſitio.

CErvicem errigere ſignum ſuperbię eſt.Si ſuperbis angelis non fuit vtile cœlum, conſtat, quia ſuperbis

perbis hominibus,non erit vtile monaſterium. Et ſi ſanctus ſit locus:ſi ſanctus ſit habitus: ſi ſancta opera videantur,totum ex vitio ſuperbiæ inutile habebitur. Superbia enim caſum habet. Ideò ſanctus Dauid orat ad dominũ, vt non veniat ei pes ſuperbiæ,quia ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem,expulſi ſunt,nec potuerunt ſtare. Quod contra vtilia ſunt humilibus monaſteria,ipſi enim ſunt docibiles Dei,ſicut ſcriptum eſt.Docebit mites vias ſuas.Item,qui emittit fontes in conuallibus, ideſt gratiã ſuam præſtat humilibus. Ipſi quidem bona, quæ faciunt emittunt,quia cuſtodem virtutum humilitatem non deſerunt.Quia(iuxta euangelicum præceptum)recumbunt in nouiſſimo loco.Et (ſecundùm prophetã) eligunt abiecti eſſe in domo domini. Ideò ab ipſo merentur exaltari ſicut ſcriptum eſt. Omnis,qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Et iterum. Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Regula.

Rurſus,etiam illi,qui aliquid videbantur eſſe in ſæculo,non habeant faſtidio fratres ſuos,qui ad illã ſanctam ſocietatem,ex paupertate venerũt.Magis autem ſtudeant,non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperũ fratrũ ſocietate gloriari. Expoſitio.

SVMMOPERE cauere debent fratres,qui ad ſanctam ſocietatem, & communem vitam venerunt, vt non habeant alter alterum faſtidio,quamuis eo ditior fuerit, ſiue nobilior,ſiue ſapientior. Quoniam (ſicut dicit Apoſtolus)infirma mundi eligit Deus,& ignobilia,& contemptibilia, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius, ſcilicet neque potens in potentia ſua,neq; ſapiens in ſapientia ſua,neq; diues in diuitijs ſuis. Non enim eſt perſonarum acceptio,apud Deum.Nam idem dñs omnium, diues in omnes,qui inuocant eum.Benè autẽ non de dignitate diuitum parentũ,ſed de ſocietate pauperum fratrum præcipimur gloriari, quoniam ipſe, qui diues eſt in gloria ſua, pauper factus eſt pro nobis. Nõ diuitibus,ſed

pauperibus dignatus eſt ſociari, vt & nos pauperes ſimus propter ipſum, quoniam pauperibus promiſſum eſt regnum cœlorum. Gloriari quidem de diuitijs, pertinet ad vanitatem mundi: de paupertate verò gloriari, pertinet ad beatitudinem. Regula.

Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerint, nec de ſuis diuitijs magis ſuperbiant, quia eas in monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſæculo fruerentur. Expoſitio.

EX præcedenti ſententia, & ea quæ ſequitur, nobis duo genera ſuperbiæ deſignantur. Vnum carnale, aliud ſpirituale. Nam pauperes faſtidire, & de nobilitate gloriari, ad carnalem ſuperbiam pertinet, quæ inter homines ſæculares frequenter ſolet euenire. De operibus miſericordiæ ſe extollere, ſuperbia ſpiritualis eſt, quæ ſolet etiam regulares corrumpere. Magis autem timẽda eſt ſuperbia ſpiritualis, quàm carnalis, quia ſe extollere de bono opere, aut de virtute, ab alto cadere eſt. Et quanto altior eſt aſcenſus, tanto periculoſior eſt caſus. Dominus dicit in euãgelio. Cum facis elemoſinam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua: vt ſit elemoſina tua in abſcõdito, & ille qui videt in abſcondito, reddet tibi. Per dextram, recta operatio: per ſiniſtram, fauor mundi, atq; elatio deſignatur. Ex his verbis admonemur, vt recta, quę agimus, abſcondere ab elatione ſtudeamus, alioquin mercedem non habebimus apud patrẽ noſtrũ. Deindè oſtendit quantum ſit vitium ſuperbiæ, cum ſubiungit. Regula.

Alia quippè quæcunque iniquitas, in malis operibus exercetur, vt fiant, ſuperbia verò, etiam bonis operibus inſidiatur vt pereant. Expoſitio.

EX hoc apperet, quia cæteris vitijs maior eſt ſuperbia: vitia enim virtutes exterminant, & humanam mentem. Superbia Deo, & hominibus odibilis eſt, de qua ſcriptum eſt. Initium omnis peccati ſuperbia. Prima eſt in peccando, vltima remanet in cõflictu. Nam quum ſeruus

uus Dei cætera vitia ſuperauerit,& iam ad virtutum alta conſcenderit, adhuc habet pugnam contra ſuperbiam, quam niſi expugnauerit,in cæteris fruſtra laborauit. Cũ ergò foris bona agimus, intus cor ab elatione cuſtodiamus,quia nulla Deo placet cum ſuperbia operatio, vnde ſcriptura nos admonet dicens. Omni cuſtodia ſerua cor tuum,quoniam ex ipſo vita procedit. Regula.

Et quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus,& pauperem fieri, cũ anima miſera ſuperbior efficitur, diuitias contẽnendo, q̃ fuerat poſſidẽdo? Expoſitio.

NON prodeſt nobis noſtra relinquere,niſi relinquamus,& nos. Nõ enim dominus ait. Beati pauperes rebus,ſed beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorũ eſt regnum cœlorum. De contemptu rerum,quiſq; debet eſſe humilior,nòn ſuperbior,& melius eſſet eas in ſæculo retinere,quàm ſic relinquere,vt indè in monaſterio ſuperbiret.Sicut ergò illa anima eſt beata,quæ ſua propter dominum dimittit,vt humilietur, ita illa eſt miſera, quæ indè extollitur.Infœlix profectò eſt,qui per iter virtutum tendit ad vitium.Et vnde præmium habere debuit,indè tormentum incurrit. Omnis quippè ſuperbus, tantò in imo eſt, quantò in altum ſe erigit, tantoq; profundius labitur,quantò excelſius eleuatur.Reſecatis quibuſdam vitijs, ad vnanimitatem redit, quam primo commendauit dicens. Regula.

Omnes ergò vnanimiter,& concorditer viuite,& honorate in vobis inuicem Deum, cuius templa facti eſtis. Expoſitio.

VNANIMITER viuimus, unum ſi in Deo animum habeamus,quemadmodum primitiua eccleſia, cui erat cor unum,& anima una. Quod ait,unanimiter,pertinet ad uoluntatem.Quod uerò ſubdit, concorditer,pertinet ad bonos mores. Hic eſt rectus ordo uiuendi, primum, ut ſit uoluntas una, deindè concors uita. Frater, qui uult concorditer uiuere, prius debet prauos mores deponere,

deponere, nè ſit peruerſus, inordinatus, indiſciplinatus, nè anxietate ſua cæteros præmat: deinde ita debet librare actus ſuos, & totam vitam ſuam, vt concordare poſſit ſecundùm Deum, cum quibus viuit. Sunt ergo nonnulli, qui poſtquàm ſæculum relinquerunt proprias voluntates ſequi volunt. Et rurſus, ſunt plerique, qui in ſuis actibus appetunt ſingulares apparere. Ideò dictum eſt. Omnes ergò vnanimiter, & concorditer viuite, & honorate vobis Deum inuicem. Deum inuicem honoramus, ſi nos inuicem propter ipſum diligamus, ſi præcepta eius ſolicitè cuſtodimus, & efficimur ſanctum templum eius, per inhabitationem ſpiritus eius in nobis. Noſtrum eſt Deũ honorare, per bonam vitam, Dei eſt nos inhabitare, & illuſtrare, per gratiam. Regula.

Nec extollantur, ſi cõmuni vitæ aliquid de ſuis facultatibus cõtulerint, &c. vſq; : fruerentur. Expoſitio.

MELIVS eſt res ſuas in ſæculo tenere, quàm eas ita in monaſterio diſtribuere, vt velint ſe indè extollere. Nam ſi extolluntur, deijciuntur. Quiſquis enim in eo quod benè agit intumeſcit, eo ipſo tramite quo proficit cadit: bona quippè actio cum elatione, nõ eleuat, ſed grauat. Beata eſt ergò illa anima, quæ poteſt dicere cum propheta. Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Fœlix planè eſt, qui non habet occultam ſuperbiam in corde, neque apertam in corpore, nec in vultu, nec in habitu, neque in ſermone, neque in opere, neque in cæteris motibus ſuis. Et ſi non ambulat in magnis, ideſt ſi ſe non reputat inter magnos, ꝙ nobilis fuerit, aut potens, aut ꝙ diuitias ſuas communi vitæ contulerit, aut ꝙ in aliquo officio ſit vtilis. Et ſi non ambulat in mirabilibus ſuper ſe, vt de religione, & ſanctitate deſuper à Deo ſibi collata non velit apparere, tanquam admirabilis, atq; laudabilis. Raròtamen inueniuntur, qui ex his aliquam commotionem non habeant. Vt autem

iſta omnia ſuperbiæ genera poſſit ſeruus Dei ſuperare, ſemper de ſe debet humiliter ſentire,& nõ exaltare animam ſuam,ſed in humilitate reprimere:iuxta quod ſcriptum eſt. Quantò maior es, tãtò humilia te in omnibus. Sed valde timẽda ſunt verba,quæ ſequuntur. Alia enim quæcunque iniquitas &c.

Auaritia enim non exercetur, niſi in malis operibus. Luxuria non exercetur,niſi in malis operibus: ſimiliter, & cætera vitia, ſola ſuperbia, etiam bonis operibus inſidiatur,vt pereãt. Ideò phariſæus bona ſua perdidit,quia ſe egiſſe iactanter protulit. Auguſt. Sunt quidam qui de contemptu vanæ gloriæ,vanius gloriãtur. Similiter ſunt plerique,qui de contemptu diuitiarum, vanius extolluntur: de quibus ſubiungitur. Regula.

Et quid prodeſt diſpergẽdo dare pauperibus, & pauperem fieri, cũ anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contẽnendo,q̃ fuerat poſſidendo? Expoſitio.

AC ſi apertè diceret. Quid prodeſt paupertas, cum ſuperbia? Melior eſt diues humilis,quàm ſuperbus pauper. Melior eſt peccator humilis,q̃ iuſtus elatus. Debet ergò in omnibus eſſe ſeruus Dei prouidus,& circunſpectus,primum nè mala agat,deinde nè bona negligat, poſtmodum,nè in bonis,quæ facit,intumeſcat,quia tunc ſunt veraciter bona,quæ agimus, ſi ea ſemper in humilitate cuſtodimus. Et tunc veraciter ſumus pauperes Chriſti. Et beati pauperes ſpiritu,quoniam ipſorum eſt regnũ cœlorum. Vnde apertè ſubiungitur. Regula.

Omnes ergò vnanimiter viuite, & honorate in vobis inuicem Deum,cuius templa facti eſtis. Expoſitio.

PAVPERTAS quippè,& humilitas generant charitatem. Charitas verò vnitatem nutrit,vnitas verò, & concordia,efficiunt nos templum Dei. Et tunc veraciter Deum honoramus, quando vnanimiter, & concorditer viuimus. Tunc enim oſtendimus, quia ſumus diſcipuli Chriſti, ſi tenemus vnitatem charitatis Chriſti. Hinc eſt quod

quod dominus ait. In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionē habueritis ad inuicē. Regula.

¶ *De orationibus.*

Orationibus inſtate, horis, & temporibus conſtitutis.

Expoſitio.

ANTE tempus orare, eſt prouidentia. In tempore conſtituto orare, eſt obedientia. Tempus orandi præteririre, eſt negligentia. Tantò crebrior debet eſſe oratio, quantò utilior. Inſtanter, & ardēter orare debemus. Magna enim ſunt bona, quæ promittit Deus. Nam oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quę præparauit Deus diligentibus ſe. Non uult bona ſua, quærendi, & inueniendi facilitate uileſcere, pretioſa, & deſiderabilis merces auidum negociatorem inquirit. Ideò nos dominus hortatur in euangelio dicēs. Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur uobis. Non enim ocioſis, tepidis, & negligentibus, promittitur regnum Dei, ſed (ſicut dicit ſcriptura) regnum cœlorum, uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Amat Deus inſtantiam, & importunitatē in prece. Si magna ſunt bona, nō debent eſſe deſideria parua. Cum magnitudine præmiorū, concordare debet magnitudo deſideriorum. Quod ſi ad primas lacrymas non exaudit dominus, nec ſic quidem à quærendo, & pulſando deſiſtendum eſt. Sed tanta potius perſeuerandum inſtantia, tantoq; obſtinato clamore frequentandus eſt Saluator, donec impleat orantis deſiderium. Quod ſi quiſq; noſtrum cōſcientiam ſuam, uel cogitationem ſuam, aut actionem uitiorum ſorde, ſentit inquinatam, miſericordiā redemptoris continuis debet flagitare lamentis, ſanctorumque interceſſiones, & auxilia poſtulare. Quòd ſi ad exemplū Cananeæ mulieris, in orando perſiſtamus, fixiq; maneamus, aderit gratia redemptoris noſtri, quæ cuncta in nobis errata corrigat, immunda ſanctificet, turbulenta ſerenet. Fidelis enim, & iuſtus eſt, vt remittat nobis peccata

noſtra,

noſtra, vt emundet nos ab omni iniquitate, ſi ad illum ſedula mente, & voce clamemus. Et vt ſecretè, & quietè poſſint orare fratres, ideò ſubiungitur. Regula.

In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factũ eſt, vndè, & nomen accepit, vt ſi fortè aliqui etiã præter horas cõſtitutas, ſi eis vacat, & orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agẽdum putauerint. Expoſitio.

IDEO dominus noſter, vendentes, & ementes eiecit de templo, dicens. Domus mea, domus orationis vocabitur: vt doceat in dominica domo, nihil aliud eſſe agendum, quàm orandum. Ad hoc enim omnis eccleſia conſtituitur, vt in ea oretur. Ipſa enim eſt domus Dei, & porta cœli. Ibi peccatores reconciliantur, & iuſti ſanctificantur. Ibi explentur diuina myſteria, & tractantur cœleſtia ſacramenta. Vnde Salomon ait. Domine ſi conuerſus fuerit populus tuus, & orauerit ad ſanctuarium tuum, tu exaudias eos, & dimitte peccata eorum. Et ideò ſummopere cauẽdum eſt, nè aliquid in ſanctuario fiat, quod aut oculos diuinæ maieſtatis offendat, aut ibi orare volentes impediat. Qualiter autem orare debeamus, oſtenditur cum ſubinfertur. Regula.

Pſalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Expoſitio.

PSALLENTIVM in eccleſia mens, concordare debet cum voce, vt impleatur illud Apoſtoli. Pſallam ſpiritu: pſallam, & mente. Orandi perſeuerantia, ita ſolùm meretur eſſe fructifera, ſi quod òre præcamur, hoc mente meditemur. Sæpè namq; oramus, & alibi mente intendimus, nec ipſum quod dicimus recolimus, ſed illam orationem Deus non exaudit, cui ipſe, qui òrat non intendit, quod inſtinctu diaboli ſæpè fieri ſolet. Sciens enim vtilitatem orandi, & nobis inuidens gratiam impetrandi, immittit orantibus cogitationum tumultus, vt mentem ab oratione diuidat, & fructũ orationis tollat.

Contra cuius malitiam, debemus habere mentis conſtātiam, vt quantò plus cogitationum turba nos impugnat; tantò robuſtius mens noſtra in ſui ſtatus rectitudine, fixa permaneat. Multum enim iuuat ad orationis puritatē, ſi in omni loco, & tempore, nos ab actibus illicitis temremus. Si ſemper ab ocioſis ſermonibus auditum, pariter temperemus, & linguā, ſi in lege Dei ambulare, & teſtimonia eius aſſueſcamus toto corde ſcrutari. Quæcunque ſæpius agere, loqui, audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ad animum (quaſi ſolitam ſedem propriamq;) recurrat. Regula.

Et nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Quòd autem non ita ſcriptum eſt, vt cantetur, non cantetur. Expoſitio.

NON enim decet, vt cantus eccleſiaſticus fiat ſecundùm arbitrium diuerſorum, ſed firmiter ſeruandus eſt ſecundùm ſcripta, & inſtituta maiorum. Similiter cæteræ conſuetudines monaſterij, cū auctoritate, & diſcretione ordinandæ ſunt. Si quid autem mutari oportet, aut conſtitui, non debet hoc citò fieri, aut læuiter, nec arbitrio tantum duorum, vel trium, ſed cōuocatis fratribus, ſicut ſanior pars canonicæ congregationis decreuerit, ordinandum eſt. Et ſciendum, quia auctoritas eccleſiaſtica, in omnibus magis imitanda eſt, quàm ratio, quoniam auctoritas ſemper obedientiæ, & humilitatis eſt, ratio verò nonnunquam præſumptionis. Hoc autem ſeruandum eſt in ordine, ut ſemper maturitas, ac grauitas teneatur. Nunquid læuitate uſus ſum (ait Apoſtolus) ut apud me ſi eſt, & non? Honeſtum, quippè eſt, & religioſum, non facilè quicquam, aut læuiter uariare. Regula.

¶ *De ieiunijs, & abſtinentijs.*

Carnem ueſtram domate: ieiunijs, & abſtinentia eſce, & potus, quantum ualitudo permittit. Expoſitio.

CARO quidem cōcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnē: ſed nè caro poſſit præualere, ſpiri-

ſpirituales uiri, per uirtutem ſpiritus, eandem concupiſcentiam debent reprimere, quia quando caro domatur, ſpiritus roboratur. Sed cum adiungitur, quantum ualitudo permittit, uirtus diſcretionis commẽdantur. Pereunt enim ipſa bona, niſi cum diſcretione fiant. Tantum ergò debet quiſque carnem ſuam domare, per abſtinentiam, quantum ualitudo permittit naturæ. Qui carnem ſuam ſupra modum affligit, ciuem ſuum occidit. Si pluſquam oportet alimentis reficit, hoſtem nutrit. Sic ergò nutriẽda eſt, ut ſeruiat, ſic domanda, ut non ſuperbiat. In omni abſtinentia hoc ſemper attendendum eſt, ut uitia extinguantur, non caro. Regula.

Quando autem aliquis non poteſt ieiunare, non tamẽ extra horam prandij, aliquid alimentorum ſumat, niſi cum ægrotat. Expoſitio.

PRIMUM uitium ex ſeptem principalibus uitijs, eſt gula. Tentatio huius uitij, aliquãdo fit de paruis rebus, & uilibus. Nam primus homo, tentatus eſt non de porco, ſed de pomo. Eſau, non de gallina, ſed de lenticula. Saluator noſter, nõ de carne, ſed de pane. Sunt autem huius uitij tria genera. Vnum genus eſt, quando cibo, uel potu quis immoderatè utitur. Alterum genus eſt, quando nimis delicatum cibum, uel potũ quis deſiderat. Tertium genus eſt, quando extra horam cibum, uel potum uult quis ſumere. Extra horam credimus eſſe, uſq; ad tertiam. Nam uſque ad iſtam horam, non decet fratrem comedere, aut bibere, niſi ægrotet. Aegrotanti, omni hora licet. Infirmis non eſt lex poſita, non ieiunãtibus, nec tamen infirmantibus, rectam horã reficiendi intelligimus, ab hora tertia, uſq; ad ſextam. Ieiunantibus uerò ab hora nona, uſq; ad ueſperam. Cum Apoſtolus præcipiat, ut omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant. Nec tantum cibo, & potu temperatè uti oportet, ſed etiam horas conſtitutas obſeruare, nè cui de uita noſtra, præbeamus offendiculum. Valde enim indecens eſt, ſi nos reprehenſibiliter,

biliter uiuimus, qui formam rectè uiuendi, alijs demonſtrare debemus. Regula.

¶ *De refectione mentis, & corporis.*

Cum acceditis ad menſam donec indè ſurgatis, quòd uobis ſecundùm conſuetudinē legitur: ſine tumultu, & contentionibus audite, nè ſolæ uobis fauces ſumant cibum, ſed & aures eſuriant Dei uerbum. Expoſitio.

ILLI eſuriunt Dei uerbum, qui deſiderant audire. Multi ſacram lectionem audiūt, qui tamen ab ipſa lectione uacui recedunt, nullum ibi affectum habent, nullum ſaporem ſentiunt. Quicquid audiunt, facilè amittūt. Iudicium eſt illis audire, quod audiunt. Quo contra ſcriptum eſt. Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Ideò ſaturabuntur, quia prius eſurierunt, eſuriendo enim efficitur homo dignus, ut poſtmodum ſatietur. Primum ergò præparare debemus cor noſtrum, ad eſuriendum, & deſiderandum uerbum Dei, tūc aderit diuina gratia, quæ nos intus perfundat, & dulcedine, atque ſapore ſpirituali reficiat, ut delectet nos cantare, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua domine, ſuper mel ori meo. Et bonum mihi lex oris tui, ſuper milia auri, & argenti. Non ſolùm debemus eſſe participes menſæ corporalis, ſed ſpiritualis: nec tantum ſumere cibum corporis, ſed & animæ. Et quātò melior eſt anima, quàm corpus, tantò amplius nos delectare debent alimēta animæ, quàm corporis. Quotiens nobis diuina ſcriptura legitur, aut exponitur, cogitare debemus, quia eſca ſpiritualis eſt, quæ à Deo nobis mittitur, ad reficienda corda noſtra, nè deficiamus in uia, & ad roborandos nos cōtra tentationes diaboli, & pericula huius ſæculi. Talem cibum nos oportet inceſſanter eſurire, atq; in mente iugiter retinere, ut poſſimus dicere cum propheta. In corde meo abſcondi eloquia tua, ut nō peccem tibi. Qui in corde ſuo ſacrum eloquium abſcōdit, uitalis ei cibus animæ

eſt

eſt,qui à morte,ideſt à peccato animam defendit,& inſuper ad vitam æternã perducit. Iam quid de infirmis ſubiungat audiamus. Regula.

Qui infirmi ſunt ex priſtina conſuetudine,ſi aliter tractantur in victu,non debet alijs moleſtum eſſe, nec iniuſtum videri eis, quos fecit aliqua conſuetudo fortiores. Expoſitio.

AC ſi apertè dicat. Fortiores non debent contriſtari,ſi infirmos vident miſericordius tractari,immo, quia fortiores ſunt, in ſe debent abſtinentiæ ſeruare rigorem,& aliorum imbecillitatem,æquanimiter portare, per compaſſionem. Regula.

Nec illos fœliciores putent,quia ſumunt,quod nõ ſumunt ipſi,ſed ſibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi. Expoſitio.

MELIVS eſt enim abſtinere,quàm plus ſumere.Nã illud eſt virtutis,hoc infirmitatis.Gratulari quiſq; ſibi debet,qui dono gratiæ diuinæ,tam ſanus eſt,& validus,vt poſſit ſibi ſufficere communis aliorũ cibus, & potus. Qui nihil delicatum quærit, nihil ſuperfluum,quantò enim quiſque minus appetit,quantò arctius viuit, tantò beatior exiſtit. Arcta enim,& anguſta eſt via,quæ ducit ad vitam.Gaudeat igitur,qui poteſt parce viuere propter Chriſtum. Parca enim vita occidit vitia, libidinem extinguit, virtutes nutrit, animum roborat, mentem ad cœleſtia ſubleuat. Regula.

Et ſi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monaſterium,aliquid alimentorum, veſtimentorũ, operimentorumve datur,quod alijs fortioribus,& ideò fœlicioribus non datur,&c. vſque: non potuerint. Expoſitio.

QVARE hoc debent cogitare,ſcilicet,vt ex ratione cognoſcant,quia iuſtum eſt, vt hi qui plus deſcenderint,plus accipiant. Et cum hoc iuſtum eſſe cognouerint, non velint omnes accipere, quod paucos viderint

accipere. Tolerandi enim ſunt, qui minus poſſunt. Et hoc eſt, quod ſubiungit. Regula.

Nec debēt uelle omnes, quod paucos uidēt amplius, non quia honorantur, ſed quia tolerantur accipere, nè contingat deteſtanda peruerſitas, ut in monaſterio, ubi quantum poſſunt, fiunt diuites laborioſi, fiant pauperes delicati. Expoſitio.

VALDE quippè deteſtabile eſt, ut ibi fiat pauper delicatus, ubi fieri appetit diues laborioſus, ideſt abſtinens. Quod tamen ſæpè uidemus fieri in pluribus, uel contingere. Multi enim quantò nobiliores, & delicatiores fuerunt in ſæculo, tantò poſtmodum abiectius, & diſtrictius uiuunt in monaſterio. Et plerique quantò abiectiores, & pauperiores fuerunt, tantò plus deinde in monaſterio extollentiam, & delicationes quærunt. Sed ſicut diximus, ualde deteſtabile, & peruerſum eſt, ibi pauperem delitias quærere, ubi diues pro amore Dei abſtinendo nititur laborare. Ille ſeruit uentri, iſte ſpiritui: ille per latam, & ſpatioſam uiam tendit ad pœnam, iſte per arctam, & anguſtam uiam tendit ad gloriam. Regula.

Sanè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere, nè grauētur: ita, & poſt ægritudinem, ſic tractandi ſunt, ut citius recreentur, etiã ſi de humillima ſæculi paupertate uenerint, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Expoſitio.

SVNT quædam ægritudines in quibus, ſi cibus ſumitur, non releuat, ſed grauat: & tunc neceſſe habent ægrotantes minus accipere, nè grauētur. Expoſita autem ægritudine, ſic tractandi ſunt, ut citius recreentur. Et in hac recreatione fratrum, non debet eſſe acceptio perſonarum, nõ debet contemni humillima paupertas in his, quæ poſtulat humana neceſſitas, cum hoc eis tribuat recens ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo.

Qui

Qui enim miſericors eſt in alium, Deus miſericors eſt in illum: unde ipſe ait. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beatus quoq; Ioannes dicit. Qui uiderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Si ergò charitatem Dei uolumus habere, debemus in fratribus noſtris, miſericordiæ opera exercere. Quòd cum agimus, proculdubiò ei ſeruimus, qui electis ſuis dicturus eſt in iudicio. Infirmus fui, & uiſitaſtis me: eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. Quibus merces indè impēditur, cum dicitur. Percipite regnum, quòd uobis paratum eſt, ab origine mundi. Cum ergò fratribus noſtris, propter Deum ſeruimus, ipſum regnum cœlorū acquirimus. Et ſi opera ſunt tranſitoria, merces tamen manet æterna. Regula.

Sed cum uires priſtinas reparauerint, redeant ad fœliciorem conſuetudinem ſuam. Expoſitio.

FOELIX conſuetudo eſt, carnalia deſideria (quæ militant aduerſus animam) abſcindere. Fœlix conſuetudo eſt, abſtinere. Fœlix conſuetudo, corpus ſuum caſtigare, & in ſeruitutem redigere. Regula.

Quæ famulos Dei, tantò amplius decet, quātò minus indigent, nec cibi eos teneat uoluptas iam uegetatos, quos neceſſitas leuarat infirmos. Expoſitio.

AD leuandam infirmitatem, neceſſarium eſt, carnis curam agere, quæ uidelicet caro, poſtquam uegetata fuerit, oportet eandem curam carnis reſecare, nè famulos Dei teneat cibi uoluptas, nec ſeruiant gulæ, qui debent animæ deſeruire. Quantò minus indigent, tantò amplius decet, nè cibi eos uoluptas teneat, nè gulæ uitium, animæ uirtutes tollat. Nullus palmam ſpiritualis certaminis apprehendit, qui non in ſemetipſo prius per afflictam uentris concupiſcentiam carnis incentiua deuicerit. Neq; per conflictum ſpiritualis certaminis aſſurgitur, ſi non prius intra noſmetipſos hoſtis poſitus (gulæ

videlicet appetitus)edometur. Quia ſi non prius ea quæ nobis viciniora ſunt proſternimus, inaniter ad ea quæ longè ſunt impugnanda tranſimus. Multi ordinem certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, & iam ad ſpiritualia bella conſurgunt. Qui etiam aliquãdo multa quæ magnæ fortitudinis ſunt faciunt. Sed dominante gulæ vitio, per carnis illecebram, omnia, quæ fortiter egerint perdunt, & dum venter non reſtringitur, per carnis cõcupiſcentiam, ſimul vitæ virtutes obruuntur. Hoc ſignat, quòd muros Hieruſalem princeps coquorum deſtruxit, quia virtutes animæ, dum non reſtringitur venter pereunt. Et Aegypto populus adductus, in hæremo occubuit, quia deſpecto manna, cibos carniũ petijt. Primogenituræ gloriam Eſau amiſit, quia magno æſtu deſiderij vilem cibum (ideſt lenticulam) concupiuit. Neque enim cibus, ſed appetitus in vitio eſt. Vnde, & lautiores cibos, plerunque ſine culpa ſumimus, & abiectiores, non ſine reatu conſcientiæ deguſtamus. Ea itaque ſumenda ſunt, quæ naturæ neceſſitas quærit, & non ea quæ edendi libido ſuggerit. Regula.

Illos ſanè exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate, fuerint fortiores. Expoſitio.

EX fortitudine parcitatis, deprimuntur vitia carnis. Ex mortificatione vitiorũ, procedit pullulatio virtutum. Ipſæ ſunt veræ diuitiæ, quibus ditantur animę cõtinentium. Vnde, & ſubditur. Regula.

Melius eſt enim minus egere, quàm plus habere.

Expoſitio.

MELIVS eſt aliquid ægeſtatis, propter dominũ ſuſtinere, quàm ſuperabundare. Nam ægeſtas, quæ propter dominum eſt, generat humilitatem, quæ eſt initium omnium bonorum. Abundantia verò parit ſuperbiam, quæ eſt initium omnium malorũ. Seruus ergò Dei, vt volũtatem, atque appetitum carnis poſſit reprimere, ſemper

ſemper debet ad minus tendere, vt ipſorum alimentorum,& veſtimentorum minus velit habere, etiam quàm neceſſe ſit. Adiutorem quippè habemus internæ intentionis,hunc hominem quem exterius geſtamus.Et ſi ipſi inſunt motus laſciuiæ,ipſi tamen affectus ſuppetunt operationis bonę.Vnde neceſſe eſt,vt interior homo noſter æquus quidem arbiter præſideat inter ſe, & eum quem exterius geſtat,quatenus ei homo ſuus exterior, & ſemper debito miniſterio ſeruire ſufficiat, & nũquam ſuperbiæ,libera ceruice contradicat. Regula.

¶ *De habitus, & pudicitiæ modeſtia.*

Non ſit notabilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere,ſed moribus. Expoſitio.

FEcit iſte vir ſanctus, quod docuit, ſcriptum eſt enim,quia ueſtimenta eius, & calciamenta, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum, ſed ex moderato, & competenti habitu erant. Ipſe quoque de ſe legitur dixiſſe.Fateor,quia de pretioſa ueſte erubeſco. Non decet hanc profeſſionem,non decet hanc admonitionem,non decet hæc membra,non decet hos canos. Hinc dominus in euangelio. Ecce,qui mollibus ueſtiuntur,in domibus regum ſunt. Mollia dicuntur ueſtimenta, eo quòd mollem efficiunt animum. Mollibus ueſtimentis regia delectatur aula.Aſperis,& humilibus Chriſti delectatur eccleſia. Talia debent eſſe ueſtimenta clericorum, in quibus nihil notari poſſit uanitatis, nihil quod pertineat ad ſuperbiam,& inanem gloriam. Non tenera ueſtis,ſed munditia mentis,ornat clericum.Ornemus ergò nos ſpiritualibus ornamentis, ſcilicet caſtitate, humilitate, manſuetudine, obedientia, patientia, charitate. Hæc ſunt indumenta, quibus anima poteſt cœleſti Imperatori placere, non enim exteriorem, ſed interiorem pulchritudinem requirit inuiſibilis ſponſus. Sicut ſcriptum eſt. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Noſtræ ergo diuitiæ, no-

ſtra pulchritudo, boni mores ſunt. Et beata illa anima cui dicitur in cantico canticorum. Quam pulchra es amica mea,& macula non eſt in te. Studeamus ergò inuiſibili domino placere, non veſtibus, ſed moribus, vt impleatur in nobis quod per Apoſtolũ præcipitur. Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, & ſi enim exterior noſter homo corrumpitur, interior tamen renouatur, de die in diem. Deinde ſubiungit de inceſſu, ſtatu, & cæteris motibus dicens. Regula.

Quandò proceditis, ſimul ambulate, cum veneritis, quò itis, ſimul ſtate. In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris, nihil fiat, quod cuiuſquam offendat aſpectum. Sed quod veſtram deceat ſanctitatem. Expoſitio.

SAncta ergò perfectorum eccleſia, non ſolùm floret honore religionis, ſed etiã honeſtatis decore pollet, ſicut ſcriptum eſt. Flores mei fructus honoris, & honeſtatis. Religioſum quippè, & honeſtũ eſt, vt ſicut ſimul habitant fratres, ita quoq; ſimul ambulẽt, & ſimul ſtent. Et Apoſtolus præcipit, vt omnia honeſtè, & ſecũdùm ordinem fiant. Poteſt quoq; in hac corporali coniunctione, aliquid ſpirituale intelligi. Sanctorum quoq; ſocietas, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata deſcribitur. Caſtrorum namq; acies, cum ad bellũ ſe præparat, prius ſe coniungere, atq; ordinare feſtinat, nè ab hoſtibus interrumpi, aut penetrari valeat. Sic nimirum noſtra ſpiritualis acies, quæ benè coniuncta, & ordinata ſimul ſtare pręcipitur, contra diabolum quotidiè munitur ad bellũ, vt videlicet ex ſua cõiunctione terreat antiquum hoſtẽ, qui in ſeruis Dei nihil, tam timet, quàm concordiæ unitatem. Sed valde notandum eſt quod dicitur. Regula.

In omnibus motibus veſtris, nihil fiat, quod cuiuſquã offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem. Expoſitio.

SIc viuere debent canonici, vt à nemine iuſtè valeãt repre-

reprehendi,ualde enim incongruum eſt, ut ipſi reprehẽſibiliter uiuant, quorum ordo exigit, ut cæteris formam ſanctitatis oſtendant. Nam ad eos hæc ſentẽtia pertinet, qua dicitur. Eſtote ſancti, ſicut & ego ſanctus ſum, dicit dominus. Verè ſancti eſſe debemus,qui nomen, & habitum religionis, & ſanctitatis ſuſcepimus, qui diuino cultui ſumus mancipati, ſacriſq; altaribus Chriſti conſecrati,& diuinis myſterijs ordinati. Ergò ſic nos exiſtimet homo,ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Non præcipit Apoſtolus tantum,ut ita ſimus,ſed ſic nos exiſtimet(inquit)homo. Non enim ſufficit nobis uita ſancta, niſi ſit,& fama bona. Nam uita bona nobis eſt neceſſaria propter nos, fama uerò bona propter alios. Vnde rurſus ait Apoſtolus. Oportet nos ab his,qui foris ſunt,habere bonum teſtimonium. Sic ergò debemus uiuere,ut uita cõcordet cum nomine, & profeſſio teneatur in opere. Vt ſi ſanctus eſt ordo,ſancta ſit cõuerſatio, & ſi benè de nobis dicitur, teſtimonio bonæ actionis cõprobetur. Tũc enim religiosè uiuimus,ſi illicitos motus ſub diſciplina coercemus. Si membra, & ſenſus noſtros ſtudeamus reſtringere, ut nõ poſſint laſciuiæ,& læuitati deſeruire. Vt aſpectus noſter ſit ſimplex, & humilis, nè fixè aſpiciat oculus,quod illicitè concupiſcat animus, ut noſter auditus ſit purus,& diſcretus, ea quæ ſuperflua ſunt, & uana reſpuens, ea quæ Dei ſunt gratanter ſuſcipiens, ut ſermo noſter ſit ſale conditus: ocioſa, & nociua deteſtans,bona utilia commendans: ut ſit in corde munditia, in uultu pudicitia,in inceſſu grauitas,ſtatus cum reuerentia,motus cum maturitate,habitus cum religione, quatenus ubiq; reſplendeat ſanctitas, ſupereemineat honeſtas, ſeruetur humilitas. Regula.

Oculi ueſtri, etſi iaciantur in aliquam fœminarum, figantur in nullam. Neque enim quandò proceditis, fœminas uidere prohibemini, ſed appetere, uel ab ipſis appeti uelle,criminoſum eſt. Expoſitio.

VNDE dominus in euangelio. Qui uiderit mulierē ad concupiſcendum eam, iam mȩchatus eſt, in corde ſuo. Et quia per illicitum uiſum concupiſcentia oritur, per quam integritas mentis uiolatur, neceſſe eſt, ut ſemper ſeruus Dei uiſum ſuum reprimat, nè per concupiſcentiam, & per immunditiam cordis, Deum offendat. Sanctus Dauid, quia oculos in fœminam iecit, & fixit, illicito appetitu deuictus, adulterium perpetrauit. Si ergò tantus uir, per incuriam oculorum cecidit, nos qui longè ab eius ſanctitate diſtamus, tam mortale præcipitium ſummopere timere debemus. Teneamus ergò ſententiam beati Iob, qua dicitur. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarȩm de uirgine. Quia enim ſenſit ſanctus uir, quòd per exteriorē uiſum interior animus corrumpitur, fecit pactum cum oculis ſuis, nè incautè aſpiceret, quod illicitè concupiſceret. Non enim perfectè uitium uincitur, niſi ſolicitè cauſa, & opportunitas uitij caueatur. Hinc eſt quòd Loth à Sodomis fugienti præcipitur, ut non retroſpiciat, neque remaneat in omni circa regione, ſed in monte ſaluum ſe faciat. Quiſquis enim perfectè appetit incentiua uitiorum fugere, ab aſpectu, & uicinitate ipſorum ſe debet alienum facere, atque ad alta uirtutum conſcendere, ut tantò à uitijs remaneat extraneus, quantò ab eis uirtute, & corpore elongatur. Et quòd uiſus ſit cauſa concupiſcentiæ, oſtenditur cum ſubditur. Regula.

Nec ſolo tacito affectu, ſed affectu, & aſpectu quoque appetitur, & appetit, concupiſcentia fœminarum. Expoſitio.

AC ſi apertè dicat. Non ſolùm tacita uoluntate, intus concupiſcentia oritur, ſed etiam per exteriorem aſpectum generatur. Niſi enim ſanctus Dauid fœminam fixè aſpexiſſet, in tantam carnis tentationem, minimè incidiſſet. Hinc per prophetā dicitur. Aſcendit mors per feneſtras noſtras. Mors animæ, eſt concupiſcentia:

domus

domus interior, mens noſtra eſt. Feneſtræ huius domus ſunt quinque corporis ſenſus. Mors ergò per feneſtram aſcendit,atque domos ingreditur, quando concupiſcen tiæ uitium,per ſenſus prorumpit ad interiora mẽtis. Quapropter nè uitalis ſenſus per exteriorem appetitum intus introeat, opus eſt, ut feneſtras domus noſtræ, tanta diligentia cuſtodiamus, ut ipſum appetitum tantò facilius poſſimus compeſcere, quantò nullum uitijs permittimus ingreſſum patere. Valde enim timenda eſt ſententia quæ ſubditur. Regula.

Nec dicatis uos habere animos pudicos,ſi habeatis oculos impudicos,quia impudicus oculus,impudici cordis eſt nuncius. Expoſitio.

SAEPE enim,quę intus latent,exteriora membra denunciant,& frequenter per habitũ corporis, cognoſcitur habitus mentis. Minor eſt autem culpa dum latet in occulto,ſed iam maior efficitur, dum incipit apparere in publico. Et ſciendum, quia impudicitia,alia eſt carnalis,alia ſpiritualis. Spiritualis eſt,quæ per delectationem cogitationum intus tãtum agitur. Carnalis uerò eſt,quæ corporaliter completur. Fit autem multis modis. Nam modò per uiſum,modò per auditum, modò per tactum, modò per cogitationem, modò per locutionem, modò per operationem, talibus fomentis nutritur, & exercetur libido, & ſeparatur anima à Deo, fugitq; caſtitas de moribus,& exercetur in mentibus luxuria. Vnde,& ſubditur. Regula.

Et cum ſe inuicem ſibimet(etiam tacente lingua)conſpectu mutuo corda nunciãt impudica, & ſecũdùm concupiſcentiã carnis,alterutro delectãtur ardore, etiam intactis ab immunda uiolatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus. Expoſitio.

CASTITAS quippè de moribus fugit, dum libidinoſa voluptas conſpectibus mutuis magis,magiſq; inardeſcit. Et ſi corpus ab immunda violatione nõ tangitur,

gitur, ipſa tamen immunda violatio, viſu, affectu, cogitatione, delectatione perpetratur, ipſiſq; fomentis, quaſi quibuſdam gradibus creſcit peccatũ. Cogitatio namq; praua, delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus operationem, operatio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem. Apoſtolus enim legem peccati dicit eſſe in membris, quæ lex conſuetudo eſt, quam peccando concipimus, & ab ea quum volumus, nõ diſcedimus, quia neceſſitatis vinculo per conſuetudinem retinemur. Bonum eſt ergò culpam corrigere cum incipit apparere, quia ſi morari cœperit, immanitatem ſceleris facit. Et quid dicit pſalmus de huiuſmodi. Prolongauerunt iniquitatem ſuam: dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum. Regula.

Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in ſe diligit fixum, ab alijs non videri cum hoc fecerit, videtur omnino, & à quibus ſe videri nõ arbitratur. Expoſitio.

HOc videmus frequenter de his, qui culpas ſuas volunt abſcondere, quòd dum vitia quaſi cautè, & latenter agere æſtimant, ipſi ſeipſos, dum neſciunt, demonſtrant, & culpa quę occulta eſſe creditur ab alijs manifeſtè cognoſcitur. Regula.

Sed etſi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo deſuper inſpectore &c. vſque: ſapientius. Expoſitio.

IN cunctis ergò, quæ vel agendo, vel loquendo, vel cogitãdo, delinquimus, aſpectum ſuperni iudicis vehementer formidare debemus, quia ſi aliquando non apparent hominibus vitia noſtra, illius tamen oculis nuda ſunt omnia, & aperta. Et hoc nos à culpa reprimere debet, quia in eius iudicio nihil inultum poterit remanere. Contra vitiorum incentiua debemus opponere inferni tormenta, & contra trãſitoriam delectationem perpetui ignis dolorem. Valde ſtultus eſt, qui pro eo quòd paruo tem-

tempore luxuriæ deſeruit, ſuumq; miſerum deſiderium prauis delectationibus paſcit, & cœleſtem perdit amœnitatem,& incurrit æternam damnationem. Regula.

Illi ergò vir ſanctus timeat diſplicere, nè velit fœminæ malè placere:vſq;:defigens oculum. Expoſitio.

EX quibus verbis patet,quia ſi oculum in fœminam figimus,Deo noſtro cui placere debuimus,abhominabiles ſumus. Et à quo debuimus recipere gloriam,recipiemus pœnam. Qua propter neceſſe eſt,vt ſi à noſtris vitijs diuinus non ſeparat amor,vel reprimat timor.Et ſi nos non delectant ſuperna gaudia, vel terreant æterna ſupplicia. Sic incipit homo recedere à peccato ſi timeat diſplicere auctori ſuo.Sed dicit aliquis. Quomodo timebo Deum? Si vis Deum timere,illum cogita omnia videre. Titillat te mala conſentia, cogita quia Deus videt te. Quicquid in te malum fuerit,penſa quia Deus totũ conſpicit. Quicquid egerimus,aut dixerimus,aut mente tractauerimus, ſemper attendamus ſuper nos oculos Dei, ſemper timeamus diſplicere illi. Hæc eſt via iuſtitiæ,hæc ſunt primordia ſapientiæ, ſicut ſcriptum eſt. Initium ſapientiæ eſt timor domini: ſequitur. Regula.

Quandò ergò ſimul eſtis in eccleſia, & vbicunque fœminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Expoſitio.

MAGNA eſt pudicitiæ virtus, & multum commendata ſcripturis diuinis.Hæc virtus cœleſtis, & ſpiritualis eſt. Nam hominem à terra ſubleuat, angelis ſociat,Deo coniungit,de terreno cœleſtem,de carnali ſpiritualem facit.Hæc virtus etiam humanam naturam trãſcendit. Nam quòd homo pudicus eſt, ꝙ caſtus,non tam virtus humana facit,q̃ diuina.Per hanc nos amat inuiſibilis ſponſus. Non enim placet Deo anima,ſi non eſt caſta, ſi non eſt pudica. Nam ſi immũditiæ,& luxuriæ deſeruit, abhominabilis eſt ei, & reproba. Pudicitiæ virtus acceptabilis eſt Deo,& hominibus.Hanc nobis inuidet,hanc

impu-

impugnare non ceſſat antiquus humani generis hoſtis. Ipſe enim eſt perſuaſor immunditiæ, & luxuriæ, plures decipit, plures corrumpit. Non parcit clericis, non indulget monachis (& quod magis gemendum eſt) ipſos etiam religioſos proſternit. Neceſſe eſt ergò ſumma vigilantia inuicem noſtram pudicitiam cuſtodire. Nam ſi eam perdimus, totum perdimus, etiam noſmetipſos. Qui perdit pudicitiam, perdit animam ſuã, perdit Deum, perdit ſemetipſum. Sed ad hoc in vnum habitamus, vt nos inuicẽ cuſtodiamus, inuicem corrigamus, inuicem erudiamus, vt quod quiſq; non poteſt per ſeipſum, poſſit per alium. Et quia noſtra cuſtodia non à nobis eſt, ſed à Deo, benè ſubditur. Regula.

Deus enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis. Expoſitio.

NON enim ſufficiens eſt nobis cuſtodia noſtra, niſi etiam adſit diuina. Vnde ſcriptum eſt. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem: fruſtra vigilat qui cuſtodit eã. Nemo eſt qui pudicitiam poſſit cuſtodire, aut in ſeipſo, aut in alio, niſi per Deum. Sed ſi ipſe habitauerit in nobis, poterimus per ipſum quod non valemus per nos. Sic ergò ſtudeamus viuere, vt nos in ipſo, & ipſe in nobis, dignetur habitare, vt caſtè, & iuſtè poſſimus eſſe per ipſum, qui viuit, & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Regula.

¶ *De correctione fraterna.*

Et ſi hanc de qua loquor uobis oculi petulantiã: vſq;: competenti ſeueritate coerceri. Expoſitio.

HAEC ſententia verbis apoſtolicis concordat, & euangelicis. Ait enim beatus Paulus. Si fuerit homo præoccupatus in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lænitatis. Et dominus in euangelio. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum, ſi te audierit lucratus es fratrem tuum. Si te non audierit, adhibe tibi duos, vel tres: vt in

ore

ore duorum,vel trium ſtet omne verbũ.Summa quidem diligentia inueſtiganda, & corrigenda eſt culpa. Nam ſi eam non emendamus in hoc ſæculo, damnabimur in futuro. Vnde Apoſtolus ait. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Melius eſt ergò hic emendare vitam, q̃ tunc perire. Qui amat corripi, ſapiens eſt. Vnde ſcriptum eſt. Corripe ſapiẽtem, & amabit te. Stultus autem, ſi corripitur, iraſcitur. Sed quid dicit Apoſtolus ad diſcipulũ. Inſta (inquit) opportunè, importunè. Opportunè dicebat, propter eos, qui libenter audiebant uerbum prædicationis. Importunè, propter eos, qui inuiti audiebant. Similiter contra eos, qui culpas redarguunt, quandoque oportet eſſe importunos, ſed iſta importunitas non eſt ex ira, ſed ex charitate, & ſæpè is, qui conturbatur, quia corripitur, cum cogitare cœperit, quãtò eum amore frater ſuus reprehenderit, gaudet de reprehẽſione, & quod deliquit ſtudet emendare. Regula.

Nec uos iudicetis eſſe maleuolos, quando hoc indicatis :uſque: nè deterius putreſcat in corde. Expoſitio.

SI crudelis eſt, qui peccati uulnus in corpore fratris celat, multò magis crudelis eſt, qui peccati uulnus in anima fratris non indicat. Et reus mortis illius exiſtit, quem tacendo perire permittit. Sicut enim ille ex opere, ita iſte damnatur ex taciturnitate. Quòd ſi crudelis eſt qui culpam nòn detegit,ècontra ille miſericors eſt, qui eam non abſcondit. Nec maiorem poteſt erga miſerum agere miſericordiam, quàm pereunti præſtare uitam. Magna quoque illi merces debetur ab omnipotente, à quo dictum eſt. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et Iacobus ait. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animã eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Quo autem ordine, culpa debeat demonſtrari, oſtẽdit cum ſubiungit. Regula.

Sed antequam alijs demonſtretur :vſque: non innoteſcere cæteris. Expoſitio.

CVLPA cum occultè cõmittitur, ab alijs fratribus, qui eius culpæ conſcij ſunt, hic qui deliquit frater, ſecretè debet corrigi, quos ſi neglexerit audire, patri monaſterij debet indicari, vt & ipſe fratrẽ ſecretè corrigat, quatenus culpa quæ adhuc latens eſt (ſi fortè ſecretius corrigi potuerit) non omnibus innoteſcat. Si autem negauerit, tunc teſtes adhibeantur, vt conuictus diſtrictius iudicetur. Et hoc eſt quod ſubditur. Regula.

Si autem negauerit :vſque: debebit emendatoriam ſubire vindictam. Expoſitio.

QVI blandè caſtigatus non corrigitur, neceſſe eſt, vt acrius corrigatur. Cum dolore enim abſcindenda ſunt, quæ læuiter ſanari nõ poſſunt. Qui autem admonitus ſecretò de peccato, corrigi negligit, publicè arguẽdus eſt, vt vulnus quod occultè ſanari neſcit, manifeſtè valeat emendari. Manifeſta autem peccata, non ſunt occulta curatione purganda. Palam enim arguendi ſunt, qui palam peccãt, vt aperta obiurgatione hi qui eos imitando deliquerunt, corrigantur. Is ergò, qui ſecretò corrigi noluit, publicè conuictus debet emendatoriam ſubire vindictam. Regula.

Quam ſi ferre recuſauerit :vſque: plurimos perdat. Expoſitio.

MELIVS eſt enim, vt pro multorum ſaluatione cõdemnetur vnus, quàm per vnius exemplum plurimi periclitentur. Hinc dominus ait in euangelio. Si oculus tuus ſcandalizauerit te, erue eum, & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt vnum membrorum tuorũ pereat, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennã. Et ſi dextera manus tua ſcandalizauerit te, abſcide eam, & proijce abs te. Per dexteram manum, poſſumus intelligere aliquem noſtrum neceſſarium amicum, qui prouidet in cauſis: oculus noſter eſt, qui miniſtrat in neceſſarijs, manus

noſtra eſt. Qui ſi etiam prouidet in ſpiritualibus, noſter eſt dexter oculus, aut dextera manus. Talis, & tam neceſſarius, ſi cæteros in Dei ſeruitio ſcandalizauerit, de corpore (ideſt) de ſocietate eſt abſcindendus. Melius eſt enim vnius ſolatium perdere, quàm per vnum totũ corpus perire. Regula.

Et hoc quod dixi de oculo non figendo :vſq;: & odio vitiorum. Expoſitio.

HINC idem beatus Doctor alibi dicit. Sic diligendi ſunt homines, vt eorum non diligantur errores. Aliud eſt enim amaſſe, quod facti ſunt. Aliud verò odiſſe, quod faciunt. Sunt nonnulli, qui aliorum redarguunt culpas, non tam ex charitate, quàm ex odij amaritudine: non tam vt eos corrigi velint, quàm vt odium quod in corde geſtant exercere valeant. Et hoc non eſt ſecũdùm Deum. Magis autem ad vindictam pertinet, quàm ad diſciplinam. Caueant ergò, vt neminem cũ ira, & indignatione, ſed potius cum dulcedine, & charitate redarguãt. Et ſi aliquando culpa exigente, ſonat in voce aſperitas, ſemper tamen maneat in mente lænitas. Iuxta quod Apoſtolus præcipit, dicens. Vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lęnitatis. Benè autem ſubiungit. Conſiderans temetipſum, nè & tu tenteris. Attende enim teipſum, qui alium reprehendis, quia peccator exiſtis, & fragilis, nè grauiter tenteris, ſi quem reprehendere conaris indignando potius, quàm compatiendo. Fiat ergò cum dilectione hominum, & odio vitiorum, ita vt amor ſeruetur in corde erga hominem, & odium aduerſus vitium, quia diſtrictio debetur vitijs, compaſſio verò naturæ. Sequitur. Regula.

Quicunq; autem in tantum progreſſus fuerit malum :vſque: & oretur pro eo. Expoſitio.

IDEO progreſſum eſſe in malum magnum dicit fratrem, qui occultè aliquid recipit, quia aliquid occultare, eſt ordinem infringere. Magnum malum incurrit, qui

qui ordinis ſui præuaricator exiſtit. Niſi ꝓphetā ſanctus magnum malum eſſe ſciret, quòd Giezi diſcipulus ſuus à Naaman Syro munus occultum accepiſſet, nequaquam eũ tam terribiliter paſſione lepræ percuteret. Exemplo itaq; ſuo nos docuit graui correctione dignum eſſe, qui committeret ſimile peccatum. Tamen ſi hoc vltrò confitetur, parcendum eſt ei, & orandum pro eo. Nam culpa læuior efficitur, quæ confeſſione voluntaria humiliter aperitur. Vnde Dauid dicit. Dixi confitebor, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Regula.

Si autem deprehenditur, &c. vſque: grauius emendetur. Expoſitio.

QVIA ſi grauior eſt culpa, grauior competit diſciplina. Grauiter quippè, & mortaliter offendit, qui malum quod agit etiam abſcondit. De occultis literis, & munuſculis. Beatus Hieronymus ita ſcribit. Occultas inquit literas, & ſudariola, & crebra munuſcula, ſanctus amor non habet. Quiſquis talibus delectatur, magna vanitate ſeducitur. Et quò plus delectatur in infirmis, eo amplius eijcitur à ſupernis. Ex huiuſmodi autem, mala grauia ſolent generari. Sed qui perfectè vitia cauere deſiderat, non ſolùm ſtudet, vt ea quæ per ſe mala ſunt caueat, ſed etiam illa refugiat, vnde vel praua actio, vel mala opinio, procedere poſſit. Nos verò quos oportet benè viuere, & bonum exemplum alijs demonſtrare, non cõuenit talia agere, vnde quis poſſit, vel malam ſuſpitionẽ habere. Regula.

¶ *De cuſtodia rerum communium.*

Veſtes veſtras in vnum habeatis: vſque: nè à tinea lædantur. Expoſitio.

QVOD veſtes præcipit reponi ſub vno cuſtode, vel pluribus, duæ videntur cauſæ. Prima videlicet, nè per incuriam neglectæ, à tineis corrumpantur, ſi non excuterentur. Secunda, nè frater hanc ipſam veſtem quam habet,

habet,in propriam ſe habere crederet,ſi in proprio loco ſibi reponere liceret.Huic autem ſententiæ videtur verba concordare,quæ ſequuntur. Ait enim. Regula.

Et ſi fieri poteſt,ad vos non pertineat:vſq;: prout cuique opus eſt non negetur. Expoſitio.

IDEO ait ſi fieri poteſt, vt ſi cui videatur difficilè, liceat ipſum,quod depoſuerat veſtimentum ſuſcipere. Ad maiorem enim perfectionem pertineret,ſi ad tantum contemptũ ſui quis perueniſſet, vt eo ſolummodo quod opus eſt corpori contentus eſſet,iuxta quod ait Apoſtolus.Habentes victum,& veſtitum,his contenti eſſe debemus. Non determinat quantum, vel quale, ſed tantum ea notat,quæ ſufficiant naturæ. Nam in imperfectis plus ſemper voluptas appetit,quàm neceſſitas. Sicut autem ait beatus Auguſtinus. Humana natura modico contenta eſt,ſed conſuetudo multa addit: voluntas, atque voluptas plura copulauit. Si quis Deum perfectè diligeret, ſi carnalibus deſiderijs omnino renunciaret,multa reſecaret ſuperflua,quæ modo tenet quaſi neceſſaria. Diſcamus ergò Deum toto corde diligere, quatenus per ipſius amorem ſtudeamus, & contenti eſſe neceſſarijs, & ſuperflua reſecare. Vt dum, quod opus eſt vnicuiq; non negatur,ultra quod opus eſt à nemine requiratur. Charitas non quærit, quæ ſua ſunt, charitas communia proprijs anteponit. Charitas facit eſſe abiectum in domo Dei. Hanc ſi quiſquam perfectè poſſidebit, etiam ex eo quod opus erit ſibimetipſi reſecabit. Regula.

Si autem hinc inter uos contentiones, & murmura oriuntur :uſque: qui pro habitu corporis litigatis. Expoſitio.

HABITVS cordis ueſtri ſanctificatur per gratiam Dei,per inhabitationem Spiritus ſancti, quãdo ineſt pax, charitas,bonitas,humilitas, patiẽtia,concordia, mãſuetudo,& alia huiuſmodi.Hæ ſunt noſtræ interiores

diuitiæ, ſcilicet boni mores,& virtutes. Sed ſi incipimus inter nos contendere, murmurare, & litigare : ſtatim ab his ſpiritualibus bonis uacui remanemus. Virtutes enim cum uitijs remanere non poſſunt. Nam fermentum modicum, totam maſſam corrumpit. Hinc ſe debet quiſque probare, & ſolicitè penſare, quantum illi intus deſit. Et quàm magnum damnũ incurrit, qui pro rebus tranſeuntibus, hoc unde debet eſſe beatus, perdit. Valdè ergò nobis cauendæ ſunt lites, & contentiones, quia hæc ſunt opera carnis. Et ſicut ait Apoſtolus. Qui talia agunt, regnũ Dei non conſequuntur. Ideò nos admonet in alio loco, dicens. Nihil per contentiones, aut inanem gloriam, ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. Non ea quæ ſua ſunt ſinguli cogitantes, ſed ea quæ ſunt alterius. Plurimum enim ualent hæc duo ad remouendas lites, & generandam concordiam, cum quis ſe inferiorem omnibus iudicat, & ea quæ ſunt alterius, magis quàm ſua propria penſat. In his enim duobus humilitas, & charitas commendatur, quæ non ſolùm non diſcordare ſolent, ſed etiam diſcordantes ad concordiam reducere. Et quia hæc quæ dicta ſunt ad perfectiores pertinent, propter minus perfectos temperat ſententiam, cum ſubiungit. Regula.

Tamen ſi ueſtra toleratur infirmitas :uſque: habete, quod ponitis. Expoſitio.

VT uidelicet dum in communi loco reponitur, hoc ipſum, quod in proprium uſum ſuſcipitur, nõ proprium eſſe ſed commune credamus. Regula.

Ita ſanè, ut nullus ſibi aliquid operetur :uſque: quàm ſi uobis ſinguli propria faceretis. Expoſitio.

ET inde apoſtolicam ſententiam apponit, & exponit, dicens. Regula.

Charitas enim de qua ſcriptum eſt, &c. uſq;: non propria communibus anteponit. Expoſitio.

HAEC eſt cauſa, quare nullus ſibi operetur, ſed in communi fiant maiori ſtudio, & frequentiori alacritate,

critate,quàm ſi eſſent propria. (Hæc cauſa inquam) quia charitas non quærit,quę ſua ſunt,ſed communia proprijs anteponit. Si charitas Chriſti non quærit, quæ ſua ſunt, nullus noſtrum debet operari ſibi. Et ſi Chriſti charitas communia proprijs anteponit,ergò maiori ſtudio, & frequentiori alacritate debemus agere communia, quàm ſi eſſent propria. Maior eſt enim fructus charitatis, quàm proprietatis. Nam quòd oculus non uidit, nec auris audiuit, hoc præparauit Deus diligentibus ſe. Regula.

Et ideò quantò amplius rem communem,quàm propriam curaueritis, tantò amplius uos proficere noueritis, ut in omnibus quibus utitur tranſitoria neceſſitas, ſupereminеat, quæ permanet charitas.

Expoſitio.

TRANSITORIA quippè neceſſitas utitur temporalibus rebus, temporalibus ſtudijs, in quibus debet ſemper charitas eminere, qa nullus poteſt placere Deo, ſine charitate. In cunctis ergò,quæ agimus,neceſſe eſt,ut ſemper emineat charitas, quia ipſa eſt mater uirtutum, ipſa eſt radix omnium bonorum. Hæc eſt uia ſublimior, qua tenditur ad cœlum, de qua Paulus Apoſtolus ait. Adhuc excellentiorem uobis uiam demonſtro. Multum proficit in hac charitate, qui pro amore Dei, cuncta quæ huius mūdi ſunt deſpicit,nihil ſibi retinere appetit,quicquid habet in commune diuidit. Verè per excelſam uiā graditur,qui calcatis terrenis:mente,& deſiderio ad cœleſtia ſubleuatur. Charitas in amore Dei conſtat, & proximi.Amor autem Dei tribus modis exprimitur,ut nihil remaneat in homine,quod non diuinę dilectioni ſubdatur. Nam Deum præcipimur diligere ex toto corde,uidelicet ut oēs cogitationes noſtras referamus ad Deum. Ex tota mente,ut omnem rationem qua intelligimus, & diſcernimus, habeamus in ipſum. Ex tota anima,ut omnes affectiones animæ dirigamus ad Deum. In dilectione proximi, duo ſeruanda ſunt. Vt quod tibi non uis fie-

ri, alijs ne feceris. Et quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Ex hac gemina virtute dilectionis in proximum, omnes virtutes oriuntur, quibus, & vtiliter quæ ſunt appetenda cupimus, & quæ vitanda ſunt vitamus. Ex his duobus articulis congruè diligitur proximus, dum & beneficijs fouetur, & nulla malitia læditur. In omnibus ergò, quibus vtitur trãſitoria neceſſitas, debet ſemper eminere charitas. Quia quicquid agimus, aut loquimur, ad Dei charitatem debet reſpicere, aut proximi, vt in omni noſtra conuerſatione, noſtræ intentionis ſumma verſetur ſemper in charitate. In his autem duobus præceptis, tota lex pendet, & prophetæ. Regula.

Conſequens ergò eſt &c. vſq;: cui neceſſe fuerit præbeatur. Expoſitio.

IN communi enim vita nihil licèt occultè recipere, nihil proprium retinere, ſed ſi quid alicui datur, reddendum eſt præpoſito, vt cui neceſſe fuerit præbeatur. Sic extinguitur auaritia, ſi ſuperfluitas reſecatur. Sic nutritur charitas, & paupertas ſancta cuſtoditur, quia dum non licèt terrena retinere, cogitur animus cœleſtia cogitare. Sed ſunt quidam, qui grauiter conturbantur, cum ea quæ ab alijs ſuſcipiunt retinere non permittuntur. Amant munuſcula, delectantur in proprijs. Et ſæpè ex paruis, & vilibus rebus, tantò inardeſcunt deſiderio, vt earum occaſionibus concordiam fratrum ſoleant conturbare. Quod perſuaſione diabolica fieri, dubium non eſt. Calidus enim hoſtis, omnium mores nouit, & qualitates, atq; eorum affectus diſcernit, & in eo vnumquemque tentat, in quo ſe magis præualere cognoſcit. Nec curat vtrum ex magno, vel ex paruo decipiat, tantũ vt charitatem fratrum corrumpere valeat. Debemus contra hoſtem calidum cauti, & vigilantes eſſe, atque eius laqueos in omni rerũ materia præcauere, & omnia terrena quibus decipere poteſt, animi virtute calcare, vt poſ-

ſimus

ſimus cantare cum propheta. Laqueus cōtritus eſt,& nos liberati ſumus. Sed quia quidam in hoc capiuntur, ideo ſubiunctum eſt. Regula.

Quod ſi aliquis rem ſibi collatam cœlauerit, furti iudicio condemnetur. Expoſitio.

APOSTOLVS dicit. Fures,& latrones, regnum Dei non poſſidebunt. Furtum enim criminale peccatū eſt, ſicut ſcriptum eſt. Non adulterabis, nō furtum facies, non falſum teſtimonium dices,&c. Quia ergò inter criminalia mala deputatur: iuxta canonum ſententiam, ſic iudicari debet quiſque de furto, quomodo de adulterio, quomodo de homicidio, quomodo de falſo teſtimonio. Frater, qui rem ſibi collatam cœlauerit. Iudæ traditoris locum tenet in eccleſia ſancta, qui fur erat,& latro,& loculos habens, ea quæ mittebantur domino, aſportabat, & abſcondebat, qui tantò cupiditatis, & auaritiæ vitio exarſit, vt dominum ſuum, ſicut diabolus in cor miſerat, venderet,& traderet. Sed appetendo lucrū inuenit mortem, ſicut ſcriptum eſt. Dum ſitit lucrum, peruenit ad laqueum. Tales ſunt fructus auaritiæ. Caueāt ergò fratres, nè lucra appetant, nè quamlibet rem abſcōdant, nè dum (ſuadente diabolo) tam deteſtabilem perpetrāt culpam, iuſto omnipotentis Dei iudicio, mortis, & damnationis perpetuæ incurrant pœnam. Regula.

Indumenta veſtra, ſecundùm arbitrium præpoſiti lauentur &c. vſque: nimius appetitus. Expoſitio.

QVARE veſtimenta lauari ſecundùm arbitriū præpoſiti iuſſerit, ipſe idem cauſam exponit, nè videlicet, frater ſordes in animo contrahat, ſi vltra modum veſtes mundas habere concupiſcit, tantò enim quiſq; polluitur intus, quantò ad inanem gloriam foris mundatur. Curare ergò debent prçlati, nè per nitorem veſtium delinquant ſubditi. Non enim nitor veſtium, ſed morū honeſtas ornat clericum. Vnde Apoſtolus nos admonet, dicens. Nolite cōformari huic ſæculo, ſed reformamini in

nouitate ſenſus veſtri. Nam qui formam huius ſæculi appetunt, formā interioris hominis non requirunt. Et quātò exterior pulchritudo diligitur, tantò interior minus amatur. Hæc eſt autem vera, & ſpiritualis mūditia, quàm requirit in nobis Deus, dicens. Lauamini mundi eſtote. Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Non enim ait. Beati mundo corpore, ſed Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt: & ne quis putaret curam carnis ſimiliter eſſe reſecādam, adiungit. Regula.

¶ *De cura infirmorum, & imbecillium.*

Lauacrum etiam corporis; cum infirmitatis cogit neceſſitas, minimè denegetur &c. vſque: ſuæ cupiditati non obediatur. Expoſitio.

HAEC ſententia verbis apoſtolicis videtur concordare, quę carnis curam fieri prohibet in deſiderijs, non in neceſſitate. Multum enim intereſt inter neceſſitatem, & cupiditatē. Nam quod ex neceſſitate eſt, vtile eſt. Quod autem ex cupiditate, vitium eſt. Sunt autem quidā qui dicunt religioni non competere corporalem medicinam. Sed ſi diligenter attenderent ipſi recognoſcerēt, quia hoc quod manducamus, & bibimus, quod veſtibus operimur, & terrenis rebus ad neceſſitatem vtimur, corporis medicina eſt. Regula.

Fiat ergò ſine murmure de conſilio medicinæ. Expoſitio.

ET benè ait, vt nolens in neceſſitate cogatur, & volens ex cupiditate reprimatur, quia neceſſitati (non cupiditati) obediendum eſt. Nam aliquando etiam ſi noceat prodeſſe creditur, quod delectat. Ecce quare homo ſuæ cupiditati obedire non debet, quia ſæpè ſic ipſe ſua cupiditate decipitur, vt credat id ſibi prodeſſe quod nocet. Sic fallit homines mala cupiditas, ſic ſimulat bonum eſſe, quod malum, & pernitioſum eſt. Ecce quare adeò damnant cupiditatem ſacræ ſcripturæ, & carnalem delectatio-

ctationem, quia ad mortem trahunt homines, dum ipſi neſciunt. Aliquando etiam ſi noceat, prodeſſe creditur, quod delectat. Si iuxta Apoſtoli vocem oportet nos abſtinere à carnalibus deſiderijs, quę militant aduerſus animam, quia caro quidem concupiſcit aduerſus ſpiritum. Sed per diſciplinam ſpiritus, reprimenda eſt concupiſcentia carnis. Sed ſunt quidam, qui rigorem ſpiritus, alij qui molliciem carnis, ſupra modum ſectantur. Illi dum ſpiritualiter viuere appetunt, aliquando cũ vitijs, & carnem extinguunt. Sed ſciẽdum eſt, quia virtus ſi modum non habeat, in vitium vertitur. Illi verò, qui carnaliter volunt viuere, cum cura carnis ſtudent, & propria deſideria nutrire, ponendus eſt ergò vtriſque modus, & cogendi ſunt illi facere, quod faciendum eſt pro ſalute. Hi verò reprimendi ſunt, nè faciant quod carnaliter concupiſcunt. Salus quidem corporis, ad ſeruiendum Deo, ſeruanda eſt, cupiditas verò carnis, extinguenda eſt. Et quia de manifeſta infirmitate locutus eſt, de latenti dolore ſubiungit, dicens. Regula.

Denique ſi latens eſt dolor :vſque: ſine dubitatione credatur. Expoſitio.

IVRE enim credendum eſt illi, quem boni mores, & conuerſatio ſancta, famulum Dei eſſe commendant. Non enim ex ore loquentium cognoſcitur veritas, aut falſitas, ſed à fructibus eorum cognoſcetis eos, dicit dominus. Non ſunt fallaces, non ſunt duplices, non ſunt ex illis qui in corde, & ore, locuti ſunt falſa. Famuli Dei quales ſunt in corde, tales ſunt in ore. Bona vita fidem dat verbis. Mala vita ipſam etiam veritatem facit eſſe ambiguam. Sine dubitatione ergò credatur eis, qui ſine dubitatione ſunt boni. Alio modo. Regula.

Si latens eſt dolor :vſque: ſine dubitatione credatur. Expoſitio.

FAMVLVS enim Dei, timet Deum offendere, non ſolùm in opere, ſed etiam in ſermone. Tales nos

 exhi-

exhibere debemus, vt quicquid dixerimus, ſine dubitatione credatur. Vita debet commendare ſermonem, & opera bona teſtimonium perhibere veritati, ſicut Saluator noſter, de ſe dicit. Si mihi non creditis, operibus credite. Opera (inquit) quæ facio, ipſa teſtimonium perhibẽt de me. Multi enim ſunt, quibus non creditur etiam ſi verum dicant, quia enim mali ſunt, aut in ſuſpitione habentur nè mali ſint. Si vita ſine ſuſpitione cęperit eſſe bona, mox uerba noſtra, ſine dubitatione credentur eſſe uera. Quantò quiſq; minus bonus eſt, tantò minus ei creditur. Quantò cœperit eſſe religioſior, tantò uerbis eius maior fides præſtatur. Et quia infirmitatis neceſſitas, aliquando appetit ea quæ ſibijpſi ſunt cõtraria, ideò adiungit. Reg.

Sed tamen utrum ſanando illi dolori, quod delectat expediat, ſi non eſt certum, medicus conſulatur. Expoſitio.

CREDENDVM eſt eorum uerbis, nec tamen ſtatim acquieſcẽdum eſt eorum deſiderijs. Nam, & famulos Dei, illicita tentant deſideria, ergò (ſi non eſt certum) medicus conſulatur. Quæratur ille, qui de incerto, faciat certum. Nec mirum, ſi medicorum conſilia quærimus, cũ Apoſtolum Paulum conſilio medicinæ uſum fuiſſe legamus. Nam per epiſtolam diſcipulo ſuo Timothæo præcepit dicens. Modico uino utere, propter ſtomachũ, & frequentes tuas infirmitates. A rigore ergò abſtinentiæ, diſcretus magiſter diſcipulũ temperat, nè ſcilicet frequentibus paſſionibus fractus, bono prædicationis elangueſcat. Bonum quippè erat, ut diſcipulus ex infirmitate patientiæ fructum redderet. Sed utilius eſſe prouidebat Apoſtolus, ſi uſu medicinæ, aliquantulum cõualeſcens animas Deo lucrifaceret. Ex diuerſis autem bonis, utiliora eligenda ſunt. Hac autem auctoritate fulti, ad hoc medicinam corporalem quærere debemus, ut indè maiorem fructum domino referamus. Regula.

Nec eant ad balnea: uſque: ire debebit. Expoſitio.

Pro-

PRovideamvs bona (ait Apoſtolus) non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Propter nos, conſcientia bona ſufficit nobis, propter alios, fama noſtra: nō pollui, ſed pollere debet in nobis. Qui fidens conſcientiæ ſuę, negligit famam ſuam, crudelis eſt, maximè in hoc loco poſitus. De quo dicit Apoſtolus ſcribens ad diſcipulum ſuum. Circa omnes, teipſum bonorum operum præbe exemplum. Rurſus alibi dicit. Spectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus. Qui nos amant, quærunt quid in nobis laudent. Qui verò nos odiunt, detrahunt nobis. Nos autem in vtroq; medio cōſtituti, adiuuante domino noſtro Ieſu Chriſto, & vitam noſtram, & famam, ſic cuſtodire debemus, vt nō erubeſcant de detractoribus laudatores. Simul ergò ire debent duo, vel tres, & propter ſolatium, & propter bonæ famæ teſtimonium. Vnde Salomon ait. Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuantem. Sed ſi fuerint duo fouebuntur mutuo. Benè autem ait (cum quibus præpoſitus iuſſerit, ire debebit) ſcilicet, vt à prælato prouideatur ſecuritas perſonæ, & à ſubdito ſeruetur virtus obedientiæ. Regula.

Aegrotantium cura, ſiuè poſt ægritudinem reficiendorum, ſiuè aliqua imbecillitate, ſiuè etiam febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipſe de cellario petat, quod cuique opus eſſe proſpexerit. Expoſitio.

ELigendvs eſt frater timens Deum, qui circa infirmos curam maximā gerat. Et quod opus eis fuerit, miniſtrare eis ſtudeat. Et eo ſtudio, & affectu eis deſeruiat: ac ſi ipſi domino Ieſu Chriſto deſeruiret. Ipſe enim dicturus eſt in iudicio. Infirmus fui, & viſitaſtis me. Et iterū. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Debent ergò fortiores, imbecillitatem portare infirmorū. Sic enim diuina charitas adimpletur, teſte Apoſtolo, qui ait. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legē Chriſti.

Chriſti. Lex Chriſti, eſt dilectio. Dilectionis officium eſt, inuicem onera noſtra portare. Diuerſa verò tempora, & diuerſæ infirmitates faciunt, vt onera noſtra portemus inuicem. Nihil autem ſic probat amicum, quàm oneris amici portatio. Sed & ipſe infirmus cui pro Dei amore ſeruitur, debet penſare, & ſummopere cauere, nè ſuperfluitate ſua, aut impatientia, ſibi ſeruientem contriſtet. Studeat autem Deo gratias agere, nè infirmitas, quæ data eſt ei ad purgationem animæ, vertatur ad augmentum culpæ. Regula.

¶ *De adminiſtratione ciborum, veſtium, & librorum.*

Siuè autem, qui cellario, ſiuè qui veſtibus, ſiuè qui codicibus præponuntur, ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis. Expoſitio.

TALES ſe exhibeant, vt ea charitate fratribus ſuis deſeruiant, nè ipſi de miniſterio ſibi commiſſo peccent in murmure, nec alios per ſuam negligentiã faciant murmurare. Graue peccatum eſt murmuratio, teſtante Gregorio, qui ait. Regnum cœlorum nullus, qui murmurat accipit: nullus, qui accipit murmurare poterit. Et Salomon. Præcordia fatui, ſicut rota carri, carrum fœnum portat, & murmurat. Tales ergò ſunt multi fratres in congregatione, qui carni ſubditi, non ceſſant à murmuratione. Apoſtolus. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Quare à ſerpentibus? Niſi quia ſerpens uenenoſus eſt, & omnis, qui murmurat, uenenũ diaboli habet in lingua. Iacobus. Lingua inquietum malum, plenum ueneno mortifero. Cauendum eſt ergò nobis a murmure, nè mortifero, & diabolico ueneno pereamus. Regula.

Codices certa hora ſingulis diebus petãtur, extra horam, qui petierit, non accipiat. Expoſitio.

SVPERIVS præcepit orationibus inſtare, horis, & temporibus conſtitutis. Tempora ergò ſunt diſtinguenda,

guenda, quibus debemus orare, & quibus debemus legere. De opere quoque alibi admonet, ut nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera ueſtra in unũ fiant. Hæc tria commendat nobis Regula, quæ animæ noſtræ ualde ſunt neceſſaria (ſcilicet) orationem, lectionem, & operationem. Nam oratione mundamur, lectione inſtruimur, operatione beatificamur, ſicut Spiritus ſanctus dicit in Pſal. Labores manuum tuarum, quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit. Quod autem dicit, ut Codices ſingulis diebus petantur, frequentia legendi commendatur. Frequenter debet legere ſeruus Dei. Valde enim eſt utilis diuina lectio. Nam per lectionem diſcimus quid caue re, quid agere, quò tendere debeamus. Hinc Pſal. ait. Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Per lectionem ſenſus, & intellectus augentur. Lectio, oratio, & operatio, ad cõtemplatiuam nos uitam inſtruit, & actiuam. Ideò in pſalmo legitur. Beatus uir, qui in lege domini meditatur die, ac nocte. Hæc ſunt arma (uidelicet) lectio, oratio, & operatio, quibus diabolus expugnatur. Hæc ſunt inſtrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis uitia comprimuntur, his alimentis uirtutes nutriuntur. Sed & ſi à lectione ceſſatur, debet manuum operatio ſubſequi, quia ocioſitas inimica eſt animę, & antiquus hoſtis quem à lectione, ſiuè ab oratione uacantem inuenerit, facilè ad uitia rapit. Per uſum namque lectionis, diſcetis qualiter, & uos uiuatis, & alios doceatis. Per manuum operationem, & corporis macerationem, & uitijs alimenta negabitis, & ueſtris neceſſitatibus ſubuenietis, & habebitis: unde neceſſitatem patientibus aliquid porrigatis. Regula.

Veſtimenta uerò, & calciamenta, quando fuerint indigentibus neceſſaria, dare non differãt, ſub quorum cuſtodia ſunt, quæ poſcuntur. Expoſitio.

HOc eſt, quod ſuperius dictum eſt, ut ſine murmure ſeruiant fratribus ſuis. Nam quando differunt neceſſa-

neceſſaria dare, faciunt fratres murmurare, & fiunt occaſiones peccati. Studeant ergò ſeruire fratribus ſuis propter Deum, neceſſaria congruis temporibus miniſtrare. Et hoc faciant ſine murmure, ſine triſtitia, ſine dilatione, cum gaudio, & hilaritate, quia hilarem datorem diligit Deus, vt omne quod opus eſt eis, ſecundùm modum congregationis, & pòſſibilitatem loci habeant, & eis qui ſeruiunt, fit maior exinde merces à domino. In indumentis verò, & calciamentis clericorum, congruus ſeruãdus eſt modus, nè pretioſa, vel nitida ſint ſupra modum, aut nimis abiecta, & vilia, nec habẽtia compoſitionem pluſquã decet, nec incompoſitionem vltra, quàm oportet. Talia ergò ſint, vt religionem ſimul commendent, & honeſtatem. Caueant ergò fratres, quibus neceſſaria miniſtrantur, nè quid expetant importunè, aut quod non deceat eorum religionem. Nam quicquid ſuperfluum habent, mortiferum eſt illis. Perpendant ergò, quoniam ea quæ expendunt, oblationes ſunt fidelium pro redemptione peccatorum. Et ideò non glorientur talibus vti, ſed magis timeant, quod in veteri teſtamento de Sacerdotibus dictum eſt, iniquitatẽ populi eos debere portare. Et ideò cum magno timore ſoliciti ſint ſuper eos, quorum donis participant, quia magnum eſt periculũ. Salubrius eſt autem pauperibus Chriſti (ſicut iam prædictum eſt) ſemper minus egere, quàm plus habere. Nam vnde pauperes erimus, niſi penuriam propter Deum, æquanimiter portemus? Quantum ergò meminimus nos illicita commiſiſſe, tantum oportet à licitis abſtinere. Per anguſtã enim portam intrare debemus, vt ad latitudinem cœleſtium gaudiorum pertingere valeamus. Nam quantò arctiorem vitam hic agimus, tantò maiorem gloriam poſſidebimus in cœlo. Regula.

Lites autem nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, nè ira creſcat in odium &c. vſque: qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Expoſitio.

Sic

SIc paulatim creſcunt vitia. Sæpè cum ab ocioſo verbo linguã reſtringere nolumus, ad noxia dilabimur, inde aliquãdo ad murmura, & detractiones decidimus, plerunque etiam vſque ad lites, & contentiones, inde ad iram, & odium (& iuxta Salomonis vocem) dum negligimus corrigere minima, prolabimur ad maiora. Dum ergò vitiũ ex vitio oritur, iniquitas prolõgatur. Hinc propheta ait. Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Et Pſal. Prolongauerunt iniquitatem ſuam, dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum. Primum eſt ergò omnino cauendum peccatum. Melius eſt enim præcauere, quàm emendare. Quòd ſi per fragilitatem peccare contigerit, facilè culpa corrigitur, quæ citò cognoſcitur. Hinc eſt, quod dominus de muliere ad ſerpentem dicit. Ipſa conteret caput tuum. Caput ſerpentis conteritur, quando peccatum ibi corrigitur, vbi naſcitur. Debet ergò quiſq; eſſe ſolicitus, vt mox ibi ſe ſtudeat emendare, vbi ſe nouerit deliquiſſe. Quantum intereſt inter feſtucam, & trabem, tantum intereſt inter iram, & odium. Odiũ enim eſt inueterata ira, quæ quaſi ex vetuſtate tantum accepit, vt meritò trabes appellaretur. Fieri enim poteſt, vt ſi iraſceris homini, velis etiam corrigi, ſi autem oderis, non potes eum velle corrigere. Per iram mentis oculus turbatur, per odium, etiam extinguitur. Vnde Apoſtolus. Qui odit fratrem ſuũ, in tenebris eſt. Nulli iraſcenti ira ſua videtur iniuſta. Vnde de omni indignatione, citò redeundum eſt, ad manſuetudinis lænitatem. Nã pertinax motus, facilè in eius odium tranſit, cui non celeriter ignoſcitur. Vnde ſubditur. Regula.

¶ *De venia petenda, & iniurijs remittendis.*

Quicunque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, aliquem læſerit, meminerit ſatisfactione, quàm citius curare quod fecit, & ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Expoſitio.

Gra-

GRAVITER offendit, qui conuitio, vel maledicto aliquem lędit. Apoſtolus ait. Maledici regnum Dei non poſſidebunt, & dominus in euãgelio. Qui dixerit fratri ſuo fatuæ, reus erit gehennæ ignis. Debet ergò ſicut grauiter deliquit, grauiter pœnitere, atq; ab eo quem læſit, toto corde, tota humilitate, veniam poſtulare. Et ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Iſidorus. Qui fratrem ſuum tardius reconciliat, Deum ſibi tardius placat. Fruſtra enim ſibi Deum reconciliari, atque propitiari quærit, qui citò placari proximo negligit. Sed ſunt quidam, qui de ſuis meritis confidentes, pigrè in ſe delinquentibus veniam præſtãt, ſed nihil proficit eſſe illæſum à culpa, qui non eſt paratus ad veniam, dum potius hæc magna ſit culpa, quando tardius relaxantur fraterna delicta. (Veritate teſtãte) didicimus, quia ſeruus qui decem milia talenta debebat cum pœnitentia ageret, abſolutionem debiti à domino accepit. Sed quia cõſeruo ſuo (centum denarios ſibi debenti) debitũ non dimiſit, & hoc iuſſus eſt exigi, quod ei fuerat iam dimiſſum. Ex quibus verbis cõſtat, quia ſi hoc quod in nobis delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rurſum exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus. Reg.

Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem ſibi debita relaxare debebunt &c. vſque: tantò ſanctiores habere debetis. Expoſitio.

QVOTIDIE dicimus in oratione Deo, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quod ſi debitoribus noſtris (ideſt eis, qui in nos peccant) non dimittimus, cum dicimus Deo, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus, ipſa noſtra oratione inculpamur, & Deum aduerſum nos ad iracundiam incitamus, & ipſi ſuper nos inducimus maledictionem, potius quàm benedictionẽ. Sicq; fit, vt oratio, quæ debebat nobis eſſe ſalubris ſit noxia, & peccata noſtra, quæ debuimus minuere orando augeamus. De quotidianis

tidianis autem læuibus breuibuſq; peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfaciet. Eorum eſt enim dicere Pater noſter, qui es in cœlis, qui iam tali patri regenerati ſunt, ex aqua, & Spiritu ſancto. Delet omnino hæc oratio, minima quotidianaq; peccata. Delet, & illa quibus, & vita fidelium etiam ſceleratè geſta (ſed pœnitendo in melius mutata) diſcedũt. Sed quemadmodum veraciter dicitur, dimitte nobis debita noſtra, quoniam non deſunt, quæ dimittantur, ita veraciter dicatur, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Ideſt fiat, quod dicitur, quia & ipſa elemoſina eſt, veniam petenti homini ignoſcere. Multa quidẽ genera ſunt elemoſinarum, quę cum facimus adiuuamur, vt dimittantur nobis peccata noſtra. Sed ea nihil eſt maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quiſque peccauit. Minus malũ eſt erga eum beneuolam eſſe, ſiuè etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit. Illud multò grandius, & magnificentiſſimæ bonitatis eſt, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult ſemper bonum velis, facias quoq; quod poſſis audiens dicentem Ieſum. Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro ijs, qui vos perſequuntur. Sed perfectorum ſunt iſta filiorum Dei, quo ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum orando Deum, & ſecũ agendo luctandoq; perducere. Tamen quia hoc magnũ bonum tantæ multitudinis non eſt, quantum nos credimus exaudiri, cum in oratione dicitur, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, proculdubiò ſponſionis huius verba implentur, ſi homo qui nondum ita proficit, vt etiam diligat inimicum, tamẽ quando rogatur ab homine qui peccauit in eum, vt ei dimittat, dimittit ex corde, quia etiam ſibi roganti vtique vult dimitti, cum orat, & dicit: dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ideſt ſic dimitte nobis rogantibus debita noſtra, ſicut & nos dimittimus rogantibus

tibus debitoribus noſtris. Iam verò, qui eũ in quem peccauit hominem rogat, ſi peccato ſuo mouetur, vt roget, non eſt adeò deputandus inimicus, vt eũ diligere ſit difficile, ſicut difficile erat, cum inimicitias exercebat. Quiſquis autem (roganti, & peccata ſua pœnitenti) ex corde non dimittit, nullo modo exiſtimet à domino peccata ſua dimitti, quoniam mentiri veritas non poteſt, quæ ait: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis, & pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis debita veſtra. Regula.

Melior eſt autem, qui quamuis ſæpè tentetur ira, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam &c. vſque: tardius inclinatur. Expoſitio.

NONNVLLOS ira citius accēdit, & facilius deſerit, nõnullos verò tardè commouet, ſed durius tenet. Alij autem (quod nequius eſt) & citius iracũdiæ flammas ſuſcipiunt, & tardius deponunt. Nõnulli verò has, & tardius ſuſcipiunt, & citius amittunt, in quibus nimirũ quatuor modis liquido lector agnoſcit, quia ad tranquillitatis bonum vltimus pluſquam primus accedit, & in malo ſecundùm tertius ſuperat. Quanta ſit ergò iracundiæ culpa penſemus, per quam dum manſuetudo amittitur, ſimilitudo ſupernæ imaginis vitiatur. Per iram itaq; ſapientia perditur, vt quid quove agendum ſit ordine omnino neſciatur. Per iram iuſtitia relinquitur, ſicut ſcriptum eſt. Ira viri iuſtitiam Dei non operatur. Per iram gratia vitæ ſocialis amittitur, ſicut ſcriptum eſt. Noli eſſe aſſiduus cũ homine iracundo, nè fortè diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuę. Nam qui ſe ex humana ratione nõ temperat, neceſſe eſt, vt beſtialiter ſolus viuat. Aliquando autem ira manus non exerit, ſed in maledictionis iacula linguam vertit. Nonnunquã verò dum accenſus animus à conſueta locutione reſtringitur, per acceſſum temporis

poris à proximi dilectione ſeparatur, & acriores ſtimuli ad mentem veniunt, cauſæq; quæ grauius exaſperent oriuntur, atq; in irati oculo feſtuca in trabem vertitur dũ ira in odium permutatur. Veremur ſæpè à proximis deſpici, dedignamur iniurias verbi tolerare. Si contingat iurgium fortaſſe cum proximo, erubeſcimus priores ſatisfacere. Cor quidem carnale dum huius vitæ gloriam quærit, humilitatem reſpuit, & plerunque ipſe homo, qui iraſcitur diſcordanti ſibi reconciliari appetit, ſed ire ad ſatisfaciendum prior erubeſcit. Penſemus ergò facta capitis noſtri, vt videamus quo iaceant noſtræ prauitatis errores. Ecce inter nos, & Deum, peccando diſcordiam fecimus, & tamen ad nos Deus ſuos legatos prior miſit, vt noſipſi qui peccauimus ad pacẽ Dei reuocemur. Erubeſcat ergò humana ſuperbia, & confundatur quiſque ſi non ſatisfaciat proximo, quando poſt culpam noſtram (vt ei reconciliari debeamus) & ipſe qui offenſus eſt, legatis interuenientibus obſecrat Deus. Regula.

Qui autem non vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiam ſi indè non proijciatur. Expoſitio.

CVm dominus tantum curæ recõciliationis noſtræ habeat, vt patiatur munera ſua derelinqui ante altare, & imperfecta manere, atque interrumpi miniſteria ſua, donec eas, & reſoluas iracundiam, & diſiungas inimicitias cũ fratre tuo, nec nos ipſum erubeſcimus, ſed dies multos patimur manere inimicitias, & trahimus (ſicut funem longam) diſcordiam. Nõ iracundos tantum, & malitiæ memores punit Deus, ſed & eos qui iraſcentes, aut offenſos negligunt, atq; contemnunt, quoniam quidem hi qui paſſi videntur iniurias, neceſſariò dolẽt, & iraſcũtur, qui verò fecerunt, nec doloris aliquid, nec iracundię gerunt. Ob hoc ergò hunc qui ab iracundia liber eſt, adducit ad illum qui in dolore eſt, & liber nõ eſt, oſtẽdens quia criminis huius noxa penès hũc magis eſt, quoniam

cauſam peccati dedit, ſed nec ſic quidem emendamur. Perſiſtimus enim pro rebus nullis contriſtare fratres noſtros,& quaſi nil mali fecerimus, ſatisfactionem negligimus,& obliuioni tradimus culpam,atq; in longum tempus protrahi patimur, ignorantes, ꝙ tantò largior nobis erit pœna,quantò longior diſcordia. Vbi enim amicitia permanet,nihil facilè recipitur, nihil facilè creditur, qđ diſſidium poſſit operari,ſi verò ſemel inimicitiæ occupauerint,omnia quæ fiunt,quę dicuntur, quę audiuntur,ita accipiuntur,ita negliguntur,vt ad maiores, & longiores proficiant inimicitias. Si quid autem mali,hoc ſolùm creditur, & confirmatur. Iubet ergò dominus relinqui donum ante altare,& prius reconciliari fratri,vt ex hoc diſcamus, quia ſi nec illo tempore (quò ad miniſteriū Dei iubemur accedere) reconciliationem diſſimulari,ac differri patitur Deus, quantò magis curari hæc in alijs temporibus.Si fortè accidat iraſci,mandatur, vt ſub die, aut iracundiam noſtram,vel inimicitias noſtras finiamus. In hoc conſtringimur præcepto,quo ait.Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nos ècontra,nec hoc contenti ſumus, vt iracūdiam vltra ſolis terminum producamus, ſed & inſidias inuicem inſtruimus, ſiuè rebus,ſiuè verbis ſupplantare cupientes proximos,mordentes inuicem,& comedentes,quod vtiq; aperta inſania eſt.Quid enim aliud faciunt inſani,& dæmonę repleti,niſi ꝙ membra ſua morſibus dilaniant? Fruſtra eſt ergò in monaſterio, qui diſcordat cum fratre ſuo,quia nec Deū placat ſacrificijs, nec proficere valet operibus bonis. Regula.

Proindè vobis à verbis durioribus parcite. Expoſitio.

SALOMON. Reſponſio mollis frangit irā, ſermo durus excitat furorem. Itemq; dulce verbum inimicos mitigat,& amicos multiplicat. Et Paulus. Vos,qui ſpirituales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lænitatis. Caueant ergò viri ſancti à verbis duris. Regula.

Quæ

Quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro :vſque: facta ſunt vulnera. Expoſitio.

PRIMVM quidem ſummopere caueamus, nè duris verbis aliquem conturbemus. Quòd ſi aliquando peccamus ex fragilitate, oportet continuò ad ſatisfactionem venire. Et contra ſermonem durum, proferre dulcem, atq; placabilem, vt vulnus commotionis, ſanet medicina humilis confeſſionis. Sed (ſicut prædiximus) melius eſt ante cauere vitium, quàm poſtea emendare commiſſum. Ideò ſeruus Dei, debet ſemper ponere cuſtodiã ori ſuo, vt non delinquat in lingua ſua, & tunc maximè, quando aduerſus eum conſiſtit peccator, uidelicet aliquis calumnioſus, ac iniurioſus, ſicut ſunt multi ſuperbi, & inuidi, qui nõ ceſſant irritare famulos Dei. Ergò ſi eſt tibi intellectus, reſponde proximo tuo. Sin autem, ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris verbo indiſciplinato, & confundaris. Regula.

Quando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coercendis, dicere vos dura verba compellit &c. vſq;: regendi frangatur auctoritas. Expoſitio.

PLERVNQVE hoc magnis doctoribus contingit, vt dum coacta correctione feruent, modum correctionis exaggerent, & lingua aliquid quod non debet dicat, quia mentem dilectio, quantũ debet non inflammat. Vnde per Moyſen dominus præcepit dicens. Si quis abierit cum amico ſuo ſimpliciter in ſiluam ad cedẽda ligna, & in ſucciſione lignorum ſecuris fugerit manum, ferrumq; lapſum de manubrio, amicum eius percuſſerit, & occiderit: hic ad vnam ſupradictarum vrbiũ fugiet, & viuet, nè fortè proximus eius cuius eſt effuſus ſanguis, doloris ſtimulo perſequatur, & apprehendat eum, & percutiat animam eius. Ad ſiluam quippè cum amico imus, quotiens cum quolibet proximo, ad intuenda delicta cõuertimur, & ſimpliciter ligna ſuccidimus cum delinquentium vitia, pia intentione reſecamus. Sed ſecuris manum fugit,

cum ſeſe increpatio pluſquam neceſſe eſt, in aſperitatem protrahit, ferrumq; de manubrio proſilit, cum de correctione ſermo durior excedit, & amicum percutiens occidit, quia auditorem ſuũ prolata contumelia à ſpiritu dilectionis interficit. Correcti namq; mens, ad odium proruit, ſi hũc immoderata increpatio pluſquam debuit addicit. Sic is, qui incautè lingua percutit, & proximum extinguit, ad tres neceſſe eſt vrbes fugiat, vt in vna earum defenſus viuat. Quia (ſi ad pœnitentiæ lamenta conuerſus) in vnitate ſacramenti ſub ſpe, fide, & charitate abſcõditur, reus perpetrati homicidij non tenetur, eumq; (extincti proximus) cum inuenerit non occidit, quia & cum iuſtus iudex, qui ſeſe pro nobis per naturæ ſuæ conſortium coniunxit, ab eo proculdubiò vindictam de culpæ reatu non expetit, quem ſub eius venia, fides, ſpes, & charitas abſcondit. Ideò ſubiungitur. Regula.

Sed tamen petẽda eſt venia ab omnium domino, qui nouit eos, quos plus iuſto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. Expoſitio.

ALIQVANDO exceditur modus zelo malitiæ, aliquando zelo iuſtitiæ, plerunq; ex ſtudio per deliberatam locutionem, plerunq; per exceſſum locutionis. Dominus verò non tam attendit ſermonem, quàm intẽtionem. Citius verò culpa dimittitur, quæ nequaquam malitiæ ſtudio perpetratur. Regula.

Non autem carnalis, ſed ſpiritualis, inter vos debet eſſe dilectio. Expoſitio.

SVNT nonnulli qui diligunt proximos, ſed per affectum cognationis, & carnis, quibus tamẽ in hac dilectione, ſacra eloquia non contradicunt. Sed aliud eſt q͛d ſpontè impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ. Hi nimirum, & proximum diligunt, & tamen illa ſublimia dilectionis p̄mia non aſſequuntur, quia amorem ſuum non ſpiritualiter, ſed carnaliter impendunt. Omnipotentis Dei eſſe diſci-

diſcipulos ſola cuſtodia charitatis probat. Vnde ipſe ait: In hoc cognoſcent omnes, quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Quæ dilectio ſi cor noſtrum ueraciter replet, duobus modis oſtendi ſolet, ſi amicos in Deum, & inimicos diligimus propter Deum. Sæpè in dilectionis imagine erga inimicum animus fallitur, ſeq; illum diligere falſo arbitratur. Sed tunc inimici dilectio ueraciter cuſtoditur, cum nec de profectu triſtamur, nec de ruina illius lætamur. A duobus quidem p̄ceptis incipit charitas, ſed ſeſe ad innumera extendit. Huius namque initium, dilectio eſt Dei, & proximi, ſed Dei dilectio per tria diſtinguitur, quia ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine conditor diligi iubetur. Qua in re notandum eſt, quòd diuinus ſermo, cum Deum diligere præcipit, non ſolùm narrat ex quo, ſed etiam informat ex quanto, cum ſubiungit. Ex tota fortitudine, ut uidelicet, qui perfectè Deo placere deſiderat, ſibi de ſe nihil relinquat. Proximi autem dilectio ad duo præcepta deriuatur. Vnde dicitur. Quod tibi non uis fieri, uide ne tu alteri facias. Et per ſemetipſam ueritas dicit. Quæ uultis, ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Quibus duobus (ſcilicet utriuſque teſtamenti) mandatis: per unum malitia compeſcitur, per aliud benignitas prorogatur, ut quod non uult malum pati quiſq; non faciens, ceſſet à nocendi operę. Et rurſum, bonum quod ſibi appetit, impendēs ad utilitatem proximi, exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo, dum ſolicita intentionę cogitantur, cor ad innumera uirtutū myſteria tenditur, nè uel ad inferenda, quæ nō debet in deſiderijs inquieta mens ferueat, uel erga exigenda, quæ non debet ocio reſoluta torpeſcat. Nam cum cauet alteri facere, qđ nequaquam uult ab altero tolerare, ſolicita ſe intentione circunſpicit, nè ſuperbia ſe eleuet, & uſque ad deſpectum proximi, animum deijciens exaltet. Nè ambitio cogitationem laniet, cumq; hanc ad appetenda aliena dila

tat, anguſtet, nè cor luxuria polluat, & ſubiectum deſide rijs per illicita corrumpat. Nè ira exaſperet, & vſque ad proferendam contumeliam inflammet. Nè inuidia mordeat, & alienis fœlicitatibus, ęmula ſua ſe face conſumet. Nè immoderatè linguam loquacitas protrahat, eamque vſque ad laſciuiam detractionis extendat, nè odium malitia excitet, & os vſq; ad iaculum maledictionis irritet. Rurſumq; cum cogitat, ut ea alteri faciat, quæ ſibi ab altero fieri expectàt: nimirum, ut malis bona, ut bonis meliora reſpondeat, ut erga procaces, manſuetudinem longanimitatis exhibeat, ut malitiæ peſte languentibus, gratiam benignitatis impendat, ut diſcordes pace muniat, ut concordes ad concupiſcentiam ueræ pacis accendat, ut indigentibus, neceſſaria tribuat, ut errantibus, uiam rectitudinis oſtendat, ut afflictos uerbo, & compaſſione mulceat, ut accenſos in huiuſmodi deſiderijs, increpatione reſtringat, ut minas potentium, ratiocinatione mitiget, ut oppreſſorũ anguſtias, quanta præualet ope leuet, & foris obſiſtentibus opponat patiẽtiam, ut intus ſuperbientibus, exhibeat cum patientia diſciplinam, ut erga ſubditos ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à iuſtitiæ ſtudio nõ declinet, ſed ad ultionem zelus ferueat, nè tamen pietas limitem feruendo tranſcendat, ut ingratos quoſque miniſterijs in amorem ſeruet, ut proximorum mala (cum corrigere non ualet) taceat, ut quæcunq; corrigi poſſunt conſenſum eſſe ſilentio pertimeſcat, ut ſic ea quæ tacet toleret, nec tamen in animo uirus doloris occultet, ut ſic maleuolis munus benignitatis exhibeat, nec tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat, ut contra proximos, quæ præualet impendat, ſed impendendo non timeat, ut ſic in bonis, quæ exhibet timoris præcipitium caueat, nec tamen, & boni exercitio torpeſcat, ut ſic quæ poſſidet tribuat, ut quanta ſit largitas remunerãtis attendat, nè cum terrena largitur, ſuam pluſquam neceſſe eſt inopiam cogitet. Et in oblatione mune

ris,

ris,charitatis lumen,triſtitia obſcuret.Benè ergò lex Dei multiplex dicitur,quia nimirum unà eademq; charitas ſi mentem plenè cœperit,ad innumera opera multiformiter accendit.Multiplex ergò iſta lex eſt Dei,quę ſingulis hic rerum articulis non permutata congruit, & cauſis ſe uariantibus non uariata coniungit. Cuius nimirum legis multiplicitatem benè Paulus oſtendit dicens. Charitas patiens eſt, benigna eſt &c. Regula.

¶ *De obedientia.*

Præpoſito tãquam patri obediatur, multò magis presbytero, qui omnium ueſtrum curam gerit. Expoſitio.

OBEDIENTIA ſola uirtus eſt,quæ cæteras uirtutes menti inſerit,inſertaſque cuſtodit.Samuel.Melior eſt obedientia, quàm uictimæ, quia per uictimas aliena caro,per obedientiam uerò uoluntas propria religatur. Salomon. Vir obediens loquitur uictorias,quia dum uoci alienæ humiliter ſubdimur, nos in corde ſuperamus. Nobis quippè obedientia uſq; ad mortem ſeruãda præcipitur.Per obedientiam malum nunquam fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur, intermitti. Sed quia nõnunquam nobis huiuſmodi proſpera, nonnunquam uerò iubentur aduerſa. Sciendum ſummopere eſt,quòd obedientia aliquando, ſi de ſuo habeat aliquid,nulla eſt, aliquando autem ſi de ſuo non habeat aliquid,minima eſt. Nam cum huius mundi ſucceſſus præcipitur, cum locus ſuperior imperatur. Is qui ad percipienda hæc ex proprio deſiderio anhelat, obedientiæ ſibi uirtutem euacuat. Rurſum cum mundi deſpectus præcipitur,cum probra,& contumelię adipiſci iubentur, niſi hęc ex ſemetipſo animus appetat,obediẽtię ſibi meritum minuit, quia ad ea quæ in hac uita deſpecta ſunt inuitus nolenſque deſcendit. Debet ergò,& obedientia in aduerſis aliquid de ſuo habere, & rurſum in proſperis

ex ſuo aliquid omnino non habere, quatenus, & in aduerſis tantò ſit glorioſior, quantò diuino ordini etiã ex deſiderio iungitur,& in proſperis tantò ſit vilior, quantò à præſenti ipſa quam diuinitus percipit gloria, funditus ex mente ſeparatur. Innocuis autem mentibus ornamentum ſemper obedientiæ iungitur, domino atteſtante,qui ait. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego agno ſco eas, & ſequuntur me. Profectò redemptori obedit, qui innocens eſt. Et innocens eſſe non poteſt, qui obedire contemnit. Regula.

¶ *De officio prælati.*

Vt ergò cuncta iſta ſeruentur :vſque: quod modum, vel vires eius excedit. Expoſitio.

AD hoc quidem data ſunt iſta regularia præcepta, vt cuncta ſeruentur. Et ſi quid minus ſeruatum fuerit,oportet,vt citò emendetur. Non enim poſſumus aliquid negligenter præterire,ſine periculo animæ noſtræ. Ea enim vouimus ſpecialiter tenere, & ſecundùm ea viuere iurauimus. Et Pſal. ait. Tu mandaſti,mandata tua cuſtodiri nimis. Et Apoſtolus. Si quis autem totam legem ſeruauerit,offendat autem in vno,factus eſt omniũ reus. Pertinebit ergò ad præpoſitum, & ad eum qui cuſtos eſt ordinis,vt ad presbyterum cui maior eſt auctoritas(ideſt ad abbatem) referat, quicquid per ſe ſecundùm canonicam Regulam non poteſt diffinire. Quod ſi in congregatione vbi eſt ordo canonicus non eſt abbas, ſed epiſcopus, ipſe epiſcopus presbyteri nomine deſignatur. Ad hoc enim prælati conſtituti ſunt in eccleſia, vt benè ordinata cuſtodiant,errata corrigant, vitam, & mores ſubditorum verbo,& exemplo cuſtodiant. Apoſtoli formam ſectantes, qui ait. Argue, obſecra, increpa. Immiſcentes temporibus tẽpora, terroribus blandimenta, indiſciplinatos, & inquietos debent durius arguere: obedientes mites,& patientes(vt in melius proficiãt) obſecrare. Negligentes,

gligentes,contemnentes,& ſuperbos, aut increpent,aut puniant. Neque diſſimulent peccata delinquentium,ſed mox vt cœperint oriri, radicitus (nè præualeant) amputent, memores periculi Heli ſacerdotis de filijs ſuis. Honeſtiores,atque corrigibiles: prima,& ſecunda admonitione corripiant. Improbos,& duros corde ſuperbos, & inobedientes: verberæ, & caſtigatione coerceant, reducentes illud in memoriam. Stultus verbo nō corrigitur, niſi verberibus. Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte. Regula.

Ipſe verò, qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente fœlicem.

Expoſitio.

NAM, qui ita præſunt,vt gaudeant de poteſtate dominij,nō ſunt veri paſtores,ſed mercenarij. Hi magis præeſſe appetunt,quàm prodeſſe. Non quærunt animarum fructum,ſed temporale lucrū. Non cœleſtem gloriam, ſed terrenum honorem. De talibus ait dominus in euangelio. Amen dico vobis,receperunt mercedem ſuā. Qui verò ita præſunt, vt gaudeant de ſeruitute charitatis,ipſi tenent exemplum veri paſtoris,qui non venit miniſtrari,ſed miniſtrare,& animam ſuam dare redemptionem pro multis. Illi verè prælati ſunt, & ſecundùm Deū curam regiminis agunt, qui ad hoc tantum laborant, vt plures ad Deum ſecum trahant,quos delectat onus, non honor,charitas non poteſtas,ſeruitus impenſa alijs, non ſuſcepta ab alijs. Iuxta quod apoſtolus ait. Cum eſſem liber in omnibus,omnium me ſeruū feci,vt omnes lucrifacerem. Quia tamen propter auctoritatem regiminis honorandus eſt à ſubditis,ideò ſubditur. Regula.

Honore coram vobis,prælatus ſit vobis. Expoſitio.

IDEO ſcilicet honorari debet, quia Chriſti vicem in monaſterio tenet. Vndè, & ipſe dominus paſtoribus ait. Qui vos audit me audit,& qui vos ſpernit me ſpernit. Debent ergò ſerui Dei ſuum honorare magiſtrum,cuius

pro

pro amore Dei ſupra ſe ſuſceperũt magiſterium. Qui tamen quantò plus honoratur exterius, tantò oportet, ut amplius timeat, atque ſemetipſum deſpiciens, eos à quibus honor impenditur, ſibi in cogitatione præponat. Vnde ſubiunctum eſt. Regula.

Timore coram Deo ſubſtratus ſit pedibus ueſtris.

Expoſitio.

HINC ſcriptum eſt. Quantò maior es, humilia te in omnibus. Et iterum. Fili te ducem conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in eis quaſi unus ex illis. Et dominus in euangelio. Omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Tantò quippè eſt maior quiſque apud Deum, quantò humilior fuerit apud ſemetipſum. Sed qualis debeat eſſe in moribus audiamus. Regula.

Circa omnes ſeipſum bonorum operum præbeat exẽplum. Expoſitio.

SICVT enim præcellit honore, & dignitate, & ordine, ita eos præcedere debet ſanctitate, ut eius exemplo diſcant ſubditi qualiter uiuere debeant. Regula.

Corripiat inquietos, conſoletur puſillanimes, ſuſcipiat infirmos, patiens ſit ad omnes. Expoſitio.

QVI locum tenet regiminis, mala inferre non debet, ſed tolerare, ut ex ſua manſuetudine, iracundos ualeat mitigare. Quia medicus animarum eſt. Cõtra paſſiones uitiorum, debet opponere medicamenta uirtutum, ita ſcilicet, ut prius mores omniũ diligenter inquirat, ut quid cuiq; inferre debeat, agnoſcat. Regula.

Diſciplinam libens habeat, metuendus imponat, & quamuis utrumq; ſit neceſſarium, plus tamen à uobis amari appetat, quàm timeri, ſemper cogitans, Deo ſe pro uobis redditurum eſſe rationem.

Expoſitio.

OPORTET, ut doctor eccleſiaſticus ſapiens ſit, & diſciplinatus, quia tunc alijs rectè diſciplinam imponit, cum ipſe diſciplinatè uiuit, cũ ex ſeipſo trahit magiſte-

giſterium, quod exercet in alio. Verba ſunt apoſtoli dicentis ad Hebræos. In diſciplina perſeuerate, tãquam filijs offert ſe nobis Deus. Et quis filius quem non corripit pater &c. Sunt autem hæc duo neceſſaria, ut rector ſuis exhibeat ſubditis timorem, ſcilicet, & amorem. Timorem, his qui ſuperbi, ac rebelles, & duræ mentis ſunt. Amorem uerò, eis qui libenter humiliter, & deuotè ſeruiunt domino Deo. Regula.

Et quamuis utrumq; ſit neceſſarium, plus tamen à uobis amari appetat, quàm timeri. Expoſitio.

QVIA prælatus quantò plus diligitur, tantò plus auditur. Et magis placet Deo illa ſeruitus, quæ ex uoluntate, & amore fit, quàm illa quæ fit ex timore. Propterea dulcis magiſter diſcipulis ſuis ait. Iam non dicam uos ſeruos, ſed amicos. Non enim uult dominus, ut eum timeamus tanquam dominum ſerui, ſed vult ut eum diligamus, tanquam patrem filij, & ut præcepta eius faciamus, non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ. Hoc ſemper cogitare debet qui iudex eſt animarum, quia ſuper ſe iudicem habet Deum, ut regiminis curam tantò ſolicitius agat, quantò ſe redditurum rationem pro ſibi commiſſis apud diſtrictum iudicem pẽſat. Valde enim ſolicitus debet eſſe quiſq; in bono opere, ut in cunctis quæ agit, ſemper cogitet de extremo fine. Vnde ſcriptum eſt. In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Regula.

Vnde uos magis obediendo, non ſolùm ueſtri, ſed etiam ipſius miſeremini, qui inter uos, quantò in loco ſuperiori, tantò in periculo maiori uerſatur. Expoſitio.

IN periculo magno uerſatur, quiſquis in regiminis loco ſublimatur. Nam quantò ſuperior gradus, tantò periculoſior caſus, & cui plus donatur, plus exigitur. Grande periculum eſt, ſibi, & alijs uiuere, temporalia ſimul, & ſpiritualia prouidere. Sic debet ſui curam agere, ut

vt alios nõ negligat, ſic de alijs cogitare, vt ſemetipſum obliuiſcendo non derelinquat. Sic temporalia procurare,vt non refrigeſcat à ſpiritualibus. Sic inardeſcere ad ſpiritualia,vt ſit ſolicitus de tẽporalibus. Indè ergò magis ſubditi prælato obedire debẽt, vnde magis eum pro ipſis vident laborare. Quod cum faciunt,nõ ſui tantum, ſed etiam ipſius,magis obediendo miſerentur. Sui videlicet,quia animas ſuas ſaluant. Scriptum eſt enim. Miſerere animæ tuæ placens Deo. Ipſius quoque qui præeſt miſerentur, quia onus eius alleuiant obediendo. Cum enim ſcriptum ſit. Filius ſapiens lætificat patrem. Tantò plus gaudent,& liberius laborant patres ſpirituales pro filijs,quantò eos vident ſpiritualibus obtemperare diſciplinis. Regula.

Donet dominus, vt obſeruetis hæc omnia :vſq;: ſicut liberi ſub gratia conſtituti. Expoſitio.

APERTE ſubditur poſt lectionem orare. Sic enim legere, & prædicare, quomodo agrum ſeminare. Sic orare,quomodo ſemen operire. Sicut qui ſeminãt in agro,ſi hoc operire diſſimulauerint, veniunt volucres,& totum quod ſeminatum eſſe videbatur,diripiũt. Ita quidem iſti qui in agro ſui cordis ſemina verbi Dei pſallendo,legendo,prædicando aſperſerint, veniunt volucres, ideſt cogitationes huius ſæculi volatiles, inanes, & vacuæ,& rapiunt quod in corde fuerit ſeminatũ. Ideò poſt lectionem,& prædicationem ſemper orãdum eſt, vt virtus verbi Dei maneat in corde,& fructus ſpiritualis creſcat in operatione. Benè autem ait. Regula.

Tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores. Expoſitio.

NON enim poſſunt impleri hæc omnia regularia p̃cepta, niſi per amorem iuſtitiæ, quæ eſt ſpiritualis pulchritudo animæ. Auguſt. Non enim benè agit quiſq; inuitus,etiam ſi bonum eſt,quod agit. Quod verò ſubdit. Regula.

Et

Et bono Chriſti odore de bona conuerſatione fragrantes. Expoſitio.

PErtinet ad bonam vitam,& bonam famam. Vnde Apoſtolus. Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Serui ſunt ſub lege, qui ex timore domino ſeruiunt liberi ſub gratia, qui ex amore implent diuina mādata. Gratia Dei (diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis) implet legem. Iuſto nō eſt lex poſita, vbi enim ſpiritus domini, ibi libertas. Sic autem viam mandatorum Dei curremus liberè, ſi dilatatum cor noſtrum in charitate Dei habeamus. Regula.

¶ *De iugi meditatione Regulæ.*

Vt autem in hoc libello tanquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, nè per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Expoſitio.

IDeo legi præcipitur, quatenus memoriter lecta teneatur. Beatus enim Iacobus dixit. Qui proſpexerit in lege perfectæ libertatis,& manſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. Et benè hunc libellum dicit ſpeculum, quia in eo tanquā in ſpeculo inſpicere poſſumus, quales ſumus, ſiuè pulchri, ſiuè fœdi, ſiuè iuſti, ſiuè iniuſti. Vtrum quiſq; noſtrum regulariter viuat, vtrum proficiat, an deficiat, vtrum Deo placeat, an diſpliceat. Scriptura quippè nobis ſacra noſtram interiorem repræſentat imaginem, oſtendit quid formoſū, quid deforme ſit in anima, & qualiter pulchritudo iuſtitiæ debeat obſeruari, qualiter debeat virtutum decor componi, quomodo vitiorum macula debeat abſtergi. Prauorū vſus eſt mala ſemper agere,& quę egerint nunquam retractare. Quicquid faciunt cæca mente pertranſeunt. At contra ſancti viri in ſcripturis ſacris quotidiè non ceſſant inſpicere vitam ſuam, moreſq; ſuos vigilanter penſare. Et ſi quid deforme, vel incompoſitum, aut inordinatū inuenerint, mox ſecundùm

quòd

quòd ſcriptum vident, reformare, & componere ſe ſtudent, quatenus ſancti, & immaculati coram Deo, tam in corpore inueniãtur, quàm in anima. Ideò Pſal.ait. Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. Et Apoſtolus admonet dicens. Renouamini in ſpiritu mentis veſtræ. Et iterum. Noſter homo interior renouatur de die in diem. Vnde apertè ſubiungitur. Reg.

Et vbi vos inueneritis ea quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias domino bonorum omnium largitori.

Expoſitio.

GRATIARVM actio patri luminum ſemper à nobis debetur, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum (ſcriptura teſte) deſcẽdit. Nemo eſt enim donis Dei beatus, qui donanti exiſtit ingratus, & Apoſtolus. Quid habes, quòd non accepiſti, quòd ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Meritò ergò domino Deo noſtro gratias agere admonemur, vt agnoſcat homo ſi quidem benè viuit, gratia Dei ſe habere, & vt proficiat in dilectione iuſtitiæ non ſe aliundè conſecuturum, quæ cogitatio pium facit. Ipſa eſt enim ſapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur pater luminum. Colitur autem ſacrificio laudis, gratiarumq; actionibus, vt cultor eius non in ſeipſo, ſed in illo glorietur. Regula.

Vbi autem ſibi quicunq; veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro, orans, vt ei debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

Explicit Expoſitio Vgonis de ſancto Victore, ſuper Regulam B.P.N.Auguſtini.

40

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTITVTIONES
REFORMATAE CONGREGATIONIS
Obſeruantiæ Lōbardiæ vulgariter nuncupatæ, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini.

QVONIAM ex præcepto regulæ Patris noſtri Auguſtini, iubemur habere cor vnum, & aīam vnam in Deo, iuſtum eſt, vt qui ſub vna regula, & vnius profeſſionis voto viuimus, vniformes[a] in obſeruantia ſanctę religionis inueniamur, quatenus vnitatē quę interius obſeruanda eſt in cordibus[b], foueat & repræſentet vniformitas exterius ſeruata in moribus. Quod profectò eo competentius poterit obſeruari, & facilius memoria retineri, ſi ea quę agenda[c] ſunt, ſcripto fuerint commendata, ſi in omnibus qualiter viuēdum ſit, ſcriptura teſte innoteſcat.

1 Sed mutare[d], vel addere, vel minuere, nulli quicquam propria voluntate licebit, ne ſi minima negligimus, paulatim defluamus[e].

2 Ad hæc tñ Prior in cōuentu ſuo diſpenſandi[f] cū fratribus habeat poteſtatē, cum ſibi aliqñ videbitur expedire, niſi in his caſibus in quibus aliqua conſtitutio diſpenſari contradicit. Priores ēt vtantur diſpenſationibus pro loco, & tēpore ſicut alij fratres.

3 Vt igitur paci, & vnitati totius Congregationis prouideamus, volumus, & declaramus, vt conſtitutiones noſtræ non obligent ad culpam, ſed ad pœnam, niſi propter præceptum[g], vel contemptum[h].

4 Hunc ergo librū cōſcripſimus, in quo quiſq; noſtrū quid agere, vel qualiter ſe hr̄e debeat continet̄.

a ¶Argu. ex Concil. Agatenſi. c. conuenit. de cōſe diſt 5. ex Conc. Brachar. c. placuit. ex Con. Toleta. 11. cap. de his. diſt. 12.

b ¶Augu. in regula.

c ¶Argu. ex gratiano. c. in iſtis. §. leges. diſt. 4.

d ¶Argu. in ca. 1. de conſtit. Auguſt. de vera relig. cap. in iſtis. diſt. 4.

e ¶Argu. Grego. ca. peruenit. in fi. 21. q. 3. Ambro. in ca. eſt iniuſta. in fin. 23. q. 4. ex Concil. Hiſpalen. cap. placuit. in fi. diſt. 93. Leo ĩ decre. c. exigunt. in fi. 1. q. 7.

f ¶Argu. in c. cū ad monaſterium. §. in refectorio. de ſtatu regula.

g ¶Arg. ex Grego. ca. ſi qui ſunt presbyteri. diſt. 81 & ca. præter hoc. §. porrò in fin. diſt. 32. c. ſi quis ſacerdotum. 11 q. 1. & c abſit. ead. q. 3.

h ¶Ex Conci. Milleuitan. c. quiſquis. 2. q. 6. ex Concil. Agaten. ca. contumaces. diſt. 50. ex Conc. Antiochen. ca. ſi qs presbyter. 7. q. 1. ex Cōc. Cartag. ca. ſi quis presbyter. 11. q. 3. ex Conc. Cartag. 3. c. petimus. 11. q. 1. & ca. quorundam. in fi. diſt. 34.

INDEX CAPITVLORVM
CONSTITVTIONVM.

QVOMODO fratres intrent ad Matutinum, & ad alias horas. Capitulum primum.

De officio fratrum illiteratorum, & operibus manuum. Cap. 2.

Qualiter, & quomodo fratres intrent capitulum, & de modo qui in eo ſeruatur. Cap. 3.

Qualiter ad culpas audiendas in capitulo quotidiano procedatur. Cap. 4.

Qũo fratres ſe habeãt cum ad horas, & ad capitulum, atq; collationem, & ad refectionẽ tardè cõtigerit eos venire. Cap. 5.

Quomodo miſſæ à fratribus audiantur quotidiè, & pro benefactoribus viuis, atque defunctis, ac fratribus decedentibus debeant celebrari. Cap. 6.

Quomodo fratres ſe habeant cum aliquod officium eis iniungitur, & pro quibus caſibus Vicarius, & Procurator, ac Sacriſta ab officio abſoluantur. Cap. 7.

Quomodo, & vbi, & à quibus ſecretæ confeſſiones fratrum congregationis audiantur. Cap. 8.

De forma collocutionis fratrum cum mulieribus, & confeſſionibus earundem audiendis. Cap. 9.

Quotiens, & quando fratres communicare debent, & qua pœna puniuntur, qui nolunt communicare. Cap. 10.

Quomodo ſilentium in choro, & dormitorio, & cæteris locis, & horis, à fratribus teneatur. Cap. 11.

In quibus caſibus mulieres chorum, & clauſtrum noſtrum ingredi permittantur. Cap. 12.

Quanta, & qualis ſolicitudo habeatur circa infirmos. Cap. 13.

De cura habenda circa fratres decedentes. Cap. 14.

De modo receptionis nouitiorum. Cap. 15.

De qualitate, & tp̃e eorum qui ad ordinem recipiũtur. Cap. 16.

Qualis debet eſſe magiſter nouitiorum, & de quibus ipſi nouitij inſtruantur. Cap. 17.

De modo profeſſionis tam à fratribus, quàm à conuerſis, & commiſſis facienda. Cap. 18.

Qualiter

Qualiter recipiantur hoſpites, & extranei, & ad quid hoſpites noſtræ congregationis teneantur. Cap.19.

Vt fratres ſine literis teſtimonialibus aliquò non mittantur. Capitulum vigeſimum.

Qualiter ad refectionem intrent, & ſedeãt ipſi fratres. Cap.21.

De cibis, & ieiunio fratrum. Cap 22.

De numero, & qualitate veſtium fratrum. Cap.23.

Quomodo, & qualiter debeat fratribus pro congruentia temporum in veſtibus prouideri. Cap.24.

Quotiens in anno, & quibus temporibus minutio, & raſura fieri debeat in communi. Cap.25.

De forma electionis Vicarij conuentus, & officio eius. Cap.26.

De modo electionis Procuratoris, & Sacriſtæ, & officio eorundem. Cap.27.

Quomodo eligatur Vicarius, & diſcretus domus cũ ad capitulũ itur, & de trina electione, ſeu poſtulatione priorum. Cap.28.

De officio, & auctoritate Prioris localis, & pro quibus caſibus abſoluatur. Cap.29.

De modo celebrationis capituli generalis noſtræ congregationis. Capitulum trigeſimum.

De officio, & auctoritate Vicarij generalis congregationis, & pro quibus caſibus abſoluatur. Cap.31.

De officio, & auctoritate Viſitatorum. Cap.32.

Dequibus caſibus Viſitatores inquirere debent. Cap.33.

De libris habendis ad vſum chori. Cap.34.

De pœnitentia malè tractantium, & falſificantium literas, vel ſigilla officialiũ ordinis, et congregationis noſtræ, vel alterius perſonæ, necnon priuilegia, & inſtrumenta publica. Cap.35.

De pœnitentia percutientium, & incidẽtium in aliquem lapſum carnis, & reuelantium ſecreta capituli, vel domus. Cap.36.

De pœnitentia falſi teſtis, & eum introducentis, & mittentis literas infamatorias ſine nomine ſuo. Cap.37.

De pœnitentia qua proprietarij puniuntur. Cap.38.

Quomodo apoſtatæ recipiantur, & de pœnitentia eorũ. Cap.39.

Quæ ſit leuis culpa. Cap.40.

Quæ ſit grauis culpa. Cap.41.

Quæ ſit grauior culpa. Cap.42.

Quæ ſit grauiſſima culpa. Cap.43.

QVOMODO FRATRES INTRENT AD MAtutinum, & ad alias horas. *Cap.* I.

AVDITO primo ſigno, ad Matutinas feſtinent ſurgere omnes[a] fratres, munientes ſe ſigno crucis[b], & honeſtè, ac cōpoſitę[c], eccleſiam adeuntes antequam ingrediātur[d], aqua benedicta ſe aſpergant, & ingreſſi bini, & bini corā altari maiore genuaflectant deuotè dicentes. Adoramus te[e] Chriſte, & benedicimus tibi &c. deinde ſurgentes, inclinent ſe profundè, & reuerenter, & vadant ad loca ſua, ordinatè iuxta primogenita[f] ordinis. Et hic idem modus intrandi ad omnes horas eſt ſeruandus.

1 Poſt completum officium, exeuntes bini, & bini, vnus ſcilicet ab vno choro, & alter ab altero procedant, incipientes à minoribus in ordine.

2 Pulſato itaq; vltimo ſigno, & ad ſignum maioris dicto ſub ſilentio[g] Pater noſter, incipiāt Matutinas de beata Virgine, ſtādo. Deinde expletis Matutinis beatæ virginis verſi[h] ad altare, & crucis ſigno ſe ſignantes (quod tam in inchoatione horarum beatæ virginis, quàm diei volumus obſeruari) incipiāt Matutinas de tempore, debito[i] modo proſequētes, ſecundum modum Rom. curiæ, prout eſt in Breuiario ordinatum. Iuxta quod totum officium per anni circulum volumus obſeruari. In Matutinis autem cantores[k] moneant fratres ſurgere ad reſponſoria decantanda, quibus volumus in his, & in alijs ad eorū officium pertinentibus, ſine contradictione aliqua obediri. Item ſtatuimus, & ordinamus, ꝙ à feſto Reſurrectionis, vſq; ad Exaltationem Sanctæ Crucis de menſe Septembris, fratres poſt dictam nonā in eccleſia, ſeu in cellis ſuis conueniant ad orationem[l] faciendam, per vnam horam, vel ſaltem mediam.

a ¶ Argu. ex Conci. Aurelian. ca. clerici. diſt. 91. & ca. ſi quis. diſt. 92. & in clem. graui. & cle. dignum. de celeb. miſ. & c. dolentes. eo. ti. in antiquis.

b ¶ Argu. ex doctri. Aug. c. eccleſiaſticarum. diſt. 11.

c ¶ Argu. ex regula Aug. & diſt. 41. ca. clericus. §. ſicut ergo. clem. graui. de celebr. miſſ.

d ¶ Arg. de conſec. diſt. 3. c. aquam.

e ¶ Argu. ex 6. Sinodo. ca. venerabiles imagines. de conſ. diſt. 3. c. platū. ea.

f ¶ Argu. ex Concil. Agaten. diſt. 74. c. eporum. ex Conc. Gabilō. c. placuit. diſt. 18. c. eps. diſt. 17. ca. ordinationes. in fi. diſt. 75.

g ¶ Argu. ex Conci. Gerundin. c. id ſēper. de conſ. diſ. 5.

h ¶ Arg. Augu. d. c. eccleſiaſticarum. diſt. 11.

i ¶ Argu. ex Concil. Agaten. c. presbyter. & ca. dolentes. de celebra. miſſ. & clem. graui. & cle. dignum. eo. tit. & ex Conc. Nanaten. ca. presbyter. & c. eleutherius. diſt. 91. c. cantātes. diſ. 92. c. qm̄. diſt. 61.

K ¶ Argu. in c. pſalmiſta. diſt. 23. & in cap. perlectis. §. ad pſalmiſtā. diſt. 25.

l ¶ Arg. in c. ipſi. 1. q. 1. & ī c. ſi laicus. diſt. 31. & Hieron. c. ſi qs vult. ī fi. di. 36. c. ſi ergo. 8. q. 1.

A dicto

3 A dicto autẽ ſeſto Exaltationis, vſq; ad Septuageſimam, conueniant poſt Matutinas dicto Pretioſa &c. Et per ſacriſtam, & ante orationẽ, & poſt, pulſentur tres, vel quatuor ictus cãpanæ, vt intelligant fratres, qñ incipere, & qñ finire debeãt orationem.

De officio fratrum illiteratorum, & operibus manuum. Cap. 2.

FRATRES laici, præmiſſo Pater noſter, quod dicere debent ſicut clerici ad omnes horas, vel flexis genibus, vel inclinati profundè, & reuerẽter, incipiant Matutinas de Beata Virgine, hoc modo. Domine labia mea aperies, &c. Deus in adiutorium meum intende, &c. Gloria patri, &c. Sicut erat &c. Alleluia. ſeu Laus tibi dñe, rex æternæ gloriæ. Dicant autẽ pro matutinis, vigeſies[a] quinquies Pater noſter, & in fine cuiuſlibet, excepto vltimo dicant. Aue Maria, totum. In fine autẽ vltimi. Pater noſter. cum dixerint. Sed libera nos. ſubiungant. Per dñm noſtrum Ieſum &c. Dñe exaudi &c. Et clamor &c. Benedicamus domino. Deo gratias. Hoc quoque modo tam de die, q̃ de beata Virgine, debeant terminare. Deinde verſi ad altare, ſignent ſe ſigno crucis[b], & incipiant Matutinũ de die, eo modo quo Matutinum de beata Virgine incęperunt. Omni autem tempore, dicant pro Matutino vigeſies quinquies Pater noſter, & ꝓ Laudibus decies, & in fine cuiuſlibet excepto vltimo, dicant. Gloria patri, &c. Sicut erat &c. ſe profundè inclinando. Alias horas, tam de die, quàm de beata Virgine, excepto Completorio, ſic incipiant. Deus in adiutorium &c. Completorium verò ſic incipiant. Cõuerte nos Deus ſalutaris noſter, &c. Deus in adiutorium &c.

1 Pro qualibet autem hora dicant ſepties Pater noſter. Sed pro veſperis decies, & in fine cuiuſlibet dicant.

a ¶ Arg. Hiero. in c. non mediocriter. de conſ. diſt. 5.

b ¶ Argu. ex doctri. Aug. in d. c. eccleſiaſticarum. di. 11.

cant. Gloria patri,&c. excepto vltimo. Et pro qualibet hora de beata Virgine, dicant ſepties Pater noſter, & in fine cuiuſlibet excepto vltimo, dicant. Aue Maria.

c ¶Arg. Auguſt. de cura agen. ꝓ mor. c. non æſtimemus. 13. q. 2.

2 Pro Matutinis[c] defunctorũ in ferialibus diebus, dicãt vigeſies quinquies Pater noſter, & pro veſperis, ſepties, & in fine cuiuſlibet dicant. Requiem æternam &c. Et lux perpetua &c. Sed cũ oratur pro ſingulari defuncto, dicatur. ei. vbi cum pro pluribus oratur, dicitur. eis. Totum autem officium ſuum, fratres laici ſub ſilentio[d] dicant.

d ¶Arg. Hiero. in d. c. nõ mediocriter. in ver. corde orãdus Deus. de conſec. diſt. 5.

3 Ipſis quoque fratribus laicis inhibemus, vt niſi pſalterium legere ſciuerint, in eo vel libro alio, legere non præſumant. Et ſi contrafecerint, tres dies pro qualibet vice in pane, & aqua ieiunare cogantur. Et qui eos docuerit, eãdem pœnam portet. Nec alicui fratri laico, quantumcunque legere ſciuerit, concedatur habere coronam[e] vllo modo.

e ¶Arg. ã cõtra ſen. in c. duo. 12. q. 1.

4 Statuimus quoque, vt tam fratres noſtri, quibus Deus donũ ſcientiæ dederit, quàm hi qui ſciunt manibus operari, fratribus alijs, ſiue conuentibus ſeruire gratis[f], de talento eis tradito, ſecũdùm priorum ſuorum mandatum teneãtur, ita ꝙ nulli, abſq; prioris licẽtia, vel ſibiipſi, vel alij, intus vel foris, aliquid liceat operari. Extra ordinem nulli quidem omnino licebit pro pretio[g] aliquid operari, ſeu ab aliquo extraneo pretium accipere. De arte verò medicinæ, ſeu chirurgiæ, nullus frater noſtræ congregationis penitus ſe intromittat, niſi in ipſa ſcientia fuerit ita ſufficienter edoctus, ꝙ Vicarius generalis, ac præſidens, & diffinitorium capituli generalis noſtrę congregationis, eidem prius concedant licentiam in huiuſmodi facultate conſulendi. Adiicientes, vt ad inciſionem, ſeu aduſtionem[h], ſi morbus ægroti

f ¶Aug. in regula.

g ¶Argu. ex Conci. Magontin. c. multa. ne cler. vel mo.

h ¶In Con. generali c. ſententiã ſanguinis. §. nullus quoque. ne cler. vel mona.

hoc

hoc requirere videretur, huiuſmodi licentia nullatenus ſe extendat.

5 In ædificatione autem eccleſiarum, & domorũ, ac clauſtrorum congregationis noſtræ, ſemper in principio magiſtri habentes experientiam requirãtur, de quorum conſilio, & maioris[i], ac ſanioris partis conuentus fundentur, & in opere procedatur.

6 Priores autem, & eorum viceſgerentes, antiqua ædificia, aut alias facta, vel incępta deſtruentes, vel mutantes, aut noua erigentes, contra formam præmiſſam, & ſine licentia ſpeciali Reuerẽdi Patris Vicarij, aut Viſitatorum loci ſui in ſcriptis habita, quæ prius in capitulo coram fratribus conuentus clarè legatur, ab officio Prioratus, & Vicariatus huiuſmodi reſpectiuè, ex nunc ſuſpendimus, & ſuſpenſos eſſe declaramus. In caſu verò ſuſpenſionis Prioris, Vicarius conuentum regat. In caſu verò ſuſpenſionis vtriuſq;, vel Vicarij in abſentia Prioris, regimen cõuentus ad antiquiorem patrem cõuentus deuoluatur, donec per Vicarium cõgregationis (cui fratres id quamprimum ſignificare curabunt) aliter prouideatur. Fratres verò qui ad prædicta, vel aliquod p̃dictorum cõſilium, auxiliũ, vel fauorẽ p̃ſtiterint, ex nunc actiua, paſſiuaq; voce per trienniũ priuamus.

7 Exercitium[K] quotidianum fiat, ſecundùm Prioris arbitrium, & locorum diſpoſitionem.

i ¶ Arg. ex Conc. Lateran. c. cũ in cunctis. de his, quæ fi. à ma. par. ca. & c. quãto. & c. nouit. de his, quę fiunt à p̃la. c. eſtote. 1. q. 1.

K ¶ Arg. ex Concil. Cartag. ca. clerici. el 1. & c. clerici. el 2. & ex Conc. Nanaten. ca. presbyter. diſt. 91. & Hieron. in c. nunquã. de conſe. diſt. 5. & c. de præſentium. 16. q. 1. ex 7. Synodo. c. clericus. 21. q. 1.

Quando, & quomodo fratres intrent capitulum, & de modo qui in eo ſeruatur, & de benedictione danda in ſero, ac diſciplina. *Cap. 3.*

POST Matutinas omni tempore, exceptis diebus cœnæ dñi, & paraſceues, & ſabbato ſancto tantum, vbique in noſtra congregatione, fratres ad capitulum proceſſionaliter accedant, cum pſalmo.

De

De profundis. vel Miſerere. cũ Requiem æter.&c. ſiue ferialis, ſiue feſtiuus dies fuerit. Intrantes verò bini capitulum, inclinanteſq; ad crucem[a], vadat vnuſquiſque ad locum ſuum. Et ſi Prior, vel eius vicemgerens vltimo venerit, omnes ei reuerentiam[b] exhibeant.

1 Ipſo igitur Priore, & cæteris poſt[c] eũ ſedentibus, lector ſurgat, & quæ ſequẽti die in Calendario, ſeu Martyrologio ſunt pronunciet, ſcilicet, quotus fuerit in menſe dies ipſe ſequens, & quod in eo fuerit feſtum, vel vigilia, vel vtrunque. Et in fine ſubiungatur. Et alibi aliorum plurimorum ſanctorum martyrum, confeſſorum, atque ſanctarum virginum. Tunc ſurgentibus omnibus, & ad crucem ſe vertentibus, dicat hebdomadarius. Pretioſa in conſpectu dñi &c. Et ad primum. Deus in adiutorium &c. fratres ſignent ſe ſigno[d] crucis. Cõpleta oratione. Dirigere. ſedeat Prior, & cõuentus poſt eũ. Lector itaque ſtans dicat. Iube domne benedicere. inclinans ſe ad benedictionem[e], & Prior det illam, aut tenens locum eius. Alioquin antiquior[f] ſacerdos ad ordinem qui fuerit in capitulo, det benedictionem. Et lector legat Capitulum, quod pro tempore habetur in Breuiario, & dicto. Tu autẽ domine &c. ſubiungat. Commemoratio[g] fratrum, ſororum, familiarium, propinquorum, & benefactorum, defunctorum ordinis noſtri. Et tunc Prior dicat. Requieſcant in pace. Et conuentus dicat. Amen. Et Prior. Adiutorium noſtrum in nomine domini. Qui fecit cœlum, & terram. Deinde. Benedicite &c. vt in Breuiario continetur. Et tunc ſi quis habet dicere ſuam culpam dicat.

2 Si verò fuerit feria ſexta, in qua ſolẽniter de culpis agi debet, Prior dicat. Agamus de culpis. Et

tunc

a ¶Arg. in c. perlatum. & c. venerabiles imagines. de conſe. diſt. 3.

b ¶Augu. in regula. & c. eſto ſubditus. diſt. 95.

c ¶Argu. ex Concil. Laodicen. ca. non oportet. ex Conc. Cartagin. 4. c. epſ. diſt. 95.

d ¶Argu. ex doctri. Aug. c. eccleſiaſticarum. diſt. 11.

e ¶Cap. deniq;. diſ. 21. & Augu. ca. dictũ. in prin. 1. q. 1.

f ¶Scilicet in religione, quia Prior regulariter aliis præfertur. argu. ex Conci. Agaten. ca. epõrum. diſt. 74. & c. ordinationes. el 3. in fi. diſt. 75. ex Conc. Gabilonen. c. placuit. el 1. diſ. 18. de maior. & obed. c. 1.

g ¶Arg. in c. ipſi ſacerdotes. 1. q. 1.

tunc omnes proſternant ſe. Et ipſis Prior dicat. Quid dicitis? Et quilibet eorum dicat. Meam culpam. Et dicat eis Prior. Surgite. Qui ſurgentes humiliter, & purè confiteantur culpas ſuas, incipiẽtes à ſenioribus, ita videlicet vt completo primo choro Vicarij, incipiant à capite alterius chori, & vno genibus flexis ſeipſum accuſante, cæteri ſedeant, & taceãt, donec dixerit. Et ſi alius fuerit proclamatus ab alio fratre, qui modus proclamationis talis erit. Frater N. habet dicere ſuam culpam. Ipſe ſic proclamatus genua flectat, dicẽs humiliter. Meam culpam. Et purè confiteatur culpam ſuam. Quod ſi nõ recordatur, dicat proclamans. Frater N. recordetur, quod tale quid dixit, vel fecit. Si verò fratres forenſes habent dicere ſuam culpam, Priores omnium dicant, & egrediantur capitulum. Poſt quos nouitij dicant culpam ſuam, & egrediantur capitulum ſecũdùm diſcretionẽ Prioris, vel ante, vel poſt forenſes. Et ſi Priori videbitur, poterit retinere nouitios vſque ad finem capituli, ſimiliter, & forenſes. Si autem ſermo in capitulo fieri debebit, is qui facturus eſt illum, flexis genibus benedictionẽ accipiat[h] à Priore. Expletis verò omnibus, quæ eadem hora inſtant, Prior dicat. Adiutorium noſtrum &c. Ad quod conuentus reſpondeat. Qui fecit cœlum &c. Et hoc dicto inclinent ſe oẽs fratres ad crucem bini cum ſilentio, & bini egrediantur. Quando autem de culpis non agitur, & ſilentium non ſoluitur. Adiutorium noſtrum &c. ſemel dictum ſufficiat.

h ¶Arg. Augu. in d. c. dictum. 1. q. 1. & ca. deniq; diſt. 21.

3 Sexta feria in capitulo de culpis agi volumus, aut poſt Matutinas, aut poſt veſperas. Et alijs diebus de culpis agi poterit, ſi cauſa rationabili ſubſiſtẽte, diſcretioni Prioris videbitur expedire. Et etiam ſingulis[i] diebus, ante prandium, vel ante cœnam, cum

i ¶Aug. in c. tres ſe. poſt med. & argu. in c. quis aliq. ando. de pœnit. diſt. 1. & c. menſurã ca.

fratres

fratres fuerint in ſilentio,exiſtēte ibi Priore,vel Vicario, poterunt dicere culpam ſuam de negligētijs, ſicut iamdiu in noſtra congregatione ſeruatum eſt.

4 Item volumus, & mandamus, ꝙ ſingulis diebus quando cœna fit ante pulſationem Aue Maria de ſero,poſt ipſam pulſationem ſacriſta ad mandatum Prioris pulſet ſilentium. Si verò fit cœna poſt pulſationem Aue Maria, tunc etiam ad ſignum Prioris idem ſacriſta pulſet ſilentium, & omnes fratres in eccleſiam conueniant, & ibi aliquantulum orent. Deinde Prior faciat recomendationem vniuerſalē, vel particularem pro benefactoribus[k]; Et vniuerſali ſtatu ſanctæ matris eccleſiæ, ac Romani[l] Pōtificis pro tempore exiſtentis,horteturq;[m] omnes, & moneat,ad benè viuendum,& ad vitam regularem. Poſtremò omnes aſpergat aqua[n] benedicta, eos benedicendo.Quo facto iterum modicum orent pro recomendatis; & facto ſigno à Priore, omnes cum ſilentio vadant ad cellas[o] ſuas.Extra hanc ordinationem nullus cuiuſuis conditionis exiſtat remanere præſumat ſine ſpeciali licentia ſui ſuperioris.

k ¶ Arg.in d.c.ipſi ſacerdotes. 1.q.1.
l ¶ Arg.boni.mar.c. ſi Papa.40.diſt.
m ¶ De ſtatu reg.c. cum ad monaſterium. §.prior.
n ¶ Arg.in c.aquā. de conſ.diſt.3.
o ¶ Arg.in c.prçter. §.ꝑcipientes.diſt. 32.& ī c.pernitioſam.18.q.2.

5 Volumus inſuper,ꝙ ob reuerentiam deuotionēque paſſionis Dñi noſtri Ieſu Chriſti, & carnis macerationem[p] omni feria ſexta poſt datam benedictionem à Priore in ſero coram altari maiore ad ſignū campanellæ fratres omnes conueniant in dormitòrium, & vnuſquiſq; in cella ſua, vel priuato loco in communi faciat diſciplinam per ſpacium triū pſalmorum. Miſerere ad minus, & quinque ad plus,ſecundùm diſcretionem Prioris,vel eius locum tenētis.Qua completa Prior,vel eius locū tenens egrediens de cella ſtans ſignum faciat. Ad quod omnes fratres veniētes,ſinguli ſuper limen hoſtij cellæ ſuæ genua flectāt,verſis vultibus è regione.Tunc Prior,

p ¶ Arg.in c.ſi paulus.ī prin.32.q.5.

vel

vel eius locum tenẽs dicat. Saluos fac ſeruos tuos. Deus meus ſperantes in te. Mitte eis dñe auxilium de ſancto. Et de Sion tuere eos. Dñe exaudi oratio nem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dñs vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe depre cationem noſtrã, vt nos, & oẽs famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſoluat. Per Chriſtũ dñm nrm. Amẽ.

Qualiter ad culpas audiendas in capitulo quotidiano procedatur. Cap. 4.

IN proclamationibus autẽ culparum, hunc modum ſeruari volumus, vt cum alius alium procla mat, vel eum memorẽ facit, non loquantur mutuo, ne forte (quod abſit) cõtentiones[a] in capitulo oriãtur. Sed in prima, vel tertia perſona loquantur. In prima. Ego dico omnipotenti Deo meam culpam, & vobis, quia tale quid egi, vel dixi. In tertia autem ſic. Recordetur frater N. quòd tale quid dixit, vel egit. Et ad Priorem vterq; dirigat ſermonem ſuum. Qui eis de culpis ſuis, de quibus cõfeſſi fuerint, vel conuicti, ſecundùm ſtatuta congregationis pœnam imponat.

a ¶Ex Conc. Toleta. 11. cap. in loco. in tex. & in glo. 5. q. 4. c. ſi ergo. 8. q. 1.

1 In capitulo nullus ſine licẽtia loquatur, niſi duabus de cauſis, ſcilicet culpas ſuas, vel alterius dicen do, & priori ſuo ad interrogata reſpondendo. Et ſi culpa illius talis fuerit, quòd diſciplina ſit digna, Prior det illam ſolus.

2 Quod ſi quis forſitan ſuperbia ductus culpas ſuas confiteri, vel pro eis diſciplinam congregationis ſu bire noluerit, Prior non ſtatim ſententiam ferat ſuper illum, niſi forſitan talis ſit caſus, cuius correctio nullo modo abſq; graui periculo differri poſſit, vt-

puta

puta ſi incorrectus recederet, & ſcandalum ordini forſitan generaret. Et tunc Prior mittat ad eum de ſenioribus[b], qui blandis[c] ſermonibus, & pijs exhortationibus[d] ad ſatisfactionem illum inducant. Si autem ipſe (quod Deus auertat) expectatus per diem, & noctem, & exhortatus, videlicet ſemel, ſecundo, & tertio, à duobus, vel tribus de ſenioribus, alternatim vel ſimul, obſtinati cordis extiterit, ſatisfacere nolens, ex tunc Prior ſecundùm ſtatuta congregationis noſtræ procedat[e] in ipſum, non obſtante etiã ſi ad ſuperiorem appellauerit, cum à correctione[f], iura nulli indulgeãt appellare. Si verò culpa huius delicti in cõſtitutionibus, aut diffinitionibus nõ fuerit taxata, habito conſilio ſeniorum[g] de loco, Prior ſecundùm ſuum diſcretum arbitrium[h], vt per regulam beati Patris noſtri Auguſtini præpoſito eſt indultum, procedat in illum.

2 Ex ſola ſuſpitione[i], aliquis aliquem non accuſet, & ſi contrafecerit, accuſans ſuſtinere cogatur pœnam[K], quam ſi accuſatus fuiſſet de obiecta ſibi culpa cõuictus portare debuiſſet. Eandẽ[l] pœnã ſuſtineat, qui in probatione accuſationis alicuius defecerit.

3 Rurſus ſi quis alicui crimen obiecerit, quod ipſe tanquam ſciens eum commiſiſſe illud, etiam ſi iuramento ſe ingerat affirmare, vtputa, quia criminis ipſius particeps, vel ſocius fuit, non admittatur cõtra illum crimen obiectũ, cum ipſe turpitudinem[m] ſuã allegare non poſſit. Sed idem, ſicut reus culpæ, quã ſe commiſiſſe ex ore ſuo confeſſus eſt, publicè puniatur[n]. Quod ſi is qui obijcit crimen, vſque tunc vitæ laudabilis, & ſanctæ cõuerſationis extiterit, & de

eo

b ¶ Ideſt ſapientioribus. ſic exponit in ſimili. diſ. 20. c. ſi. diſt. 84. c. porrò. argu. ad hoc ſapi. ca. 4.

c ¶ Arg. in c. qui ſincera. & in ca. licet nõnunquam. & ex Conci. Brach. c. cũ beatus. in me. cap. recedite. diſt. 45. c. clemens. 8. q. 1.

d ¶ Argu. in ca. licet plerũq;. d. ca. licet nõnunquam. d. ca. qui ſincera. & 5. c. ſeq. diſt. 45

e ¶ Arg. ex Conc. Tolet. 7. c. plocliuus. 20. q. 3. & ca. à nobis. de apoſt.

f ¶ Ex Conci. Latera. c. reprehenſibilis. in princ. & § pręcipuè. & c. ad noſtram. de appella. qñ delictũ eſt publicũ, & notoriũ. c. peruenit. in fin. eo. tit. niſi modus excedatur. cap. de priore. eo. tit. & c. licet. de offi. ordi.

g ¶ Ideſt ſapientiorum. ſic exponitur in ſimili. c. de quibus. di. 20. & c. porrò. diſt. 84. arg. ad hoc ſap. c. 4.

h ¶ Argu. in ca. ſi. de tranſact. c. inter dilectos. de fide inſtru. regula inſpicimus. cũ concor. de reg. iur.

i ¶ Cap. oues. 6. q. 1. arg. à contra ſent. in cap. qualiter. & qñ. el 2. §. ſi. ibi q̃ ſciunt. de accuſ.

K ¶ Arg. in c. calumniator. & cap. qui non probauerit. & c. paulum. 2. q. 3. c. quiſquis. & c. qui crimen. 2. q. 8. c. qui calumniam. 5. q. 6.

l ¶ Arg. ex Conc. Carta. 4. c. accuſatores. diſ. 46. & c. oĩs. & c. q̃a iuxta. 5. q. 6. arg in c. ſignificaſti. de adult.

m ¶ De confeſſ. cap. 1. & 15. q. 3. c. nemini. de adult. c. ſignificaſti. de teſtib. c. veniens. el 1. & c. neganda. el 1. & c. non eſt credendum. 3. q. 11.

n ¶ Arg. in d. c. ſignificaſti. de adult.

eo cui obijcitur crimen, ꝙ illud, uel ſimile quid alias commiſerit, apud graues perſonas congregationis noſtræ, inter quas conuerſatus fuit, ſit opinio læſa[o], licet contra eum non procedatur ad pœnã, quæ tali culpæ debetur, eo ꝙ non ſit legitimus accuſator, & ſufficiens[p] teſtimonium non appareat, nihilominus de loco ubi commiſiſſe dicitur remoueatur[q], & in alio loco collocetur. Sed ſi non ſit auditus huiuſmodi ſermo de illo, cuiuſcunq; meriti ſit accuſans, ipſe accuſatus ob id grauari in aliquo non debebit[r].

o ¶Arg. in d. c. 1. §. ſi tñ eos infamia. de confeſſ. & c. nõ eſt. de purg. can. c. iter. eo. ti. de adul. c. ſignificaſti.
p ¶Argu in d. c. ueniens. el 1. §. nos tuam. de teſtib.
q ¶Arg. in d. ca. ualet diſt. 81. & arg. ad hoc. ĩ d. c. 1 §. ſi tamen eos infamia. de confeſſ.
r ¶Argu. in d. c. 1. in prin. de confeſſ.

Quomodo fratres ſe habeant, cum ad horas, & ad capitulum, atq; collationem, & ad refectionem tardè eos venire contigerit. Cap. 5.

QVISQVIS ad Matutinũ, uel ad alias horas, ſeu ad Capitulum tardè uenerit, intrans eccleſiam more ſolito, ante maius altare, ſeu ante crucem, genuaflectat reuerenter[a], & erectus ſtet immobilis, nec uadat ad locum ſuum, donec ſignum factũ fuerit ei à ſuperiore. Qui audito ſigno, inclinet ſe profundè, & reuerenter ante altare, ut ſupra, & ad locum ſuum accedat.

a ¶Arg. in clem. decet. § ſit itaq;. de immu. eccleſ. in 6. c. perlatum. ca. uenerabiles. de conſec. diſt. 3.

1 Ad collationem, uel ad refectionẽ tardè ueniẽs, coram ſuperiore genuaflectat, & benedictionẽ accipiat, antequam ad menſam accedat. Si quis autem ſic tardè ad refectionem, uel ad collationẽ ueniat, ut iam fratres ſedeant in locis ſuis, ei nullus cedet, ſed in ultimo loco ſedebit.

2 Ad horas, illũ intelligimus tardè uenire, qui ad inchoationem horæ, in choro nõ fuerit. Idcirco ſtrictè inhibemus, ut pulſato ſecundo ſigno ad horas, extra chorum[b], ſine ſpeciali licentia ſuperioris nullus audeat remanere, niſi forſitan aliquando cũ uenerabilibus perſonis fuerit, quas honeſto modo dimittere

b ¶Arg. ex Conc. Aurelian. ca. clerici. diſt. 91. ex Concil. Martini Papæ. c. ſi quis presbyter. & ca. ſi quis eps. el 3. in fi. di. 92. cle. graui. de celeb. miſſ.

mittere non poſſit. Nec in choro exiſtens, ſine ſpeciali licentia maioris, ab officio recedat.

3 Qui uerò ad horas, uel ad capitulum[c] tardè uenire in uſum duxerit, diutius ſtare erectus, ut erubeſcat, cogendus eſt, & pœna alia (ſicut cenſuerit prouida ſuperioris diſcretio) puniendus. Et ſi fortè q̃ſquis alta ſapiens, licet tardè ueniat in locis prædictis, ſe habere, ſicut ex ordine mandatur cõtempſerit, ſi monitus ſemel, & ſecundo non ſe correxerit, tanquam inobediens ne morbo ſuo inficiat humiles puniatur.

c ¶Arg. ex Con. Anthio. c. propter eccleſias. el 1. ex Cõ. Toleta. c. decernimus. ex Conc. Laodic. ca. non ẽps. ex Conc. Calce. c. per uenit. ex Con. Arelat. c. ſi quis autẽ. ex Conc. Agat. c. ſi ẽps. ex Con. Martini Papæ. c. ꝓpter. el 2. diſt. 18.

Quomodo miſſæ à fratribus audiantur quotidiè, & pro benefactoribus viuis, atq; defunctis, ac fratribus decedentibus debeant celebrari. *Cap. 6.*

MISSAM conuentus[a] omnes fratres audiãt ſimul, nec foris quiſquam remaneat, niſi ſit infirmus, aut communi negocio occupatus, quod cõmodè dimitti non poſſit, uel de ſuperioris licentia ſpeciali. Et ſi aliqui communibus negocijs occupati, miſſæ conuentus intereſſe non poterunt, etiã infirmi, quibus ex motu non ſurgit probabilis de recidiuatione timor, horas obſeruent, in quibus priuatas[b] miſſas audire teneantur.

1 Dum autem miſſa conuentus, aut officium celebratur, omnes, qui in choro ſunt, ſic intendãt[c] ad illa, ut pro eo quod agatur in miſſis priuatis, de locis eorum non ſe moueant, niſi quãdo exiſtentes in ſtallis ſuis, in ipſis priuatis miſſis beatam hoſtiam uiderint eleuari. Tunc nudis capitibus genuaflectant[d], & facta adoratione ſurgant.

2 Statuimus etiam, ꝙ quilibet ſacerdos, pro fratribus, & familiaribus, & benefactoribus[e] defunctis congregationis noſtræ, omni anno incipiendo à feſto S.

a ¶Arg. in c. cũ creatura. de cele. miſſ.

b ¶Arg. in c. dolentes. de celeb. miſſ. & ex Con. Aureli. c. cum ad celebrãdũ ex can. apoſtolorũ. c. oẽs fideles. ex Cõ. Agat. c. miſſas. de conſ. diſt. 1.

c ¶Arg. ex can. apoſtolorum. d. ca. oẽs fideles. de conſec. diſt. 1. ca. decet. §. ſic itaque. de immu. eccle. lib. 6.

d ¶Arg. in c. ſanè. §. ſacerdotes. de celeb. miſſ.

e ¶Arg. in c ipſi ſacerdotes 1 q. 1.

ſto S.Michaelis, dicat tres miſſas. Frater verò clericus vnum pſalteriũ, cum Requiem æternã &c. in fine cuiuſlibet pſalmi. Et frater laicus quingẽties Pater noſter. cũ Requiem æternã &c. in fine cuiuſlibet Pater noſter. Pro fratribus quoq; familiaribus, propinquis, & benefactoribus viuis, ſimiliter quilibet ſacerdos dicat tres miſſas ꝓ peccatis. Clericus pſalterium, cum Gloria patri, &c. in fine cuiuſlibet pſalmi. & laicus quingenties Pater noſter. cũ Gloria patri, &c. in fine cuiuſlibet Pater noſter. Decedẽte verò ſummo Põtifice[f], q̄libet ſacerdos dicat tres miſſas, & in quolibet conuentu noſtræ congregationis vigiliæ, & miſſa pro defunctis, cum nota ſolenniter decantentur. Clericus verò, dicat vnum pſalteriũ, cum Requiem &c. & laicus quingẽties Pater noſter infra triginta dies, poſtquã eis de obitu ſuo conſtabit. Decedente verò Priore generali ordinis noſtri, aut Vicario generali noſtræ cõgregationis, fiãt ſuffragia modo p̄dicto de ſummo Pontifice. Decedente autem aliquo de fratribus noſtris, etiã ſi nouitius fuerit, vel conuerſus[g], aut laicus, quilibet ſacerdos congregationis dicat pro anima eius, & quilibet clericus, & laicus, prout ſuperius exprimitur.

f ¶ Arg. in c. ſi Papa. diſt. 40.

g ¶ Arg. ca. innonamus. de treu. & pa. ca. Parochianus. & c. ſeq. de ſen. excõ

3 Quæ aũt ex infirmitate, vel cuiuſcunq; negligentia omittuntur, vt poſſint ex plurimorũ ſuffragio reſtaurari: volumus, ꝙ in quolibet cõuentu noſtrę cõgregationis, anniuerſariũ fratrum defunctorũ, annuatim[h] in prima feria poſt octauã Viſitationis Virginis Mariæ celebretur. Patrum verò, & matrũ, propinquorum, & benefactorum noſtrorũ, in prima feria poſt feſtum S. Agathę, modo ſimili celebretur, & quilibet ſacerdos, debeat ipſa die de eodem anniuerſario celebrare. Et vt prædicti termini non tradantur obliuioni, in Martyrologio, & Calendario

h Arg. in c. cũ creatura. de cele. miſſ.

conſcribantur,& in capitulo ſuo tempore ad modũ feſtiuitatum recitentur, & pronuncientur.

Quomodo fratres ſe habeãt cum aliquod officium eis iniungitur, & pro quibus caſibus Vicarius, & Procurator, ac Sacriſta ab officio abſoluantur. Cap. 7.

ORDINAMVS, vt cũ Prior in capitulo, vel alibi aliquã cõem orationem (vt ſæpius pro benefactoribus[a], & afflictis, aut conſimilibus fieri ſolet) vel quippiã operis verbo, aut ſigno, alicui ex fratribus ſpecialiter iniunxerit, ſeu omnibus in cõmuni, deuotè omnes inclinent ſe ſtatim, facturos[b] quod eis iniunctum fuerit, annuentes. Si verò iniunxerit in capitulo alicui, eum præeſſe alicui officio, vt eſt cãtor in choro, magiſter nouitiorum, portinarius, eleemoſinarius, infirmarius, ſeruitor hoſpitum, ſuperſtes operum, & huiuſmodi, flectant genua, ſtatim audito mandato ſuperioris annuentes ſeſe ſtatim eſſe facturos, quicquid iniunctum fuerit eis.

1 Omnia enim officia[c], & miniſteria domus, cõmittere fratribus, & inter ipſos ea diuidere, propriũ eſt Prioris domus, excepto, ꝙ Sacriſtam, & Procuratorem eligant fratres ſui conuentus. Quorum electionem, acceptabit Prior, ſicut in conſtitutionibus diffinitum eſt. Quorum auctoritatẽ decernimus, & volumus in ſola Prioris conſiſtere voluntate: Ita etiã, vt ſi Vicarius, aut Procurator, aut Sacriſta, ſeu eorũ aliquis, fines auctoritatis, quam in eorum officijs ipſe Prior eis cõmiſerit exceſſerint, & moniti ſemel, ſecundo, & tertio in capitulo, ab eo coram conuentu, vlterius id facere præſumpſerint, poſſit eos auctoritate ſua, ab eorum officijs remouere[d].

2 Si aũt ex huiuſmodi officijs, ſeu quodcunq; aliud mandatum, dummodo illud non ſit diuinæ iuſſioni con-

a ¶Arg. in cap. ipſi. 1. q. 1.

b ¶De ſta. reg. ca. cũ ad monaſteriũ. §. Abbas. & libro capitulorũ. c. in omnibus. de cõſ. di. 5.

c ¶Arg. in d. c. cum ad monaſteriũ. §. tales. de ſta. reg. c. cum ad noſtrã. & c. porrecta. de con fir. vtili.

d ¶Arg. ex Con. Lateran. c. monachi. §. priores. de ſtat. reg. & c. innotuit. circa fi. de el ect.

contrarium, alicui ſubditorum ſuorum iniunxerit Prior, illud iuſſus ſine diſceptatione ſuſcipiat, etiã ſi graue multum, & ſuis viribus importabile videatur. Sed poſtea imbecillitatem ſuã, & pręcepti difficultatem[e], Priori ſuo cum oĩ humilitate ſecretò inſinuet. Et ſi quod optat obtinere meruerit ab eodem, gratias agat Deo, & humilior fiat. Sin autem ſciat ſic ſaluti animæ ſuæ expedire, & quãtum in eo eſt faciat, ſicut nouerit imperãtem velle. Non enim volumus priorum noſtrorum mandata cauſari, nec eorũ præceptis, etiam ſi valdè prorſus difficilia[f], ipſi imperãt aliquem contraire[g]. Si verò poſtquam in Prioris ſui obedientijs ſecundùm datam à Deo ſibi gratiam ſe cœperit humiliter exercere, probabiliter viderit, quod iniunctum eſt ſibi implere, & in eo vtiliter laborare abſq; interioris, vel exterioris hominis periculo, & nimia difficultate non poſſe, ſi fruſtratorias non videatur cauſas, vel excuſationes prætendere, Prior ſi ſpectat ad eum, fratrem ab huiuſmodi obedientia abſoluat, vel eidem de ſocio prouideat, diligenti tamen conſideratione præmiſſa. Ad quod, ſi quacunque ex cauſa, Prior ipſe difficilis videretur, cõuentus qui in ſua prece fruſtrari non debet, apud eum, vt id faciat, procurabit.

e ¶ Argum. in cap. ſi quando. de reſcri. & in c. cum teneamur. de præben.

f ¶ Arg. ĩ c. quid culpatur 23. q. 1.

g ¶ De ſta. reg. d. c. cum ad monaſterium. §. Abbas.

Quomodo, & vbi, & à quibus ſecretæ confeſſiones fratrum congregationis audiantur. Cap. 8.

SECRETAE confeſſiones fratrum (quantum fieri poteſt) audiantur à Priore. Statuimus etiam, vt quilibet frater noſtræ cõgregationis tam nouitius, ꝙ profeſſus, de mortali ſi lapſus fuerit (quod Deus auertat) illud proprio[a] Priori, vel de licentia eius alij debeat confiteri. Tamẽ de peccato fornicationis, & lapſu carnis voluntario, & de furto, Prior localis, &

a ¶ In Con. generali. de pœn. & rem. c. omnis vtriuſq; ſexus. in princ. de pœn. diſt. 6. c. placuit.

& etiam Vicarius congregationis nulli fratri ſacerdoti cōmittat, ſed ipſi perſonaliter cōfeſſiones ſubditorum ſuorum audiāt. Veruntamen ſi Prior viderit periculum fratris aīæ imminere, videlicet, ꝙ frater in tāta pertinacia ſtaret, ꝙ Priori nollet omnino cōfiteri, liceat Priori eiuſmodi ſubditi confeſſionē, diſcreto, & prouido ſacerdoti cōmittere. Et nullus Prior alienum[b] ſubditū, vel ſubditus ſacerdos, aliquem abſq; licētia ſuperioris illius excepto mortis articulo abſoluat, cū huiuſmodi abſolutio nulla ſit. Nam ſic abſoluens, & cōfitens, ſi ſacerdos fuerit fratris alicuius, aut extranei confeſſionem aliquam (niſi in articulo mortis) non audiat, donec per ſuperiorem ſuum cum eo fuerit diſpenſatum.

1 Verum ne fratres noſtri, ex obediētia ſuperioris à conuentu ſuo abſentes, acephali videantur, aut (contra iuris formam) officium[c] ſuum eis videatur eſſe damnoſum, declaramus, fratres noſtros ſub illius Prioris obedientia, & auctoritate eſſe, in cuius conuentu, vel quæſta, cum proprij ſuperioris obedientia eos contigerit inueniri.

2 Sed licet nullus ſimplex ſacerdos poſſit ſine conſenſu Prioris, à peccato mortali abſoluere, volētes tamen in grauioribus caſibus cautius[d] obuiare, monemus omnes, & ſingulos ſacerdotes noſtræ cōgregationis ſemel, ſecundo, & tertio, & in virtute ſancti Spiritus præcipimus, quòd nullum fratrem abſoluant, de furto notabili, fornicatione, & lapſu carnis voluntario, ſine ſui Prioris licentia ſpeciali. Contra autem facientes, trina canonica monitione præmiſſa in his ſcriptis, excommunicatione innodamus.

3 Mortale autem peccatum, quòd volumus ſolùm proprio Priori, vel de eius ſpeciali mandato, & commiſſione confiteri, in qua tamen cōmiſſione ſolicitè

caueat

b ¶Arg. in c. paſtoralis. §. ad quod. de offi. ordi.

c ¶Arg. in c. cum in officiis. de teſt. & à contra. ſen. in d. c. omnis vtriuſq; ſexus. de pœnit. & remiſſ.

d ¶Arg. ex Con. Triburien. ca. ſi quis. 18. q. 2. ex Cō. Cartag. diſt. 23. c. qui epiſ. in prin. & diſ. 39. c. petrus, & 8. q. 1. c. qui epiſcopatum.

caueat ipſe Prior, vt prouido ſacerdoti, non cæco, aut claudo paſtori, minuſve lupo, proprias commit tat oues, de quibus Deo rationem reddet in iudicio intelligimus eſſe, furtum etiã de re modica[e], omnem lapſum carnis voluntarium, omne iuramentum, niſi illud ſuperioris imperio exigatur, oẽm coniurationem, & cõſpirationem, ſimoniam tam in dante, q̃ in recipiente. In quo caſu pro abſolutione, & diſpenſa tione cõfitentis Prior ſuo poſſe laboret. Mendaciũ ex deliberatione. Reuelationẽ ſecreti capituli, per conſuetudinem ex animo factam. Incendium. Rem celarè collatã, & ſi quem contigerit ſine licẽtia extra ſeptã loci exire. Apoſtaſiam alicui ſuadere. Alicui perſonæ liberæ, & vtili volenti ad noſtrum ordi nem uenire, diſſuadere, uel noſtro ordini volẽti benefacere prohibere. In aliquo caſu, vel negocio cõtra libertatem, vel honorem, ſiue vtilitatẽ ordinis, ſeu alicuius conuentus, ſeu loci, vel fratris eius obe dientium ipſi ordini, conſilium, vel auxilium vllo modo prębere. Quæcunque etiam iſtis inueniuntur grauiora, uel ſimilia, ea debẽt Priori tantummodo, vel de illius ſpeciali mandato confiteri.

4 Quiſquis verò in aliquo prædictorum peccauerit caſuum, propter quod aliquis in perſona, ſiue in fama, ſiue in rebus, quocunque modo, lædatur, quãuis ſit eius peccatum occultum, nullus Prior, nec alius auctoritate Prioris præſumat eum abſoluere, niſi prius læſo fuerit debitè ſatisfactum[f].

5 Ad conſulendum[g] verò conſcientijs timoratis. Statuimus, & declaramus, ꝙ ſi quãdo Prior, aut ſupe rior alius, alicui ſubdito, uerbo, aut ſcripto eligẽdi ſibi confeſſorem, qui in caſibus eidẽ reſeruatis eum abſoluere, & cũ eodem diſpenſare ualeat, facultatẽ conceſſerit de oĩbus, & ſingulis caſibus peccatis; ac

e ¶Hieron. c. furtũ, 14. q. 6. c. vulgaris. de pœni. diſt. 1 c. ſi quis propter neceſſitatem. de furtis. Aug. c. pœnale. 14. q. 5.

f ¶Aug ad Macedonium. ca. ſi res. 14. q. 1. ca. cum tu. de vſu. regula. peccatum. & ibi glo. in 2. intellectu. de regul. iur. in 6.

g ¶Aug in c. erit autem lex. diſt. 4.

cenſuris, etiam ſuperiori huiuſmodi ſpecialiter reſeruatis, à quibus ipſe concedens ordinariè abſoluere ipſum, & cum eodem diſpenſare poſſet, intelligatur[h], niſi in cõceſſione ipſa, ſibi aliquid, uel plura, expreſsè reſeruauerit.

h ¶Licet alias de iure cõi in ſpecialiter reſeruatis nullam reciperet facultatem. c. ſi epõs. de pœni. & remiſ. in 6. nunc aũt ſtandum eſt huic ſtatuto in fauorem animarum.

6 Propterea uolumus firmiter obſeruari, ut ſemel ad minus in ſeptimana teneatur frater quilibet debitè confiteri Priori ſuo. Si quis autem ex contemptu neglexerit, per Priorem ſuũ publicè puniatur.

7 In capitulo uerò generali congregationis, ſacerdotes qui debent audire confeſſiones, à Vicario[i] cõgregationis, & diffinitoribus capituli iuxta tenores priuilegiorum tales eligantur, qui ſint bonæ famæ, & ſcientiæ competentis, & nemo præter iſtos, niſi in mortis articulo, cõfeſſiones ſæcularium audire præſumat. Fratrum autem confeſſiones audire quilibet ſacerdos poterit, de Prioris licentia[k].

i ¶Boni. papæ 8. Cõci. Lateran. in conſtit. ſuper catedrã. § ſtatuimus. ĩ cle. dudum. de ſepult. & idem Bonifa. in priuil. ordinis.

k ¶Greg. c. placuit. de pœnit. diſt. 6.

8 Fratri quoque nouitio quantumcunque annoſo ſacerdoti, aut literato, non liceat alicuius ſæcularis, uel fratris congregationis confeſſionem audire, niſi in mortis articulo.

De forma collocutionis fratrum cum mulieribus, & confeſſionibus earundem audiendis. *Cap. 9.*

QVOTIENS uerò in eccleſia, aut extra locum, frater aliquis cũ mulieribus[a] loqui debebit, ſeu uolet, non loquatur niſi prius licentiã obtinuerit à Priore, & Prior ei de ſocio idoneo prouidebit, ſine cuius cõnſpectu, & auditu, loqui cum muliere, is qui requiſitus fuerit, non debebit, niſi mater, uel ſoror carnalis fuerit. Cum quibus frater loqui poterit, ſocio non audiente, ſed uidente.

a ¶Ex Conc. Aphrĩ. 4. c. clerici. ex Cõ. Cartag. 4. c. cũ omnibus. & ex eo. ca. ad reatum. ex 7. Synodo Nicęna. c. in omnibus. & c. clericis. & 5. c. ſeq diſt. 81. ex Conc Nicęno. diſt. 32. c. interdixit.

1 Fratres uerò foras pro neceſſitatibus domus petendis miſſi, cum eis loqui poſſint de ijs, quæ ad neceſſita-

ceſſitatem petendam ſpectabunt, etiam alter ſine altero, vt cum in petendo elemoſinas, per vicos ſeparatim vadunt, quia tunc neceſſitas ſic loqui exigit. Intrare autem domos, aut ſedere, aut confabulari cum eis non licebit. Procurator, & fratres alij, cum ad procurandum neceſſaria fratrum vadunt, poterit frater præſente ſocio ſuo ſemper, & vidēte eum, de huiuſmodi cum muliere loqui ſolus, ita tamen ꝙ cum vna eademque muliere, frequens[b] non ſit talis collocutio. Nuſquam autē frater aliquis ſolus, abſq; tertia perſona præſente, cum muliere ſola, moram faciat, vel loquatur, nec remaneat cum ea ſolus in eccleſia. Sed ſi de conſilio, aut de confeſſione aliqua mulier ſacerdotem conſulere voluerit, ad aliquod confeſſionale eat, ſicut moris eſt in noſtra congregatione. Nec niſi clara luce, mulierum confeſſiones audiantur, niſi mortis, vel infirmitatis articulus aliud exigat.

[b] ¶De cohab. cle. c. ſi quiſquā. & diſt. 81. c. ſi quiſpiam. ex Con. Laodicen. ca. non oportet. & cap. ſed ſi ea. & c. quorundā. diſ. 34.

2 Cum autem ad audiendum cōfeſſiones qualiumcunq; mulierum, frater ſacerdos egreditur, ſemper ei prouideatur de fratre ſocio, quem opinio bona commendet, & vbique, & ſemper ſic ſe habeat, vt ſocius ſuus patenter videat eum. Quod ſi contrafecerit, ipſe ſacerdos ſit ſuſpenſus ab audientia cōfeſſionum per annū, & in terra ſolùm in pane, & aqua tribus diebus ieiunet coram fratribus de conuentu. Si autem frater clericus, vel laicus, in tali priuata locutione fuerit repertus, voce careat per annum, & per tres dies ſimili modo ieiunet. Et ſi de prædictorum priuata locutione ſcandalum oriretur, acrius puniatur, ſecundùm ꝙ ſcandali magnitudo requirit. Atq; ſi ſacerdos fuerit ſocius ſimili negocio occupatus, ſic ambo ſtabūt, vt poſſint ſe mutuo videre. Et ſi fortè ſacerdos alicuius mulieris infirmantis confeſſio-

nem audiat,quæ in thalamo, vel tã arto loco iacet, ꝙ ſocius vt videat ipſum,commodè manere nõ poſſit,tunc ſocius ipſe,quantum poterit, iuxta hoſtium thalami manebit, dummodo verba intelligere non poſſit confitentis. Vbi tamen veriſimiliter perciperet ſocius ſacerdotis confitentis,perſonas de domo propter obſeruantiæ cuſtodiam ſcandalizari[c], admirantes, ꝙ ſic propè hoſtiũ permaneret,nolumus, ꝙ tunc obſeruetur,quod dictum eſt.Quia nolumus[d] maiorem ſuſpitionem habere de noſtro ſacerdote confeſſionem audiente, quàm perſonæ de domo habeant de ſua muliere confitente.

c ¶ Arg.in ca.ad aures. de temp.or.c. q ſcandalizauerit. de ſen.& re iud.c. cum ex iniũcto.§. ſuper eo. de no.ope.nunc.c.aliquãtos.in fi.diſt. 51.c. presbyteros.di.95 argu.in c.illa.§.alia verò.diſt. 12.c. vt conſtitueretur. in fi.diſt. 50. c.qſquis. 3.q.4.ca.ſup quodã.de ſta.reg.

d ¶ Vt maius ſcãdalum vitetur.argu. cap. conſilium.de obſer.iein.c.ſi qđ. 23.q.2.

Quotiens,& quando fratres communicare debent,& qua pœna puniantur,qui nolunt communicare. Cap.10.

FRATRES noſtri tam nouitij,quàm profeſſi,clerici,conuerſi,& commiſſi, decem,& ſeptem vicibus communicare[a] debent in anno,niſi de licẽtia, ſeu mandato Prioris, propter aliquã cauſam remanere contingat,videlicet.In prima Dñica de Aduẽtu. In die Natiuitatis Dñi. In die Epiphaniæ. In die Purificationis Virginis Mariæ. In prima Dñica Quadrageſimæ. In Annunciatione B.Virginis. In cœna Dñi. In die Reſurrectionis. In Aſcenſione Domini. In die ſancto Pẽtecoſtes. In feſto Corporis Chriſti. In die Natiuitatis beati Ioannis Baptiſtæ.In Aſſumptione beatæ Virginis. In feſto Beati Patris noſtri Auguſtini.In Natiuitate beatæ Virginis.In feſto ſancti Michaelis. In ſolennitate omnium Sanctorum.

1 Si quis autem ex fratribus,diebus prædictis abſtinere à communione petierit,ſine rationabili, & manifeſta cauſa non cõcedatur eidem. Quam cauſam, ſi ei recitanda ſecretè non fuerit,corã Priore, & conuentu, vel ſaltem duobus de ſenioribus conuentus

a ¶ Arg.ex doct.Auguſt.i c.quotidiè. & c.peracta.& Ambro.c.ſi quotiens. & 2.c.ſeq.de conſe.diſt.2 .cle.ne in agro.§.ſanè.de ſtatu reg.

cum

cum Priore confiteri[b] penitus teneatur. Quod ſi facere renuerit[c], quotidiè ſedeat in terra coram toto conuentu,ſecũda,& quarta, & ſexta feria,ad minus in pane,& aqua ſolùm ſeptimanis ſingulis ieiunando. Teneat etiam continuum ſilẽtium, morando in cella,donec de prædicta culpa ſatisfecerit,ſicut decet. Et talis cuiuſcunque conditionis exiſtat, vſque ad plenam ſatisfactionem,ab omni officio, & miniſterio congregationis ſuſpendatur.

b ¶Arg. in d. cle. ne in agro. de ſta. reg.
c ¶Arg. ex Conc. Agat. c. cõtumaces. diſt. 50.

Quomodo ſilentium in choro, & dormitorio, & cæteris locis, & horis, à fratribus teneatur. Cap. 11.

IN choro[a], & dormitorio, & clauſtro primo, in refectorio capitulo[b] quoque, atq; in cameris priuatis ſummum ſilentium ſemper ſeruetur. In capitulo tamen primi clauſtri, lectiones, ac diſputationes fieri non prohibemus. Vbi verò clauſtrum primum non eſt completum, ſecundùm prouidentiam Prioris, in parte eius loqui liceat, & in parte alia ſilentiũ teneatur. Vbi verò tantum vnum eſt clauſtrũ, quòd in parte eius fratres loqui valeant, Prior ſimiliter poterit diſpenſare. In eccleſia verò, ſeu oratorio (in cella autem minimè) ſæcularium virorum poſſumus confeſſiones audire.

a ¶De ſta. regu. c. cũ ad monaſterium. §. in oratorio. & Conc. Tolet. 11. c. in loco. 5. q. 4. ca. decet. §. ſit itaq; de immu. eccle. li. 6. cle. ne in agro. §. præmiſſa. de ſta. reg. c. dolentes. §. ſunt. & alii. de celeb. miſſ.
b ¶Ex Conc. Tolet. 11. c. i loco. 5. q. 4.

1 In dormitorio quoq;, lectioni, & orationi vacare poterunt fratres, ſcribere etiam, & quippiam aliud operari, ſi id abſque vllo ſonitu, & inquietudine alicuius fieri poſſit. In quo per totam noctem lampas ardeat, & luceat clarè. Quod ſi Prior neglexerit facere, arguatur, & puniatur, ſecundùm quòd diſcretioni ſuorum ſuperiorum videbitur expedire.

2 In clauſtro verò ſecundo, officium prouidere, & cantare, & manibus operari licebit. In alijs etiam locis honeſtis, & omni ſuſpitione carẽtibus fratres ad

lectio-

lectionem, & orationem, & pſalmodiam eſſe poterunt. Extra autem ambitum domorũ, vtputa, in pomærio, orare nocturno tempore, vel diurno cum cõuentus dormit, aut reficitur, aut diuinis inſeruit, ſuſpitione[e] dicimus non carere.

¶Regula qui contra iura. cum ſuis concord. de regu. iur. in 6.

3 Prior etiam in refectorio ad menſam, & in choro, de ijs quæ expedierint, ſilenter loqui valeat, & magiſter nouitiorum, cum eis tantum, in eiſdem locis, ſimili modo poterit loqui, necnon, & cantor in choro, in diſtributione officij. Qui tamẽ ſic deprimat vocem in loquendo, tanquam loqueretur in aure. In locis autem ipſis, & horis ſilentio deputatis, fratres, qui ſigna neſciunt, ſilenter aliquid cum neceſſarium fuerit, breuiter poterunt loqui, tantum illa, quæ neceſſitas ſuadebit.

4 A ſigno ſilentij, quod ſero pulſatur, vſque ad primam ſequentis diei, ſilentium vbiq; teneatur, ita tamen, ꝙ liceat Priori cum laboratoribus, & cum illis, qui fratribus, vel perſonis alijs ſuperueniẽtibus horis prædictis deſeruiunt, in ſilentio diſpenſare.

5 Ab ipſa etiam Reſurrectione, vſq; ad Exaltationem S. Crucis, diebus in quibus nõ ieiunamus, pulſato ſigno ſilentij poſt prandium, vſq; ad completã orationem poſt nonã, & diebus quibus ieiunamus, donec ſurgendi ſignum à ſacriſta tãgatur, fratres in cellis ſuis, aut dormiant, aut legant, aut orent, ſeu aliquid vtile operentur, tamẽ ſine inquietudine dormientium, vel alicuius eorum, & ſummum ſilẽtium ſtudeãt tota deuotione ſeruare. Quod ſi aliquis extra cellam ſuam aliquid voluerit operari, quod ſine ſonitu, & alicuius inquietudine fieri non poſſit, non illud præſumat facere.

6 In omni loco quoq; extra monaſterium, fratres ad menſam ſilentium teneãt, excepto vno ſolo, qui

magis

magis eſt notus, vel maior erit. Si autem in mēſa epiſcopi fuerint, eis de mādato epiſcopi loqui licebit.

7 Vicarius generalis congregationis noſtræ, ad ſilentium non cogatur, & ſi quando ei videbitur, cum alijs in ſilentio diſpenſandi liberam habeat facultatem. Benedicite verò dicere, ſeu licentiam loquendi dare, in mēſa hoſpitum, vel in alia, in qua fratres manducare contingat, nulli alij, q̃ Priori licebit.

In quibus caſibus mulieres chorum, & clauſtrum noſtrum ingredi permittantur. *Cap.* 12.

CHORVM noſtrum, & clauſtrum primum cum officium in funere agitur alicuius ſolēnis perſonæ, & etiam pro prædicatione audiēda, & in proceſſionibus, ac pro miſſis audiendis intrādi facultas mulieribus dari conſueuit. Hanc tamen conſuetudinem, poſſit Prior loci obſeruare, vel non obſeruare, ſicut diſcretioni ſuæ videbitur expedire. Dum verò diuinum officium celebratur, chorus[a] non pateat viris, à fortiori nec mulieribus, ſed exterior eccleſia, tunc omnibus ſit aperta, nō ſemper tñ in die ſit aperta, ſed maneat clauſa, dum conuentus eſt in refectorio, aut dormit, niſi quando ex magna perſonarum frequentia opus ſit confeſſiones audire.

a ¶ Arg. ex Conc. Magon. c. vt laici. §. ſed pars illa. de vita, & hone. cler. & ex eo. Con. c. Inhibendum. §. prohibendum. de coha. cleri. c. ſacerdotū. de conſec. diſt. 2.

1 Caueant autem portinarius, & ſacriſta, ne fratres hora debita dormientes, & exiſtentes in choro ad diuina officia, vel in refectorio, aut in capitulo ſollicitent ad exeundum, niſi cauſa neceſſitatis fuerit magna.

Quanta, & qualis ſolicitudo habeatur circa infirmos. *Cap.* 13.

CIRCA fratres infirmos[a], tam nouitios, q̃ profeſſos, ſeu conuerſos, aut commiſſos noſtros, caueat ne ſit negligens[b] Prior, quia cura de eis, ante omnia,

a ¶ Aug. in regul. & idem Aug in c. Nabuchdonoſor. §. fi. 23. q. 4. ca. cum ad monaſterium. §. in refectorio. de ſta. reg.

b ¶ Arg. in d. c. cum ad monaſterium. §. Abbas. de ſtatu reg.

omnia,& ſuper omnia eſt habēda, cum ſoli Deo ſeruiatur in illis. Si quis tamen talem habet infirmitatem, ꝙ nec eum debilitet multum, nec ſibi turbet appetitum edendi, vt eſt inflatura, vel inciſio cutis in quacunque corporis parte, vel aliquid aliud huiuſmodi, ex læui cauſa proueniens, talis, nec conſueta ieiunia frangat, nec cibos refectorij vitet. Qui verò grauiter infirmatur, vtpotè febribus tertianis, vel quartanis: ſimplicibus, vel duplicibus: cōtinuis, vel quotidianis: ſeu aliquo graui langore, temporaneo, vel perpetuo laborantes, talium curam vni ex fratribus, cuius cor poſſideat timor Dei, Prior iniūgat. Qui eis cum omni charitate neceſſaria die noctuq; miniſtret. Atq; ſi propter multitudinem, aut diuerſitatem infirmantium, ſolus non ſufficit, coadiutor detur eidem. Prior ſæpè viſitet infirmos, de confeſſione moneat, hortetur ad patiētiam, & ſolicitè intendat, ne aliquid deſit infirmario, quod neceſſitati expediat infirmorum. Quod ſi ſecus fiat, patres viſitatores, ſuperiorem huiuſmodi infirmorum ab officio ſuſpendant, & Vicario congregationis ſtatim ſignificent, qui eundem officio priuet. Super quibus Vicarium congregationis, ac viſitatores ſub diuini iudicij interminatione, quantum cum Deo poſſumus, excitamus, & grauamus in conſcientia, & omittentes per capitulum generale grauiter puniendos iudicamus.

1 Infirmi enim quādiu grauati ſunt, vt in lectis ſuis comedere habeant, ad ſilentium nō teneantur. Sed cum in conualeſcentia fuerint, ita vt exire, & adire eccleſiam, & conſimilia facere, ſine alterius ſubſidio poſſint, ſicut qui ſani ſunt ad ſilentium teneātur, excepto, ꝙ ad menſam eorum loqui poterit vnus ex illis. Et ideo Prior, tales infirmos, ſi maximè poſt cō-

pletorium,

pletorium, aut dormiẽte cõuentũ fuerint inquieti, ad capitulũ venire faciat, vbi eos increpet, & pœnã eis imponat, pro qualitate, & quantitate culparum. Quam poſtquam conualuerint, ſuſtinere cogantur.

2 Licet autem infirmis omne velimus obſequium, inquantum neceſſitas eorum exigit, & facultas loci patitur impartiri, debent tamen ipſi intendere parcitati, & cauere ne ſibi ſeruientes propter Deum ſua ſeperfluitate contriſtent. Nec cibos illos exquirant, aut ſi exquiſierint, abſque conſilio medicorum, non dentur eis, qui recidiuationem conſueuerunt magis inducere, quàm ſanitatem.

3 Poſt conſuetam de infirmitate conualeſcentiam, redeant ad conuentum. Conualuiſſe ille credendus eſt, qui conſueto colori ſuo, aut priſtinæ corpulentiæ eſt reſtitutus, qui paratus eſt diſcurſibus, qui labores placidos non abhorret, & qui cibos ſumit in ſolita quantitate. Et ideò quiſquis poſt huiuſmodi ſigna conualeſcentiæ redire pigritabitur ad conuẽtum, vt redeat, compellatur, & ſubtrahantur ei cibaria infirmorum.

4 Infirmarij, quamdiu ſunt in miniſterio infirmorũ occupati, ſub ſilentij lege non ſint. Debent tamen ſermones ſuos moderari, quia & infirmis conſueuit multiloquium non prodeſſe. Ipſi etiam, quæ in infirmatorio neceſſaria ſunt, & quæ aguntur in illo, & quomodo ſe habeant, qui plus minuſve grauentur, ſæpè debent intimare Priori, vt ipſe tam in moribus corrigendis, quàm in procurandis neceſſarijs eorum qui in infirmatorio fuerint, poſſit ſemper vigilantior inueniri.

5 Nullus ad balnea[c], vel ad ſtuffas, q̃ ſint extra locũ congregationis ire præſumat ſine licentia Reuerendi patris Vicarij congregationis in ſcriptis habita, & de

c. ¶ Argu. ex regula Auguſt.

& de conſilio medicorum, ſub pœna quæ pro grauiori culpa taxatur, per dies octo ferenda, & voce careat per annum.

6 Si quis verò ex noſtris fratribus profeſſus, aut nouitius, vel etiam conuerſus, aut cõmiſſus, extra conuentum ſuæ conuentualitatis, in loco aliquo noſtræ congregationis fuerit infirmatus, Prior, & fratres illius loci teneãtur ei in neceſſitatibus omnibus ſubuenire. Quod de illis intelligi volumus, quos in alio, quàm ſibi aſſignato loco noſtræ congregationis infirmari contigerit, nõ de illis qui iam infirmi à loco ſuo receſſerint, aut cauſa recuperandæ ſanitatis miſſi fuerint. Et ſi fratrem aliquem extra cõuentum ſuum decedere contigerit, & pecuniæ apud eum repertæ fuerint, de licentia ſui ſuperioris eidem ad vſum conceſſa: decernimus, quòd de ipſis pecunijs ſolui debeant conuentui in quo deceſſerit expenſæ pro illius infirmitate factæ, tam in medicinis, quàm in alijs, pro eo expoſitis.

De cura habenda circa fratres decedẽtes, & qualiter libri eis conceſſi diſtribuantur. Cap. 14.

CVm aliquis frater infirmatur, & incipit grauari: volumus, vt Prior, vel infirmarius ſtatim habeat curam, vt omnino debitè, & purè confiteatur[a], & tradatur ei ſanctiſſimũ corpus[b] Chriſti. Et ſi adeò poſtmodum grauatur, vt aliquibus indicijs medicorum iudicio, de eius non videatur deberi, aut poſſe ſperari ſanitate, quamdiu ſani, & integri ſenſus eſt, ſecundùm morem ſanctæ eccleſiæ catolicæ, & noſtri ordinis, vngatur[c], & circa eum omnis diligentia, & cuſtodia adhibeatur. Ipſumque Prior, & fratres verbo, & obſequio adiuuent, & confortent, atq; ab omnibus orationibus quotidiè ſubleuetur, & vnuſquiſque

a ¶ Ex Con. Cartag. 2 ca. Aurelius. ex Con. Aueriſco. ca. qui recedunt. ex Con. Cartag. 4. ca. is qui. & Leo ep̃s. c. his qui. 26. q. 6.

b ¶ Ex Con. Martini Papæ. c ſi quis de corpore. ex Conc. Carta. 4. ca. is qui. ex Conc. Nicæno. ca. de his. 26. q. 6. arg. à ma. in c. quæſitum. 13. q. 2.

c ¶ De ſacra vnct. c. 1. §. ſcire te volumus.

que memor ſit ſuæ conditionis, quoniã mors[d] porta eſt, per quam trãſit omnis caro. Nec relinquatur ſine cuſtodia die, ac nocte, donec anima eius egreſſa fuerit à corpore. In hora verò egreſſionis animæ eius à corpore, ad ſignum infirmarij, vel ſacriſtæ, ſine mora omnes fratres conueniant circa eũ, & officium debito modo perſoluant ſuper eum. Mortuus uerò ſpolietur, & lauetur, ab aliquibus, quibus Prior iniunxerit reuerenter. Et deinde cuculla indutus, & caligis calciatus, & corrigia cinctus, ponatur in feretro, & tunc peractis quæ debentur ex ordine, ſepelietur honeſtè.

1 Sepulto eo, & cęteris alijs expeditis, conueniant in capitulo fratres, quibus Prior iniungat, vt ſinguli, quam citius ſoluant, ſecundùm ſtatuta congregationis, debitum pro defuncto.

2 Libri quibus utebatur, ſint in arbitrio diffinitorij ad diſtribuendum, tam per loca, quàm per fratres congregationis, niſi eſſent alicui conuentui ſpecialiter aſſignati.

3 Omnia bona, quæ ad uſum Reuerendi patris Vicarij generalis noſtræ congregationis decedentis, tempore deceſſus ſui reperta fuerint, congregationi[e] ipſi in genere, adiudicamus, libris dumtaxat exceptis, de quibus diſponatur, ut ſupra dictum eſt.

4 Priuilegium Sixti Papæ quarti de ſucceſſione[f] bonorum fratrum decedentium, ratione receptionis habitus ordinis in locis noſtræ congregationis, ad mentem ſupplicãtium patrum noſtrorum interpretamur, ꝙ in tenoribus ſuis intelligi debeat, & ſeruari, quãdo frater huiuſmodi non eſſet ortus, & oriundus ex alio loco, ſeu quæſta alterius loci noſtræ cõgregationis. Alias uerò conuentum natiuitatis præferri uolumus loco receptionis habitus, ac profeſſionis

d ¶ Ex Conc Triburien. c. in eccleſiaſtico. 13. q. 2.

e ¶ Arg. ex Con. Alten. 18. q. 1. ca. ſtatutum. de teſtam. c. 1.

f ¶ Greg. c. quia ingredientibus. & ca. perlatum. & in auten. 9. c. ſi qua. 19 q. 3. ex Cõ. Alten. d. c. ſtatutũ. 18. q. 2. de probat. ca. in præſentia. de teſta. c. 1. in fi. & c. cum in officiis. in fine. eo. tit.

ſionis alibi factarum. Si verò diuerſa noſtræ congregationis loca, ſeu domus in loco natiuitatis fratris huiuſmodi, apud quem locum domus noſtræ congregationis non exiſteret, quæſtuari conſueuerint, eo caſu arbitrio diffinitorij diiudicandum relinquimus, & diſponendum.

De modo receptionis nouitiorum. *Cap.* 15.

SI qui in ordine noſtro recipi petierint, non ſtatim annuatur eis quicunque ſint illi, ſed probetur[a] ſpiritus eorum, ſi ex Deo eſt. Qui ſi perſeuerauerint in propoſito, & fuerint perſonæ idoneę, poſt oblatam eis ſpem à Priore, & à maiori parte capituli eorum receptionis, audiat eorum generalẽ (ſi poſſibile eſt) confeſſionem Prior, vt cognoſcat vultum[b] pecorum ouium ſuarum numero ſociandorum.

1 Et hora qua ſibi videbitur, & alijs ſenioribus, fratribus congregatis in vnum, ab vno fratre, vel duobus, qui eos de modo miſericordiæ petendæ, diligenter inſtruxerint, ducãtur in capitulum, & in medio ſtantes proſternant ſe, & interrogati à Priore. Quid petitis. Rñdeant. Miſericordiã Dei, & veſtrã.

2 Deinde iubeat Prior eos ſurgere, ab eis diligenter inquirens ſub pœna priuationis officij ſui, an ſint matrimonio carnali copula[c] cõſummato ligati, vel ſerui[d], aut ratiocinijs obligati, vel occulta infirmitate detenti. Item ſi pro clericis recipiendi eſſent, inquirat an defectum natalium[e] patiantur, niſi ſint de nobili[f] genere, aut eminenti ſcientia[g] præditi. Item inq̃rat an ſint bigami[h], vel irregulares ex cauſa ſanguinis[i], aut corpore deformes[K]. Qui ſi reſponderint alicui illorum caſuum ſe teneri, repellentur tanquã ſubditi iuri alieno, uel tanquã ad ferendum pondus noſtri ordinis, & cõgregationis inepti, & à ſacris altaribus proiecti. Sed ſi ab omnibus his liberi erunt,

exponat

a ¶ Prima Io c.4. ar. Grego. in gen. Synodo. ca. multos. diſt. 54. ca. legem. in fi. diſt. 53.
b ¶ Prouerb. c. 17.
c ¶ Arg. Aug. ca. manifeſtũ. ca. noluit. 33. q. 5.
d ¶ Ar. ex Con. Gangren. c. ſi quis. 17. q. 4. ex Con. Tribur ien. cap. nulli. ex Con. Aurelian. ca. ſi ſeruus. ex Conc. Martini Papæ. c. ſi quis obligatus. ex Con. Tolet. 4. c. q. cunq; ex eo. Con. c. de ſeruorum. & c. de rebus. ex Cõ. Magontin. ca. magnus. diſtin. 54. ex Con. Tolet. de ſer. non ordi. ca. 1. ex Con. Pictauen. de fil. presb. c. 1. in fi.
e ¶ Ex Con. Pictauié. de fil. presb. d c. 1. & c. is q. e. ti. li. 6.
f ¶ Arg. in cap. quia contra. 14. q. 1.
g ¶ Ar. i Con. geñ. c. de multa. § circa ſublimes. de pręb.
h ¶ Ex Conc. Aurel. de biga. c. vt bigami. & vltra per totum. & ex Con. generali Lugdun. c. altercationis. eo. tit. in 6. ex Conci. Arelat. 3. c. nullus. & ex Conc. Arela. 2. c. hi qui. diſ. 55.
i ¶ Ex libr. Exodi. de homi. cap. 1. & ibi not. ex Cõ. Tolet. 2. c. ſi quis. di 52. c. aliquãtos. in fi. di. 51. ex Cõ. Mar. pp. c. ſi q̃s viduã. & c. miror. diſt. 50.
K ¶ C. ſi. di. 55. c. qui partem. ea. de cor. vitia. c. 1. & 2. diſ. 33. c. cõiter. c. clerici. c. vſqueadeò. Greg. ca. hinc etenim. i prin. di 49.

exponat eis Prior aſperitatem ordinis, ſcilicet abdi cationem propriȩ voluntatis, vilitatem ciborum, aſperitatem veſtium, vigilias nocturnas, labores diurnos, macerationem carnis, opprobrium paupertatis, ruborem mendicitatis, laſſitudinem ieiunij, tædium clauſtri, & his ſimilia. Et de omnibus his voluntatem eorum exquirens, ſi reſponderint ſe ſemper velle cum Dei adiutorio ſeruare, inquantum humana fragilitas ſeruare poteſt, dicat eis.

3 Accipiemus vos ad probationem[l] anni ſicut mos eſt fieri. Et poſt hæc Prior dicat. Dominus qui incæpit in vobis bonum opus perficiat. Et conuentus reſpondeat. Amen. Et cantores incipiant. Magne Pater Auguſtine &c. Et dum cantatur hymnus tonſis[m] crinibus (ſi debent eſſe clerici) veſtibus ſæcularibus exuantur, & religionis habitu induantur. Et cantato hymno dicatur. Ora pro nobis beate Pater Auguſtine. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Oremus.

Adeſto dñe ſupplicationibus noſtris, & hos famulos tuos bene✠dicere dignare, quibus in ſancto nomine tuo ſacræ religionis habitum dedimus, vt te largiente deuoti in eccleſia perſiſtere, & vitam percipere mereantur æternam. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

4 Quibus indutis Prior dicat. Saluos fac ſeruos tuos. Deus meus ſperantes in te. Oſtende eis domine miſericordiam tuam. Et ſalutare tuum da eis. Eſto eis domine turris fortitudinis. A facie inimici. Nihil proficiat inimicus in eis. Et filius iniquitatis nõ apponat nocere eis. Mitte eis domine auxilium de ſancto. Et de Sion tuere eos. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

l ¶C. gonſaldus. 17. q. 2. de reg. ca a l apoſtolicam. & c. non ſolùm. eo. tit. in 6.

m ¶Arg. ex 7. Synodo. c. qñ. diſt. 69.

DEus, qui à ſæculi vanitate conuerſos ad brauium ſupernæ vocationis accendis, & qui renunciantibus ſęculo manſiones paras in cœlo, dilata famulorum tuorũ corda cœleſtibus bonis, vt fraterna nobiſcum teneãtur cõpagine charitatis, vnanimes regularia inſtituta cuſtodiãt, ſobrij ſimplices, & quieti, gratis ſibi datam ſuę conuerſionis gratiam fuiſſe cognoſcãt, eorumq; vita perfecta ſentiatur in opere. Per Chriſtum dñm noſtrum. Amen. Oremus.

DOmine Ieſu Chriſte dux, & fortitudo noſtra, humiliter petimus, vt famulos tuos quos ſanctæ compũctionis ardore ab hominum cæterorum propoſito ſeparaſti, à conuerſatione carnali, & ab immunditia terrenorum actuum infuſa eis cœlitus ſanctitate diſcernas, & gratiam quam te donante affectant opere adimpleant, vt ſic ſuæ conuerſionis executores effecti, ad ea quæ perſeuerantibus in te promittere dignatus es pertingant bona. Qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

5 Deinde nouitijs dentur candelæ accenſæ in madibus, & cantetur hymnus. Veni creator ſpiritus. Et dum cantatur, nouitij ante altare maius proceſſionaliter ducantur cum Priore poſt alios. Et finito hymno, dicitur. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. Et renouabis faciem terrę. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, qui corda fidelium ſancti ſpiritus illuſtratione docuiſti, da his famulis tuis in eodẽ ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper cõſolatione gaudere. Per dñm noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuũ, qui tecum viuit, & regnat in unitate eiuſdem ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amẽ.

DEus, qui de beatæ Mariæ virginis vtero verbum tuum angelo nunciãte, carnem ſuſcipe-

re

re voluiſti, præſta ſupplicibus tuis: ut qui uerè eam genitricem Dei credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per eundem Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo, atque Pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum uiuit, & regnat in unitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

6 Expletis his omnibus, ab inſtructore capiuntur candelæ de manibus nouitiorum, & extinguntur, & ducuntur nouitij ad Priorem, à quo accipiunt pacē. Et ſic ſucceſſiuè ab alijs fratribus, & pace expletā, ducuntur nouitij ante Priorem genibus flexis audituri ab ipſo Priore. Non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit uſq; in finem, hic ſaluus erit. Deinde mutet eis nomen, & tradantur ſub obedientia magiſtri[h], qui eos dirigat in uiam Dei, & doceat de regula, de cōſtitutionibus, de officio, de cantu, de moribus, de ſignis, & de alijs obſeruantijs ordinis, & noſtræ congregationis, & legat ſibi magiſter ſuus, aut ipſimet, regulam, & conſtitutiones, ſeorſum ab alijs pluries in anno, ut diſcant nouitij, ſi ſe ordini, uoto profeſſionis aſtrinxerint, ſub qua lege militare debebunt.

h ¶Ex Con. Toleta. 12. q. 1. c. ōis ętas. clé. ne in agro. §. ſanè. de ſta. reg.

7 Bona ſi qua detulerint, de illis ſecundùm Prioris prouidentiam, & capituli ſui pro lectiſternijs, & ueſtibus, eis neceſſaria deducentur, & pro libris ſi clerici fuerint, cōſideratione habita in emendis libris pluribus, aut paucioribus, ſecundùm ualorem ipſorum bonorum, & diſpoſitionem nouitiorum. Quic-

quid uerò reſiduum fuerit, computetur, atque ſcribatur, ita quòd habeatur certa memoria. Vt ſi fortè (quod Deus auertat) ante profeſſionẽ reſpexerint[o] retro, ſua ſibi reddãtur[p], niſi ante religionis ingreſſum ea ſpontè donauerint[q] domui, uel conuentui obtulerint, eo modo quo amplius ſibi in iudicio ea repetere nõ licebit, & domus ad reſtitutionem eorum, non fuerit in foro pœnitentiali cogenda. Si tamen ex hoc grande in populo uideretur ſcandalũ[r] generari, fratres ſic ſe habeant, quòd pro temporalium ſubſtãtia rerum, fidelium ad eos remiſſior deuotio non reddatur.

o ¶ Quod facere poſſunt. ca. ſuper eo. de reg.

p ¶ Ex Con. Magun. c. conſtituit. 20. q. 3. ca. ſi quis incognitus. 27. q. 2. & c. quod à te. §. ſanè. de cle. coniug.

q ¶ Ex Con. Agaten. c. clerici, vel ſęculares. 13. q. 2. Ambro. c. ſunt qui opes. 17. q. 4. Greg. c. ſacrarum. 12. q. 2. & cap. illud. 16. q. 6.

r ¶ Greg. in ca. nihil cum ſcandalo. in prin. de reſcrip. c. cum ex iniuncto. §. ſuper eo. de no. ope. nunc. ca. qui ſcãdalizauerit. de ſent. & re iu. c. ſup quodã. de ſta. reg. ca. ad aures. de tēpo. ord. c. aliquantos. in fi. diſt. 51. c. presbyteros. diſt. 95. c. illa. §. alia verò. diſt. 12. Aug. c. vt conſtitueretur. in fin. diſt. 50. c. cũ quiſquis. 23. q. 4.

De qualitate, & tempore eorum qui ad ordinem recipiuntur.
Cap. 16.

NVLLVS quoque minor decem, & ſeptem annis, pro clerico, aut conuerſo, uel commiſſo, ad ordinem recipiatur, nec aliqua promiſſione ligetur. Prior uerò, qui contrafecerit infra duos mēſes, ab eius receptione, uiginti diebus in pane, & aqua ieiunet, & ab officio ſit abſolutus. Cõuentus autem, qui ſine licentia Prioris aliquem receperit, quilibet frater infra duos menſes, diebus uiginti in pane, & aqua ieiunet. Si uerò ſingularis frater aliquem recipere de facto præſumpſerit, tribus menſibus pœnæ grauioris culpæ ſubiaceat, & uoce careat, donec per diffinitorium cum eo fuerit diſpenſatum.

1 Pro clerico aũt nullus nouitius recipiatur ad ordinem, niſi legere ſciuerit cõpetenter, & ſit docibilis ad adiſcendũ. Nullus uerò pro clerico, uel laico recipiatur, niſi ſit perſona nota[a], & qui non ſit de aliquo uitio notabili infamatus[b]. Facientes uerò cõtra hanc formã eorum ſuperior, infra tres menſes poſtquam de hoc ſibi conſtabit, uigintiquinq; diebus in pane,

a ¶ Arg. in c. ſi quis icognitus. 17. q. 2.

b ¶ Infames q ſint. c. infames. & c. omnes verò. 6. q. 1. c. alieni. 3. q. 4. cap. diffinimus. 4. q. 1. c. conſtituimus. & c. omnes. 3. q. 5. c. ſi quis verò. & 3. c. ſeq. 3. q. 4. c. conſpirationum. 11. q. 1. ca. attendendum. 17. q. 4.

pane, & aqua ieiunare cōpellat. Et talis notatus de aliquo uitio notabili licentietur. Poterit tamen aliquis de notabili[c] genere pro clerico, etſi minus nouerit literas de gratia ſpeciali recipi.

2 Nouitius uerò, ſi clericus fuerit infra tempus ſuæ probationis, in pſalmodia, & cantu, & alio diuino officio, ſtudeat diſcere[d] diligenter, atque in hoc tempore, nulli ordines eidem conferantur, ſed nec mittatur[e] extra locum, ſi fuerit imberbis, abſque neceſſitate rationabili. Nam ſi grandæuus fuerit, & robuſtus mitti poterit, cum diſcretioni Prioris uidebitur expedire. Cuius etiam ueſtes in eo ſolùm differant à ueſtibus profeſſorum, quòd ante horam ſuæ profeſſionis, cuculla non[f] benedicetur ipſius.

3 Nouitius à die ingreſſionis ſuæ ad nos, uſque[g] ad annum, & diem in probatione manebit, ut aſperitatem uitæ ordinis, & noſtræ congregationis experiatur, & fratres mores experiantur illius.

4 Vicarius generalis, & Viſitatores noſtræ congregationis, in ſingulis locis inquirant fratres clericos, qui competenter legere neſciunt, & niſi poſt præfixum eiſdem annum, legere didicerint competenter, coronam ſeu clericalem tonſuram, ulterius ferre non permittantur, & in cōi electione p̄lati, cui eſt annexa animarum cura, perpetuo ſint uoce priuati.

5 De[h] regula beati Benedicti, & prædicatorū, & minorum, & aliorum cæterorum ordinū, nullus licentiatus, uel fugitiuus recipiatur, quantumcunq; extiterit importunus, nec alterius profeſſionis, quantūcunque noſtro ſit laxior ordo illius, nec etiam eorū qui extra congregationē abierunt, uel expulſi ſunt, aut abeūdi licentiā obtinuerūt, amplius recipiatur.

6 Præterea ſi nouitius (quiſquis ille ſit) dum in probatione fuerit, modum qui ſibi ex ordine ſeruandus

C 3 traditur,

c ¶ Argum. in c qui contra. 14. q. 1.

d Arg ex Con. geñ. ca. clerici. el 2. de vita, & hone.

e ¶ Arg in c. quædā lex. 35. q. 3 c. omnis. 12. q. 1.

f ¶ Argu. in cle eos qui. de regu. & Alex Papa 4 in bul. vnionis ordi. noſtri. ca. ſtatuimus. de regul.

g ¶ De reg. c. ad apoſtolicam. ca. ſuper eo. c. conſulti. ca. poſtulaſti. c. ſtatuimus. eo. tit. c. non ſolùm. eo. tit. in 6. ca. gonſaldus. 17. q. 2. ex Conc. Tribурien. ca. puella. 20. q. 2.

h ¶ Argu. ſingulorū eſt ex Con. Hiſpalen c. in noua. 16. q. 7. & in c. cū cauſam. §. quia. de electio. ſumptum ex ex lege dñi dicentis. de vtero. c. 22. non arabis in boue, & aſino &c.

traditur, nō ſeruauerit, vel inhoneſtè ſe habeat, aut præſumat cum aliquo malitioſè contendere, ſeu in ſuperbiam erectus, vel aliquid aliud attentaret, per quod poſſit in domo alicuius turbationis materia ſuſcitari, differri huius eiectio non debebit, ſed ſtatim de ordine expellatur. Et nouitius, qui pro culpa ſua[i] expelletur, non vlterius recipiatur. Si quis verò nouitius quacunque die infra aſſignatum ſibi tempus probationis, reſpexerit retro, ſi poſt modū redire voluerit non recipiatur, niſi eius vita, & conuerſatio talis fuerit, quòd videatur diſcretioni Reuerendi patris Vicarij generalis noſtræ congregationis, & fratrum conuentus, cum eo miſericorditer diſpenſandum.

i¶Arg. in c. ſup eo. in tex. & glo. magna. de elect.

7 Cū lepra ſimoniacæ[x] prauitatis infectus ſit quaſi membrum putridum à corpore ſanctæ matris eccleſiæ alienum, iccircò omnibus, & ſingulis locorū noſtrorum ſuperioribus, & alijs fratribus noſtræ congregationis diſtrictæ prohibemus, ne[l] aliquē ad ordinem recipiant, ſeu recipi faciant, vel conſentiāt, aliquo temporali accepto, vel retento, vel pactione aliqua interueniente, tacita, vel expreſſa promiſſo. Quod ſi quis immemor ſuæ ſalutis, contrafecerit, ſi ſuperior loci fuerit, eo ipſo ſit ab officio ſuo abſolutus[m], & tanquam eccleſiaſtica cenſura[n] ligatus in noſtra congregatione, ad aliquod officium cū cura animarum nullatenus aſſumatur, etiā ſi à ſede Apoſtolica, abſolutionem meruerit obtinere, niſi ſecū per duo diffinitoria noſtræ congregationis fuerit diſpēſatum, & nihilominus actiua paſſiuaque voce careat per quinquennium, & pœnæ grauioris culpæ tribus menſibus ſubiacere cogatur. Quicunq; verò frater priuatus contrafecerit, inhabilitationem, & pœnam ſupradictam ſimiliter incurrat, & ferre cogatur. Et

x¶Ambr. in c. repetiuntur. 1. q. 1.

l¶In Con. generali. ca. qm ſimoniaca. de ſimo. c. non ſatiſ. in prin. eo. tit. ex Con. Latera. c. monachi. in prin. de ſta. regu. c. quā pio. & ca. nullus. 1. q. 2.

m¶Ex Cōc. Magun. c. q aliū. de ſimo. argu. in c. ſicut ſimoniaca. & ex Cōci. Tolet. c. de hoc & c. veniēs. eo. ti.

n¶Scilicet excōicationis. Greg. c. quicunq;. 1. q. 1. Paulus Papa 2. in extrauag. de ſimo.

ille qui ſic receptus fuerit etiam ſi de facto profeſſus fuerit, ſtatim ab ordine expellatur[o], rebus quibuſcunque ſit acceptis, quibus de iure debentur integraliter reſtitutis[p].

Qualis debeat eſſe magiſter nouitiorum, & de quibus ipſi nouitij inſtruantur. *Cap.* 17.

PRior præponat nouitijs vnum ex fratribus magiſtrum[a], doctum, & honeſtum virum, approbatum, & ordinis præcipuum zelatorem[b]. Qui eos ante omnia, doceat purè, & diſcretè, & frequenter confiteri, caſtè, & ſine proprio viuere, inſtruat eos, de regula, de conſtitutionibus, de cantu, de officio[c], de moribus, de ſignis, & alijs obſeruantijs ordinis, & neceſſaria eis omnia, apud Priorem, & Procuratorem procuret. Surgere ad vigilias[d], ſi fuerint ſomnolenti, & in eccleſia excitet, & vbicunque ſe negligenter habuerint, eos quãtum poterit, ſignis, & verbis, obſecrando, & increpando, ſtudeat emendare, quia eorum cura, ei ſpecialiter eſt cõmiſſa. De apertis culpis, & negligentijs, cum coram eo veniam petierint, aut puniat, aut eos in capitulo accuſet. Doceat nouitios magiſter quomodo inclinationes, & genuflexiones, atq; proſtrationes horis, & locis debitis faciant, quomodo inclinent ſe conuentui, & vnicuique fratri, cum eum obuium habuerint. Quanta diligentia, & cuſtodia, cor ſuum, & linguam ſuam ſeruent. Quomodo inclinẽt ſe danti ſibi aliquid, vel ab eis recipientibus. Quomodo deſignatum eis locum teneant. Quomodo, & quid orent, & quàm ſilenter[e], vt ſtrepitum alijs non faciant. Quanta diligentia libros, & veſtes, vaſa, & alias res domus cuſtodiant. Quale alijs exemplum præſertim humilitatis, & obedientiæ præbeant. Vt cum nemine conten

 dant,

o ¶In Cõ. generali. ca. quã ſimoniaca. de ſimo. & ca. veniens. §. hoc etiã. eo. tit.

p ¶De ſimo d. c. veniens. & ex Conc. Magunt. c conſtituit. 20. q. 3.

a ¶Ex Conci. Tolet. c. omnis ætas. 12. q. 1. c. ſi quis incognitus. in text. & glo. 17. q. 2. clemne in agro. §. ad ampliationem. de ſta. reg.

b ¶Argu in c. cũ ad monaſterium. §. prior. de ſta. reg.

c ¶Ex Con. generali. ca. clerici. el 2. de vita, & hone.

d ¶Ca. eleutherius. diſt. 91. ex Conci. Niczno. c. presbyter. ca.

e ¶Ex Conc. Toleta. c. in loco. poſt medium. 5. q. 4.

dant[f], ſed omnibus, & præcipuè magiſtro ſuo, obediant ſaluo[g] vbique mandato Prioris cui neminem præferre debent. Vt de occultis, cum nemine, niſi cum magiſtro ſuo, ſi ſacerdos fuerit, aut cum Priore proprio debeant confiteri. Vt cum nemine profeſſo, niſi de licentia Prioris, vel magiſtri, loquantur. Vt non coniungant ſe conuentui, niſi fuerint ſigno, vel verbo vocati. Vt cum hoſpites, vel infirmi comedunt, illuc niſi miſſi ire non audeant. Vt cum bibunt ſedeant, & duabus manibus teneāt vas in quo bibunt. Vt neminem, quiſquis ille ſit iudicent[h], ſed ſi aliqua, aliquando viderint, licèt mala videantur, bona ſuſpicentur, vel bona intentione facta, vt non ambulent extento collo, ſed fixis oculis in terram. Vt cum ſibi aliquid datur, vtpotè veſtes ſubtulares, & ſimilia genua flectentes, dicant. Benedictus Deus in donis ſuis. Vt cum fratres proceſſionaliter vadūt ſocium collateralem attendant. Vt non loquantur de abſente[i], niſi bona. Neminem in faciē laudent[K]. Nulli iniuriam faciant, ſed illatam ſibi patienter tollerent. Vt ſine licentia munera[l], vel literas aliquas, nulli mittant, nec ab aliquo recipiant. Paupertatem ament, delitias fugiant, quia caſtitas periclitatur in illis. Voluntatem propriam pro voluntate ſuperioris deſerant. Sacram ſcripturam[m] auidè legant, deuotè audiant, & ardenter adiſcant. Gradus parentelæ ſuæ non recitent, de generis nobilitate[n] non ſe iactent. De honore ſæculi non glorientur, nec de parentum diuitijs extollantur.

1 Statuimus inſuper, vt ſingulis annis in capitulo congregationis duo, vel plura loca de congregatione eligantur, in quibus nouitij, vt à ſuis magiſtris aptius poſſint inſtrui collocentur.

f ¶ Ex 8 Synodo. ca. ſi quis monacus. diſt. 90.

g ¶ Arg. ex Con. Tolet. c. quanquam. in ſi. dist. 23.

h ¶ Arg. in c. conſuluiſti. 2. q. 4.

i ¶ Ar. ex 8. Synodo. c. alienus. diſt. 90.

K ¶ Arg. ex Con. Cartagin. 4 c. clericus qui. diſt. 46.

l ¶ Aug. in reg. & c. nō dicatis. 12. q. i.

m ¶ Hieron. ca. nunquam. de conſ. di. 5. cle. ne in agro. §. ad ampliationem. de ſta. reg. c. ſuper Specular. de magiſtris. exēplo Augu. ca. ſi habes. circa med. 24. q. 3.

n ¶ Aug. in reg. Gregn. c. nos. diſt. 40. Ambr. c. incitare. 6. q. 1. arg. ex Cō. Triburiē. c. nobis. 2. q. 4. & c. venerabilis. de præben.

De

De modo profeſſionis tam à fratribus clericis, quàm à conuerſis, & commiſſis facienda. Cap. 18.

COMPLETO termino probationis[a] nouitiorũ, Prior ad ſonum campanellæ cõgreget fratres in capitulo, & inquirat à ſingulo fratrum, ſi videtur eis nouitij ad profeſſionem recipiendi, qui ſi annuerint, prius habita licentia à Reuerendo Patre Vicario, ſiue à Viſitatoribus tẽpore ſuæ viſitationis, introducãtur nouitij à magiſtro ſuo veſtibus nouitiorum induti. Qui flexis genibus ante Priorem, ab ipſo interrogentur, velint ne diſcedere ab ordine abſoluti, an ordini potius ſe obligare. Si profeſſionem reſponderint ſe potius velle facere, deferantur à veſtiario ad pedes Prioris habitus profeſſorum. Qui benedicens eos incipiat hoc modo. Adiutorium noſtrum in nomine dñi. Qui fecit cœlum, & terrã. Dñe exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcũ. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

[a] De reg c. ad apoſtolicam. & c. non ſolum. eo. tit. in 6. ca gõtaldus. 17. q. 2. ex Con. Tribur. ca. puella. 20. q. 2. c. ſuper eo. c. conſulti. c. poſtulaſti. c. ſtatuimus. de regul. iur. in antiq.

DOmine Ieſu Chriſte, qui tegumentum noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus in menſam tuæ largitatis abundantiam, vt hoc genus veſtimentorum, quod ſancti patres ad humilitatis indicium, abrenunciantes ſæculo ferre ſanxerũt, tu ita bene ✠ dicere digneris, vt poſtquam hi famuli tui eis vſi fuerint, te induere mereãtur. Qui viuis, & regnas cum Deo patre, in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

DEus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, & certiſſime perſolutor, qui veſtimentum ſalutis, & indumentum iucunditatis tuis fidelibus promiſiſti, clemẽtiam tuam humiliter expoſcimus, vt hæc indumenta humilitatem cordis, & contemptum mundi ſignificantia, quibus hi famuli tui, viſibili ſunt informãdi propoſito, propitius bene ✠ dicas,

cas,vt beatæ abnegationis habitũ,quem te aſpirante ſuſceperint,te protegente,cuſtodiant, & quos veſtibus venerandæ religionis induere volumus,beata facias immortalitate veſtiri.

DOmine Deus,bonarum virtutum dator,& omnium benedictionum largus infuſor,te obnixius deprecamur,vt has veſtes bene✠dicere, & ſanctificare digneris,quas famuli tui pro indicio agnoſcendæ religionis,induere volunt,vt inter reliquos fratres,tibi agnoſcantur dicati.Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

1 Quibus completis, tam ipſi, quàm indumenta aſpergantur aqua benedicta, & adoleantur incenſo. Poſtea Prior exuat[b] nouitios habitu nouitiali dicẽdo.Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis. Et conſequenter induat[c] eum veſtibus benedictis,dicens. Induat te Dñs nouum hominẽ,qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Interim quo induuntur ſi videbitur Priori,quando fuerint plures fratres, cantent hymnum. Magne pater Auguſtine.Ora pro nobis beate pater Auguſtine.Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Dominus vobiſcũ. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

b ¶Ex Con.Cartag. c.omnes. 27.q.1.
c ¶Arg ex Con.Tolet.10.c.ſi.20.q.i.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus,& quibus fiduciam ſperãdæ pietatis indulges, intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo,atque Pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum.Per Chriſtum dñm nrm. Amen.

2 Quibus indutis, Prior genibus flexis ĩcipiat hymnum.Veni creator ſpiritus.Et fratres decantent totum.Et in fine cantores dicãt. Emitte ſpiritum tuũ, & creabuntur. Et renouabis faciem terræ. Deinde Prior dicat.Dominus vobiſcum.Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus,

DEus, qui corda fidelium ſancti ſpiritus illuſtratione docuiſti, da his famulis tuis in eodẽ ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper cõſolatione gaudere. Per dñm noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuũ, qui tecum uiuit, & regnat in unitate eiuſdem ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amẽ.

3 Et ſic inuocato ſancto Spiritu, ſinguli nouitiorũ accipiant regulam, & genibus flexis deponant apertam in gremio Prioris ſedentis, tenẽtes iunctas manus ſuper eam in modũ orantis, quam Prior apprehenſam teneat, ſicq; in manibus eius profeſſionem decantent, in tono lectionum hoc modo.

4 In nomine[d] domini noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen. Anno Natiuitatis eiuſdem Milleſimoquingenteſimo &c. die 7. menſis &c. Ego frater N. de C. filius &c. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ ſemper virgini, & tibi patri fratri N. de C. Priori S. Auguſtini Cremæ, nomine, & uice Reuerendiſſimi in Chriſto patris magiſtri G. de V. Prioris generalis ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, & ſucceſſorum eius canonicè intrantium uiuere ſine proprio, & in caſtitate, ſecundùm regulam beati Patris noſtri Auguſtini, uſque ad mortem.

d ¶Arg. ad Colloſ. c. 3. & c. legum. 2. q. 1.

5 Finita profeſſione, datur nouitio candela accenſa, & immediatè dicitur oratio.

ORemus fratres chariſſimi, ut quod frater noſter ore profeſſus eſt opere fœliciter cõpleat, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & ſpiritu ſancto uiuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

6 Et poſtea cantores incipiãt. Te Deum laudamus. Et bini procedãt fratres in eccleſiam, nouitijs cum candelis in manibus accenſis, penes Priorem incedentibus.

dentibus.Ingreſſi uerò eccleſiam ſtent nouitij flexis genibus ante altare maius. Et finito. Te Deum laudamus. dicant nouitij ter hunc uerſum. Suſcipe me dñe, ſecundùm eloquium tuum, & uiuã. Chorus reſpondeat. Et nõ cõfundas me ab expectatione mea. Poſtea dicãt nouitij. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Chorus reſpondeat. Sicut erat &c. Poſt hæc Prior mediocri uoce cantando dicat. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſ. Kyrie eleiſ. Pater noſter. Et ne nos &c. Sed libera nos à malo. Saluos fac ſeruos tuos. Deus meus ſperantes in te. Oſtende eis dñe miſericordiã tuam. Et ſalutare tuũ da eis. Eſto eis dñe turris fortitudinis. A facie inimici. Nihil proficiat inimicus in eis. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. Mitte eis domine auxiliũ de ſancto. Et de Sion tuere eos. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te ueniat. Dominus uobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, cuius charitatis ardore ſuccenſi hi famuli tui, ſtabilitatem ſuã tibi in hoc ordine promittẽdo, tuo iugo colla ſummittunt, concede propitius: ut in ultimo tui examinis die in dextera tua collocati, cuncta ſuæ deuotionis promiſſa ſe adimpleſſe lętentur. Per dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum uiuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. Oremus.

AGnoſce domine Ieſu Chriſte famulos tuos inter oues tuas, ut ipſi te agnoſcant, & ſe abnegando alienum paſtorem non ſequantur, nec audiant uocem alienorum, ſed tuam, qui dicis: qui mihi miniſtrat me ſequatur. Qui uiuis, & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

SAncte ſpiritus, qui te Deum, ac dominum reuelare dignatus es, poſtulamus immenſam tuæ maie

ſtatis

ſtatis gratiam, vt ſicut vbi vis ſpiras,ſic & his famulis tuis,affectum deuotionis indulgeas, & quoniam tua ſapientia ſunt conditi, tua quoque prouidentia gubernentur, quos iuxta conſuetam tibi gratiam, vnctio tua de omnibus doceat, & per interceſſionē ſanctiſſimi Patris noſtri Auguſtini, quem præcipuū huius ſanctæ inſtitutionis legiſlatorem dediſti:necnon, & aliorum ſanctorum, ad obſeruantiam ſancti propoſiti, fac eos ita certatim feruere, vt in tribulationibus, & anguſtijs, tua indeficienti conſolatione valeant reſpirare: & iuſtè,ac piè per veram humilitatem,atq; obedientiam in fraterna charitate fundati, quod te donante promittunt, fœlici perſeuerantia compleant.

OMnipotens ſempiternè Deus, qui ſub magno Patre Auguſtino,in eccleſia tua ſancta, grandem filiorum exercitum, contra hoſtes inuiſibiles adunaſti,fratres noſtros nouiter colla iugo, ſub tanti patris militia ſupponentes amore ſancti ſpiritus accende:vt per obedientiam,paupertatem,& caſtitatem, quam modo profeſſi ſunt, ita militando tibi regi regum, præſentis vitæ ſtadium percurrere valeant: vt remunerati omnes, fœlicitatis æternæ coronam deuicto,triumphatoq; mundo,cum pompis ſuis, te donante percipiāt. Per dn̄m noſtrum Ieſum Chriſtum filiū tuū,&c.in vnita. eiuſdem ſpiritus &c.

DEus, qui beatiſſimum Patrem noſtrum Auguſtinum de tenebris gentium reuocaſti, mundoque ſpreto tibi ſoli militare feciſti:tribue,quæſumus his famulis tuis,ſub eiuſdem magiſterio ad tuū ſeruitium feſtinantibus,& perſeuerandi conſtantiā, & perfectam vſq; in finem victoriam. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

7 Orationibus finitis, ducantur nouitij à magiſtro ad

ad pacem dandam ſingulis fratribus, incipiendo à Priore: A quo poſtea genibus flexis benedictionem accipiant, & ducantur ad vltimum locum. Quos exortabitur Prior, vt intentè reddant Deo, quod voucrunt caſtè viuendo, mente, & corpore, nihil poſſidendo proprium actu, vel voluntate, obediendo ſuperiori ſine murmuratione, vel contradictione. Mores quos in probatione didicit nouitius, non negligat ſeruare profeſſus, quia quod in probatione impendebat pro libito, nunc reddere tenetur ex voto. Et his dictis omnes in pace diſcedant.

8 Nouitij adoleſcentes[e] ſub cura magiſtri morum, etiam poſt profeſſionem permaneant, vſq; ad triennium[f] in religione completū. Et infra tempus prædictum, in electione Prioris, Vicarij, & diſcreti vocē non habeant. Conuerſi uerò maneant in probatione per annū, & diem ſicut alij fratres, & poſtea profeſſionem faciant, ſicut fratres. Qui uocem[g] non habeant in electione Prioris, nec Vicarij. Similiter, & commiſſi[h] profeſſionem faciant, in nullo tamen capitulo uocem[i] habeant.

9 Præterea litium[K] anfractibus, & locorum noſtræ congregationis indemnitatibus, prouidere uolentes: ſtatuimus, & ordinamus, ꝙ de profeſſione cuiuſlibet perſonæ noſtrę congregationis, publicum[l] inſtrumentum conficiatur, & illud ſimul cum notula diei, & loci receptionis eiuſdem fratris, in libro ſpeciali ad id à conuentu deputato regiſtretur.

Qualiter recipiantur hoſpites, & extranei, & ad quid hoſpites noſtræ congregationis teneantur. Cap. 19.

HOSPITES[a], quādo ad nos uenerint maximè uiri religioſi, hoſtiarius cum multa uultus hilaritate, eos ſuſcipiat, & introductis eis ſtudeat, ut eccle-

e ¶Arg. ex Con. Toleta. c. omnis ætas. 12. q. 1.

f ¶Licet alias de iure cōi omnes clerici tacitè, vel expreſſè profeſſi vocem haberent. ca. ex eo. §. in eccleſiis. de elect. in 6. nunc autem ſtandum eſt huic conſtitutioni.

g ¶De elect. in 6. c. ex eo. §. in eccleſiis. in fi.

h ¶Arg. in c. cū cauſam. §. quia. de electio. ſumptum ex Deute. 22. ibi. non arabis in boue, & aſino. ca. ex parte. eo. in 6.

i ¶Arg. ī d. c. ex eo. §. in eccleſiis. ī fi. de elect. in 6.

K ¶Arg. ex Con. Cartag. 4. ca. epſ. § qa ergo. 14. q. 1. cap. hoc habet. §. ecce. di. 46. Greg. c. conſuetudo. 16. q. 6.

l ¶Arg. ex Con Tolet. c. fi. 20. q. 1. & ex eodem Con. c. omnes. 27. q. 1.

a ¶Arg. ex Con. Gāgren. ca. ſi quis. & c. quieſcamus. diſ. 42. Grego. c. qa. §. fi. 12. q. 1. Greg. c. mos eſt. 12. q. 2.

eccleſiam intrent. Et poſtea in capitulo primi clauſtri ſi ibi fuerit, ſin autem in ipſo clauſtro primo ſedeant donec reſpondeatur eis. Interim hoſtiarius cum matura feſtinatione ad Priorem accedens denunciet eos adeſſe. Qui audito eo quantum poterit feſtinet ſatisfacere eis honeſtè, ne ſi abſque reſponſo longa ipſos mora tenuerit, materiam turbationis habeant, uel turbentur. Quod ſi hoſpites ipſi uenerabiles, & religioſæ perſonę fuerint, Prior eos ad habitacula interiora introducat, uel introduci faciat. Cum quibus, ſi gratia ſuſcipiendæ refectionis uenerint, eſſe poterit ipſe Prior, aſſumptis ſecum de fratribus duobus, uel pluribus, aut uno, ſicut diſcretioni ſuæ uidebitur expedire. Et ſi à remotis uenerint, pedes eis faciat lauari. Non autem quoſcunque religionis habitum deferentes ad interiora duci uolumus, nec parem familiaritatem cuilibet exhiberi. Cunctis tamen etſi non æqualiter, ſecundùm, quòd honeſtas ordinis, & facultas domus permiſerit, charitatiuè, & hilariter ſeruiatur.

1 Paucis de clero ſæcularibus, & de laicis, dabitur ad ſecundum clauſtrum, & hortum, uel uiridarium ingreſſus, ita ut clauſtrum ſecundum, & hortus ſint ab extraneorũ acceſſibus[b] aliena. Primum etiã clauſtrum, niſi in caſibus aliquibus, ſecundùm diſcretionem Prioris, ſęcularibus intrare permitti nõ debet.

2 Hoſpites uerò noſtræ congregationis, ſiue de ꝓpè, ſiue de longè ueniant, quantum Prioris uidebitur diſcretioni in domo hoſpitum erunt, ita ut apud eum non ſit acceptio[c] perſonarum. Nec enim dicitur acceptor perſonarum, qui merita conſiderat, nõ perſonas. Si enim ipſi hoſpites, alias uiri auctoritatis, aut præeminentiæ erunt, & prælati famoſi, interdum cũ eis comedere[d] poterit ipſe Prior aſſumpto de

b ¶Arg. in c. peruenit. & ca. dudum. 18. q. 2.

c ¶Ar. ex Con. Gangren. c. ſi quis deſpicit. §. hinc &c. diſt. 42.

d ¶Arg. in c. cum ad monaſterium. §. in refectorio. de ſta. reg.

de conuentu,nunc uno,nũc alio fratre ſecum. Non autem debet indifferenter eſſe in menſa, cum quibuſlibet hoſpitibus. Recumbentibus verò hoſpitibus illi ſoli compareant,quibus iniunctum fuerit,vt ſeruiant ipſis. Et ipſi hoſpites,maximè ſi nocturno, aut ſilentij tempore venerint ſe nulli coniungant, vel loquantur, niſi illis ad quos ſpectat hoſpites recipere,niſi de licẽtia ſpeciali Prioris,cum & ipſi hoſpites eodem tempore, quantum commodè poterunt,ſilentio intendere debeant.

3 Poſt exhibitam verò à Priore hoſpitibus humanitatem competentem,conſideratis eorum meritis, & labore,ſi vlterius in domo morã traxerint,vbiq;, & in omnibus ſicut fratres conuentus ad oĩa teneãtur,excepto,ꝙ in capitulo vocem non habeant.

4 Si autem ex ipſis hoſpitibus aliquis quid habuerit à Priore ſuo in mandatis,ſeu quodcunq; aliud negocium vtile,& honeſtum,cui oporteat ipſum attendere,Prior loci non patietur ipſum negocijs aliquibus occupari,per quę illud, ad ꝙ venit,grauiter impediri valeat, vel differri, ſed ſicut diſcretioni ſuæ videbitur, ei de ſocio prouidebit,cum quo poſſit illud tale quid expedire, quia nolumus hoſpites ſimul ire ex quacunq; cauſa,niſi fuerint perſonæ venerabiles, & graues, vel niſi iudicio Prioris,cum id neceſſitas valde grandis exigat concedatur.

5 Cum fratres debent aliquo ire die ſequenti non reuerſuri,accedant ante altare maius, & poſitis genibus,dicant pſalmum.Beati immaculati in via &c. vſque Retribue. cum Gloria patri, &c. Kyrie eleiſ. Chriſte eleiſ.Kyrie eleiſ. Pater noſter.Et ne nos inducas in tẽtationem. Sed libera nos à malo. Saluos fac ſeruos tuos. Deus meus ſperãtes in te. Mitte eis domine auxilium de ſancto. Et de Sion tuere eos.

Domine

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te ueniat. Dominus uobiſcũ. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

ADeſto domine ſupplicationibus noſtris, & uiã famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, ut inter omnes uiæ, & uitæ huius uarietates, tuo ſemper protegantur auxilio. Per Chriſtũ dominum noſtrum. Amen.

6 Cum uerò redierint, poſitis genibus ante maius altare, dicant pſalmum. Leuaui oculos meos &c. cũ Gloria patri, &c. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. &c. cum alijs uerſiculis, ut ſupra. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, miſerere his famulis tuis, & quicquid eis in uia ſurripuit uiſus, auditus, uel cogitatus malæ rei, aut ocioſi ſermonis, totum ineffabili pietate abſterge. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

7 Si autem aliquis frater extra conuentum ſuũ aliquid commiſerit, propter quod corrigi debeat, ſi illud ſufficienter ſibi probetur à Priore in cuius conuentu, uel queſta deliquid, de eius delicto quod cõmiſerit, ſecundùm ſtatuta, ac diffinitionis congregationis corrigatur. Quod ſi Prior ipſe, fratrem qui in ſuo conuentu, ſiue queſta ſui Prioratus deliquit, corrigere ſine ſcandalo nõ poſſit, Vicario cõgregationis, ſeu Viſitatoribus exceſſum huiuſmodi fratris, q̃ citius lucidè, & diſtinctè, cum omnibus conditionibus aggrauantibus delictum ſcribet, & notificet.

8 Quilibet ſuperior localis noſtrę congregationis, qui non[e] receperit fratres eiuſdem congregationis hoſpites charitatiuè iuxta poſſibilitatem loci, pœnæ grauioris culpæ ſubiaceat per quindecim dies. Ad quam pœnam explendam Viſitatores eos cogant.

e ¶ Arg. in c. ſi quis. diſt. 42.

Vt fratres ſine literis teſtimonialibus aliquò non mittantur. Cap. 20.

STATVIMVS, vt nullus frater noſtræ congregationis, ſiue ſubditus fuerit, ſiue ſuperior, extra ſeptam loci vadat ſolus[a], ideſt, abſque ſocio fratre, vel commiſſo eiuſdem cõgregationis, profeſſo, vel nouitio. Neque ſuperior loci, aliquem fratrem, de ſubditis ſuis (commiſſis dumtaxat exceptis) ſolum (ideſt, ſine ſocio, vt præfertur) extra mittat, aut ire permittat, niſi (quod abſit) tam arduus caſus neceſſitatis[b] emergeret, quòd id abſque detrimento congregationis, vel alicuius loci, aut perſonę ipſius, obſeruari non poſſit. In quo caſu, talis mittatur, de cuius honeſtate, & grauitate, non dubitetur. Alioquin ſuperiores huiuſmodi contrafaciẽtes, ab officijs eorum ſuſpendimus. Fratrem verò ſubditum, actiua paſſiuaq; voce priuamus per annum. Quandocunq; autem, & quauis ex cauſa, extra ſeptam loci, ire contigerit, prius coram ſuperiore, fratres genua flectãt dicentes. Benedicite pater. Qui det eis benedictionem. Similiter quamprimum redierint, idem faciãt.

1 Inhibemus[c] etiam, ne aliquis Prior det licentiam aliquibus fratribus ſui conuentus, eundi de loco ad locum per congregationem, vel extra, ſine magna neceſſitate, & hoc cum literis[d] teſtimonialibus, in quibus cauſa huiuſmodi neceſſitatis, & nomẽ, ac cognomen ſocij lociq; ad quem vadunt, ac redeundi terminus exprimantur. Volumus etiam, quòd nec ipſi Priores de loco ad locum ire poſſint ſine cauſa euidenti. Contrafacientes autem, modo ſimili, vt ſupradictum eſt à Vicario, & Viſitatoribus congregationis puniantur.

2 Ambaſiatam[e] verò alicuius perſonæ eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, vel communitatis frater nullus aſſumet

a ¶ Aug. in reg. & ex Conc Later. c. monachi. in princ. de ſta. reg. ex Cõ. Tolet. 11. ca illud. 7. q. 1. ex 7. Syno. ca. in oĩbus. diſt. 81. cle. ne in agro. §. ad hęc. de ſta. reg.

b ¶ Quia legem non habet. ca. ſicut. de cõſ. diſt. 1. c. quod nõ eſt licitum. de reg. iur. in 6. c. diſcipulos. de conſ. diſ. 5. ex Con. Cartag. 4. c. cũ omnibus. di. 8. c. ſi quis propter neceſſitatem. de furtis.

c ¶ Argu. in ca. eps. diſt. 72. cle. ne in agro. § 92. in ver. pręlatis eorum. de ſta. reg. ca. ne religioſi. in princi. de reg. c. vt periculoſa. ne cle. vel mon.

d ¶ Ex Con. Agaten. c. monacum. 20. q. 4. ex Con. Cartag. 4. c clericum alienum. di. 72. ex Cõ. Calcedo. c. extraneo. di. 71. ex Cõ. Cartag. 1. c. primatus. ex Cõ. Antiochen. cap. nullum. Aug. c. hortamur. ea. & ca. dux. & c. alienũ. in prin. 19. q. 2. c q̃ ſit neceſſariũ. §. nullus. 18. q. 2. ex Con. Agat. c. monachi. 16. q. 1.

e ¶ Arg. ex Con. Magunt. ca. multa. ex Con. Latera. c. ſed nec ꝓcurationes. in fi. ca. ſecundum inſtituta. ne cler. vel mona.

ſumet extra congregationem, vel intra eam ſine ſui Prioris licentia ſpeciali.

3 Si verò aliqui fratres congregationis noſtræ abſque teſtimonio literarum ſui ſuperioris cõuentum ſuum exierint, venientes quidem ad locum hoſtiarius intromittat. Sed poſtquam eos teſtimoniales literas ſciuerit non habere, id quã citius Priori domus inſinuet. Qui ſtatim congregatis aliquibus de ſenioribus, vel toto conuentu, in capitulum, vel alium locum huiuſmodi fratres inordinatè euntes, ad ſe venire faciat. Et comperto quòd literas teſtimoniales non habeant, de conſilio prædictorum puniat eos, ſecundùm diſcretionem ſuam. Si autem ad conuentum ſuum redire voluerint ire permittãtur, ſed nõ impuniti. Et dum in loco ſteterint, ſi Priori, & ſenioribus viſum fuerit dormitorium, eccleſiã, & ſacriſtiam, ſeu alicuius fratris cellam nõ intrent, & cum aliquo niſi de Prioris licentia non loquãtur, donec de cõditione eorũ per literas Prioris eorum certificatus fuerit ipſe Prior. Et interim ad manducandum ſedeant in terra, in medio refectorij comeſturi ea, q̃ Prioris diſcretio eis dari fecerit. Et ſi inueniatur, ꝙ ſint fugitiui tanquam apoſtatæ puniãtur[f].

4 Si verò veniant de fratribus illis qui ſine licentia de congregatione abierunt, recipiantur in carceribus[g]. Si verò ex his qui cum licentia abierunt recipiantur quidem, ſed nemo loquatur eis, niſi Prior, aut alius de licentia Prioris. Et exhibita eis hoſpitalitate non permittantur de foreſtaria egredi, quamdiu in loco ſteterint, niſi fortè ad ventrem purgandum, & tunc quidem non ſine comite, & quam citò fieri poteſt de conuentu emittantur.

5 Inhibemus inſuper, vt nullus frater etiam aſſociatus extra ſeptã[h] loci ſine licẽtia ſui ſuperioris exeat,

 nec

f ¶ Videlicet carcere. c. à nobis. de apoſtat. ex Con. Aurel. ca. abbates. in ſi. 18. q. 2. ex Con. Triburien. c. impudicas & cap. ſi cuſtos. & c. ſeq. 27. q. 1. ex Con. Bracha. ca. cum beatus. in ſi. diſt. 45. ca ſi in qualibet. 20. q. 2.

g ¶ Argu. in iuribus ꝓxime allegatis.

h ¶ Arg. ex Con Calced. c. iuxta. 16. q. 1. & c. qui verè. & c. quidã monachi. & ex Con. Agat. c. monachi vagãtes. ead. q. & cauſa. & ex Con. Aurel. ca. Abbates. in ſi. 18. q. 2.

nec ſolus ipſe Prior. Quod ſi quis Prior, vel ſubditus cum deliberatione id feciſſe deprehenſus fuerit, pœnam apoſtaſiæ ſe nouerit incurriſſe, niſi ineuitabile detrimentum, & arduus caſus, vt ſuperius dictum eſt, hoc excuſet.

6 Si quis quoque de fratribus cuiuſcunque conditionis exiſtat, ſiue ſit de conuentu, ſiue hoſpes, Priore, elemoſinarijs, & procuratore domus exceptis, viſitandi gratia, vel quacunque alia cauſa exire debebit, domos, & perſonas ad quas ire intendit, Priori loci ſpecificet[i] ſocium, nullum petẽs ex nomine, contentus eo de quo Prioris diſcretio prouidebit. Et ſi forſitan vocatus aliquis de non ſpecificatis cauſa rationabili ſuadente domum intrauerit, reuerſus ad locum id Priori ſpecificet.

7 Priores autem in quarumlibet perſonarum viſitatione, & allocutione, talem fratribus legem imponant, quam & ipſi inquantum debitum officij patitur ſeruent[K], & maximè ex immoderata[l] viſitatione, & allocutione cum mulieribus, vt nulli materia ſcãdali[m] tribuatur.

8 Vniuerſis noſtræ congregationis fratribus tam ſuperioribus, quàm ſubditis inhibemus, ne quis ad loca in quibus ſunt domus noſtræ congregationis veniẽs in domibus ſæcularium perſonarum audeat quoquomodo comedere[n], aut moram trahere, vel pernoctare, niſi prius ſuperiori loci noſtri ſe præſentent, & ab eo licentiam obtineant. Contrafacientes verò tribus diebus in terra ſedeant, & in medio refectorij in pane, & aqua ieiunent. Pernoctantes verò, ſicut apoſtatæ[o] puniantur, declarantes, ꝙ Prior loci, huiuſmodi pernoctantes carceri valeat mancipare, niſi fortè talis neceſſitas, vel caſus occurrat, qui eos merito valeat excuſare.

Qualiter

i ¶Arg. ex Con. Terraconen. c. monachi à monaſterio. 16. q. 1.

K ¶Arg. in c. cum in magiſtrũ. de elect. c. ea quæ. §. ſi verò. in fi. de ſta. reg. c. pro illorum. de præben. arg. in ca. cũ omnes. de conſtit. grego. c. ſi cuſtos. 27. q. 1. ca. ordinatos. diſt. 59. c. miſerum. diſt. 61. Hiero. c. ſi clericatus. 16. q. 1. Aug. c. ſacerdos. Greg. ca. iudicet. ca. in grauibus. ca. poſtulatus. 3. q. 7. ca. qualis. 8. q. 1. Aug. ca. neq;. diſ. 9. ex Cõ. Toleta. cap. quanquam. diſt. 23.

l ¶Argu. ex 7. Synodo. Nicæna. ca. in omnibus. ex Con. Aphri. 4. c. clerici. & ex eo. Con. c. ad reatũ. ex Con. Cartag. 4. c. cũ oĩbus. & c. clericus. & 5. ca. ſeq. diſt. 81. ex Con. Nicæn. ca. interdixit. diſ. 32. c. quorundã. diſ. 34.

m ¶Aug. c. nolo. 12. q. 1. Aug. cap. non ſunt. 11. q. 3.

n ¶ Arg. ex 7. Synodo Nicæna. cap. in omnibus. de conſ. diſ. 81. ex Cõ. Martini papæ. c. nõ liceat. di. 44. ex Cõ. Nanatẽ. ca. nullus. ex Con. Agat. cap. presbyteri. di. 34.

o ¶Vt ſupra in litera K. in ver. apoſtatæ.

Qualiter ad refectionem intrent, & ſedeãt ipſi fratres. Cap. 21.

HORA competenti ante prãdium, vel cœnam cellarius, vel miniſter hebdomodarius cãpanam pulſet, quo audito omnes fratres cum ſilentio[a] ſtent donec poſt refectionem exoluerint gratias in eccleſia. Abluant ſibi manus, & capitulum ſecundi clauſtri cum ſilentio[b] intrent, ibi ſedentes honeſtè, donec ſignum audierint intrãdi in refectoriũ. Tunc ſi quis habet dicere culpam dicat. Prior verò pulſato primo ſigno longam moram non faciat, ſed per ſe, aut per alium, pulſato ſecundo ſigno fratres introducat in refectorium. Qui aſtantes hinc inde verſis vultibus ordinatè[c] ex tunc ad benedictionem[d] menſe procedant, ſicut in rubrica de menſa per omnia continetur. Fratres panẽ non diſcooperiant donec primo lectio[e] incipiatur, & ſignum à Priore fiat. Fratrum pręſentium in domo à prima menſa nullus remaneat[f], exceptis cuſtodibus, & miniſtris, & quotquot remanſerint in ſecunda menſa comedant, nec tertia fiat. Propter quod Prior iniungat egredientibus, vt ſic ad locum feſtinent reuerti, vt ſaltem ſecundæ menſæ valeant intereſſe.

1 Nulla pictantia fiat in ſecunda menſa, quæ in prima non ſit facta, niſi forſitan interdũ hoſpites affuerint. Nam tunc eorum reliquiæ poterunt in ſecunda menſa comedentibus dari.

2 Frater ſedens in refectorio, non mittat fratri pictantiam, abſque licentia Prioris, ſed de ſibi data à Priore permiſſione ipſius alij dare à dextris, & à ſiniſtris licebit.

3 Si quis iuxta ſe ſedenti viderit aliquid deeſſe de communi, ſigno requirat quod deerit, à miniſtro ſi ſciuerit ſigna, ſin autem ſilenter requirat. Commune autem intelligimus quicquid tunc (ideſt in refe-

a ¶De ſta. reg ca. cũ ad monaſteriũ. §. in oratorio.

b ¶Arg. ex Con. Tolet. 11. ca. in loco. 5. q. 4.

c ¶Arg. in ca. miramur. §. quod ſi quibuslibet. diſt. 61.

d ¶Ex Con. Nanatẽ. c. quando autem. & ex Con. Martini papæ. c. ſi diſt. 44.

e ¶Arg. primũ quęrite regnum Dei. ex Con. Tolet. 3. c. c. pro reuerentia. & ex Conc. Nanaten. c. quando autẽ. & Greg. c. conuiuia. diſt. 44.

f ¶C. præter. §. præcipientes. diſt. 32.

ctionis hora) fratribus communiter apponitur. De quo ſi quid vlli defuerit, illud intelligitur requirendum. Quia ſi quis aliud quæſierit non dabitur, quicquid ſit illud, abſque licentia Prioris.

g ¶Arg. Augu. c. quod dicit. diſ. 41. Aug. de doct. Chri. c. quiſquis. Augu. c. delitiæ. Aug. c. non cogantur. ex Concil. Gangren. c. parſimoniam. ea. diſt.

4 Et ſi quis quippiam[g] aliud in refectorium manifeſtè, vel latenter, ſine licentia deferre præſumpſerit, vt vel ipſe, vel alius comedat, ille ab eſu rei huiuſmodi in medio refectorij ſtatim vſque ad dies quadraginta abſtinere cogatur, niſi ſtatim peractis gratijs poſt refectionem publicè confiteatur offenſam. Pro qua infra dies octo proximos, vna die ſolùm in pane, & aqua debeat ieiunare.

h ¶Ex Con. Tol. 11. c. in loco. 5. q. 4.

5 Prior ſolicitè, & attentè reſpiciat diſcumbentes, & ſi quos tumultuosè[h] agere, vel inutiliter ſignificare, vel inhoneſtè ſe habere deprehenderit, aut ſtatim ſigno coerceat, aut poſt gratias coram fratribus durè arguat, vt cæteri[i] terreantur, atque ſi hoc non ſufficiat, pœnam eis quæ ipſos inſtruat, imponat.

i ¶Arg. in c. iuſtum. 23. q. 3. c. loci poſt princ. 35. q. 9. c. peruenit. el 2. i fi. diſ. 93. ca. ea quæ. §. ſi verò. de ſta. reg. c. qua propter. 2. q. 7. arg. à con. ſen. c. vt clericorum. §. ne verò. ver. facilitas veniæ. de vita, & honeſt.

6 Poſtquam igitur Prior ipſe cõſpexerit fratres ab eſu deſiſtere, de menſis omnibus rebus eleuatis, exceptis tobalijs, ſigno lectori imperet finẽ facere lectioni. Qui ſtatim audito ſigno dicat. Tu autem domine miſerere nobis. Tunc fratres diſcooperto, & inclinato capite reſpõdeant. Deo gratias. Et ſtatim omnes fratres egrediantur de menſis. Et ipſis aſtantibus ſicut in benedictione menſæ fecerunt, cantor incipiat verſum gratiarum[k] vſq; ad punctum, & fratres proſequentes communiter totum compleant, ſicut in ordinario continetur. Cellarius itaque ſic colligat tobaleas, aut ſeruitor, vt non pereant, aut conculcentur fragmenta[l].

k ¶Ex Con. Martini papæ. c. nõ liceat. & ex Conc. Nanaten. c. quando autem. diſt. 44.

l ¶Arg. Ioannis. c. 6.

7 In cœna autem domini, & in paraſceue, poſtquã lector in menſa finẽ lectionis ad ſignum Prioris fecerit, cantor media voce incipiat pſalmum. Miſere-

re mei Deus. Quem alternatim ad eccleſiã proceſſionaliter euntes, ſicut alijs diebus ſine gloria complebunt.

De cibis, & ieiunio fratrum. *Cap. 22.*

FRATRES à feſto omnium Sanctorum, vſq; ad Natiuitatem Dñi, nullo labore, nulla occaſione, excepto infirmitatis[a] articulo, non niſi ſemel in die, cibis quadrageſimalibus reficiantur, & verum ieiunium ſeruent. Verum quia non eſt alligandum[b] os boui trituranti, volumus, quòd in diebus ieiuniorum Priores de conuenienti refectione fratribus ꝓuideant in communi, ita vt tria fercula diebus ſingulis miniſtrentur eiſdem.

a ¶ Quia infirmis nõ eſt lex poſita. Aug. in reg. & ca. conſilium. in fi. de obſer. ieiu. & cap. perueniunt. in fi. de conſe. diſt. 5.
b ¶ Deuter. 25.

1 Frater verò, qui ieiunium à feſto omniũ Sanctorum, vſque ad Natiuitatem Dñi, præſumpſerit violare, quia poſtpoſita Dei reuerentia, & timore, tam honeſtum, & religioſum mandatum ordinis infringere non veretur, pro qualibet die qua ieiunium fregerit, tribus diebus continuis infra duas hebdomadas, à fractione ipſius ieiunij, in pane tantum, & aqua ieiunet, in medio refectorij ſuper nudam terrã ſedens. Priores quidem, & Viſitatores faciant dictã pœnitentiam ab omnibus delinquentibus inuiolabiliter obſeruari.

2 A Reſurrectione autem Domini, vſque ad feſtum omnium Sanctorum, propter mendicitatem, vbiq; omnibus appoſitis[c], etiam carnibus vti licebit, præterquam in die Mercurij, & alijs diebus prohibitis ab eccleſia.

c ¶ Arg. ex Augu. de doct. Chri. c. quiſquis. ex Con Cartag. 4. ca. clericus. §. ſicut ergo. diſt. 41.

3 Tempore ieiuniorũ, fratres poſt completorium ſtatim cõueniant ad collationem, pulſato ſigno cãpanellæ. Deinde poſt collationem hora quæ videbitur expedire ad mãdatum Prioris pulſetur ſignũ

 ſilentij,

ſilentij, & detur benedictio fratribus. Nulli uerò poſt datam benedictionem, extra cellam[d] ſuam remanere licebit abſque licentia.

d ¶ Arg. in c. preter. §. præcipientes. diſt. 32.

De numero, & qualitate veſtium fratrum. *Cap. 23.*

VESTIBVS lineis[a] non vtantur fratres ad carnem, niſi ſarrabulis, ſed laneas tantum veſtes deferant, niſi in caſu infirmitatis, & de ſui ſuperioris licentia ſpeciali. In quo tamen caſu eas ita coopertas deferant, ne foris appareāt. Laneæ etiam veſtes tanto magis honeſtati noſtræ cōgruunt, quanto fuerint viliores[b].

a ¶ De ſta. reg. ca cū ad monaſteriū. in princ. & cle. ne in agro. §. præmiſſa. eo. tit.

b ¶ Arg. ex Cō. Gangren. ca. parſimoniam. diſtin. 42. in Con. generali. ca. clerici. el 2. de vita, & honeſt. & in cle. quoniam. eo. tit. & in cle. ne in agro. §. ſtatuimus. de ſta. reg. ex Cō. Tolet. c. vidua. 20. q. 1. ex 7. Synodo. c. omnis. & 4. c. ſequen. 21. q. 4.

1 Vnicuiq; aūt fratri ſufficere volumus, habere tres camiſias, ex raſſia, ſiue ſargia, & blanchetam vnā, ex panno vſq; ad mediam coxam. Tunichinum etiam vnum, ex panno albo, cum buſto, ſine plicaturis additis conſuto, & vſque ad mediam tibiam longum. Ac tunicam vnam ex panno albo iuxta formam capæ, ſed ſine caputio. Scapulare etiam vnū ex ſargia, ſiue raſſia alba ad inſtar caputij nigri, licet in forma minori, cum haſtis caputio conſutis, & vſq; ad mediam tibiam longis, ad minus.

2 Præterea capam vnam ex panno humili, & honeſto veræ nigredinis, ea longitudine, qua terram nō tangat, & in collari nullas habeat plicaturas, nec in oris capæ, aut alia quauis parte, aliquid à vera nigredine[c] deuians appareat. Cuius manichæ ſua longitudine manus cooperiant, earum verò latitudo ſit palmi vnius cum toto pollice flexo, & caputium nigrū eiuſdem coloris, & panni: cuius latitudo, per duos digitos tegat ſpatulas. Cuſpis verò ipſius poſterior, vſque ad corrigiam deſcendens, ita quòd corrigiam nón tangat.

c ¶ Argu. ex 7. Synodo. c. omnis iactura. §. priſcis. 21. q. 4. & ex Conc. Tol. ca. vidua. 20. q. 1. cle. ne in agro. §. ſtatuimus. de ſtat. reg.

3 Supra capam verò memoratam, fratres cingātur

cor-

corrigia,ſiue zona ex corio nigro, quæ ab extra neruum corij habeat non raſum, quatenus ex cuiuſuis animalis corio fiat,pro impertinenti habentes,iuxta nomen ex corio,non ex lana, vel ſerico, manifeſtè appareat. Quæ duobus digitis nō ſit latior,à qua nihil dependeat,vel deferatur.

4 Capam verò,aut caputium nigrum,ex raſſia, ſiue ſargia,ſimplici,aut duplici nuncupata, nullus deferre præſumat. Contrafacientes uerò,actiua paſſiuaq; uoce priuamus per annum, & nihilominus ad deponendum, nec ulterius ferendum compelli mandamus.

5 Prouideat etiam Prior loci,ut fratres habeāt clamidem,ſiue mantellum,ex panno nigro,quod cum clauiculo ligneo, uel de oſſe nigro ad pectus[d] ligatum deferant, ſine ſerici[e] ligatura, uel alicuius ſpeciei metalli.

6 Habitum autem nigrū,ut præfertur ſemper à fratribus deferri uolumus,in eccleſia,in capitulo, in refectorio,extra ſeptam monaſterij, & coram ſæcularibus. In eccleſia tamen pro ea mundanda,& ornanda, uel alio honeſto, & religioſo exercitio, fratres eſſe poterunt in habitu albo.Ac etiam illi qui per totum diem exercitio corporali occupantur, ad refectionem in refectorio admitti poterunt in habitu albo,non tamen in loco ſuo,ſed in fine menſæ ſedentes comedant.

7 Cum camiſia etiam, & ſcapulari prædictis dormiant[f] fratres. Et quandocunque ſine habitu nigro fuerint,ſcapulare album deferant. Nec dormitoriū exeant,aut extra illud immorentur in albis,ſine tunica, & ſcapulari prædictis.

8 Caligas[g] etiam ex panno albo,non longas more ſæcularium,ſed ad genua ligatas deferant fratres.

Subtu-

d ¶ In Cō.generali. ca.clerici. el 2.de vita,& hone.

e ¶ Arg.in cle.ne in agro.§.ſtatuimus. de ſta.reg.& ex 7. Synodo.ca.omnis iactura. §.priſcis. 21.q.4.

f ¶ Arg.ex Con. Tolet. c.vidua.20.q. 1.ca.ſanctimonialis.diſt.23.

g ¶ Arg.in cle.ne in agro.§.ſtatuimus. de ſta.reg.

h ¶Alex. Papæ 4. in bulla vnionis ordinis, cuius originale eſt in conuētu S. Auguſt. Lucę.

9 Subtulares[h] autem, & ſuberos, ſiue planellas, ex corio ſimiliter nigro ſine aliqua vanitate, vel curioſitate deferant.

10 Pellicias de pellibus ſilueſtribus, nulli portare concedimus, niſi quis tali infirmitate laboret, quòd de conſilio medicinæ eis opus habeat vti. De domeſticis autem illi portare poterunt, quibus Prior loci duxerit concedendum. Et tam ſilueſtres, quàm domeſticas, ſemper deferāt coopertas. Recipientes autem noua quæuis indumenta, reddant vetera.

i ¶D. cle. ne ĩ agro. §. ſtatuimus, de ſtatu reg.

11 Biretum autem more ſæculariū, necnon & burſas, cultellos[i] deauratos, & alia notabilia manubria curioſa, verumetiam vaginas rubeas, & biſcoloratas, vel laminas aliquas habentes, cordulas ſericas, & ſimilia in fratribus deteſtamur, cum vanitates iſtę non deceant ſeruos Dei.

k ¶Arg. ĩ c. dilecta. de exceſſ. præla. c. in noĩe. diſt. 23.

12 Sigilla[k] verò propria, niſi de licentia Vicarij generalis, nulli habere licebit, niſi Prioribus, quibus concedimus, ꝙ ſigillis vti poſſint, etiam poſtquam non fuerint in officio. Procuratorem autem generalem noſtræ congregationis, figura ſanctæ Monicæ in ſigillo ſuo quādiu in eo officio fuerit, ſemper vti volumus. Cæterum alij quibus ſigillis proprijs vti conceſſum eſt, aut concedi contigerit in futurum, ita ſignis, ac figuris religiosè vtantur, vt nulli ſcandali materia præbeatur. Præcipuè verò, ne quis armis, ſiue ſcutis more laicorum vtatur, vniuerſaliter prohibemus. Super quibus Vicarius, ac Viſitatores noſtræ congregationis diligenter inquirant, & indecentia auferant.

13 Sudaria autem quæ pro ſudore tergēdo, ſeu pro quauis alia cauſa deferunt fratres, non à collo, vel ſcapulis dependeāt. Quæ linea ſimpliciter eſſe mādamus, & in eis nil albo colori contrariū miſceatur.

Fratres

14 Fratres in dormitorio[l] ſuper fiſconos, aut paleas tantum dormiant,& in cellis eis conceſſis,quæ nun quam claudantur, quo minus cum claue communi loci aperiri, & ingredi poſſit. Nec alia quæuis propria clauis, exceptis clauibus officialium conuẽtus, alicui fratri ſine cauſa rationabili,& ſpeciali Prioris licentia,concedatur.In qualibet autem cella dormi torij,ſit fiſconus ſuper lecticam religioſam,& honeſtam,& ſit etiam vnum puluinar ad tenẽdum caput, & in qualibet lectica ſint duo linteamina lanea, & coopertorium humile, & honeſtum.

15 Quicunq; frater cellam alterius ſine licẽtia Prio ris expreſſa, quam licentiam Prior non det ſine neceſſaria, & rationabili cauſa, de die intrauerit, per quindecim dies in terra pęniteat.De nocte verò intrans, prædictam pœnitentiam ſuſtineat duplicatã. Si autem pluries de hoc notatus fuerit, & cõuictus, de conuentu illo tanquam ſuſpectus,& inobediens, remoueatur.Et eodem modo puniatur ille cuius eſt cella,niſi euidenter oſtenderit immediatè, quòd ſibi diſpliceat introitus ſupradictus.

16 In foreſtaria verò loci poſſibilitate conſiderata, ſint lecticæ ſimili modo religioſæ,& honeſtę,numero vſque ad ſufficientem opportunitatem.Etiam in qualibet ex eis ſit vnum materatiũ,vel ſaltem fiſconus mundus: albus,& honeſtus cum alijs pannis op portunis,ſaltem vt dictum eſt.

17 Infirmi[m] ſanè grauí infirmitate grauati, & ex ea debiles, & languidi effecti, poſſint in linteaminibus lineis,& pennis iacere,quouſque fuerint langore,& infirmitate grauati.Alij verò fratres in pennis,& lin teaminibus lineis,cũ in conuentu ſibi aſſignato ſunt non iaceant,& alibi quantũ poſſunt honeſtè vitent. Coopertoriũ verò,vel ceruicale ex ſerico[n],aut alias delica-

l ¶Arg. in c. pernicioſam. 18. q. 2. ca. prater. §. præcipientes. diſt. 32. c. quoniam. de vita, & hone.

m ¶Argu. in c. cum ad monaſterium. §. in refectorio. de ſta. reg.

n ¶Arg. ex 7. Synodo. c. omnis iactura. §. priſcis. 21. q. 4.

delicatum, & curioſum, nullus frater infirmus, vel ſanus, in lecto teneat, vel in eo modo aliquo iacere præſumat.

18 Volumus autem, quod quilibet Prior localis, ad minus quater in anno viſitet[o] omnes cellas ſui conuentus, & diligenter inquirat, aſſumptis ſecum duobus, vel tribus de ſenioribus domus, & quicquid ſuperfluum, & inhoneſtũ, aut religioſo indecens inuẽtum fuerit auferat[p], & fratrem inhabitantem puniat.

o ¶Arg. ex Con. Aurel. ca. non ſemel. & c. viſitandi. 18. q. 2.

p ¶Arg. in c. præcipimus. 21. q. 4.

19 Debent tamẽ Priores, & Procuratores locorum cunctis fratribus intendere, ne quid eis iuxta loci poſſibilitatem, & religionis decentiam deſit, præcipuè verò illis qui diuino operi aſſiduè vacant.

Quomodo, & quando debeat fratribus pro congruentia temporum in veſtibus prouideri. Cap. 24.

QVIA congruum tempus ad prouiſionem veſtimentorum fratrum eſt à feſto S. Michaelis, vſq; ad feſtum omnium Sanctorum: volumus, quòd quilibet Prior[a] noſtrę congregationis, infra tempus prænominatum ſciat à fratribus ſui conuentus, quo veſtimento indigent, tunica, aut cuculla. Quo ſcito charitatiua feſtinatione procuret idem Prior, vt infra terminum prædictum, de vno veſtimento communis[b] pretij cuilibet fratri ipſius conuentus, nõ habito reſpectu, quali vel quanto tempore in eodem loco conuentualis extiterit ſit prouiſum. Et recipiat indumẽtum ubi conuentualis inuenitur, in feſto S. Michaelis. Præter autem hæc, calciamenta neceſſaria[c] ſecundùm loci poſſibilitatem alicui ex dictis fratribus non negentur.

1 Ille ſanè qui de loco ad locum obediẽtiam ſe receperit transferẽdi, omnia quæ habet tam in libris, quàm in alijs quibuſcunque rebus, Priori loci à quo recedit

a ¶Aug. in regula.

b ¶Arg. ex Con. Tolet. c. fi. 20. q. 1. ex 7 Synodo. ca. omnis. & quinq;. ca. ſeq. 21. q. 4. ex Cõ. Gangren. c. parſimoniã. diſt. 42. ex Con. generali. ca. clerici. el 2. de vita, & hone. cler. c. quoniã. eo. ti. cle. ne ĩ agro. §. ſtatuimus. de ſta. reg.

c ¶Aug. in regula.

recedit ſingulariter demonſtrabit, & ea omnia ſcripta in vna cedula[d], ſigillata ſigillo eiuſdem Prioris, Priori ad quem ibit cũ prædicta litera ea repræſentet, ſe ſciens præuaricatione[e] ſuæ inobedientię perditurum vſum quantumcunque rerum quas ſecundùm prætaxatam formam omiſerit præſentare.

d ¶Argu ex canon. Apoſtolorum. ca. ſint manifeſtę rea. 12.q.1.

e ¶Arg.i c.ananias. 17.q.1. c.dilectiſſimis. 12.q.1.cap. quod iterrogatu. in fi. diſt.27.

Quotiens in anno, & quibus temporibus minutio, & raſura fieri debeat in communi. Cap. 25.

MINVERE nullus audeat, niſi de conſilio medici, & hoc etiam fiat de conſilio, & licentia Prioris ſui. Minuti à prima die minutionis eorũ vſq; ad diem tertium non ieiunent[a], niſi interueniat ſolenne ieiuniũ. Prior verò ſeorſum melius[b] eis, quàm alijs faciat in victu, & potu prouideri, & ad vigilias cum conuentu ſurgere non cogantur. Sacerdos die qua ſibi minuit, & ſequenti, miſſam celebrare non cogatur, niſi forſitã talis ſit caſus, quòd niſi celebret conuentui ſcãdalum oriretur. Qui autem in lingua, aut in manu, poſt cibum fecerit ſibi minui, ieiunia ordinis non frangat, niſi diſcretioni Prioris videatur aliter obſeruandum.

a ¶Aug.c.quod dicit.diſt.41.Hiero. ca. non mediocriter. de conſ. diſ. 5.

b ¶Augu.in regula. & c.cum ad monaſterium. §.in refectorio. de ſta.reg.

1 Raſura ſuperior, ſiue corona non ſit modica[c], vt religioſos decet, ita vt inter ipſam, & tonſuram quæ deſuper aures, tam clericis, quàm laicis fratribus omnibus, & conuerſis æqualiter fiat, non reſeruentur clericis pluſquam tres digiti capillorum. Et fiat de quindecim diebus, in quindecim dies ſemel. Præter has raſuras nullus faciat ſe radi ſine ſpeciali licentia Prioris, niſi propter infirmitatem aliquam id alicui concedatur de conſilio[d] medicorum. Quod ſi alicui quacunque ex cauſa conceſſum fuerit, differre raſuram, nulli clerico, vel laico, aut conuerſo liceat differre tonſuram.

c ¶Arg.in c.prohibere.diſt.23. & in ca.duo. 12.q.1.ex Conc.Martini.ca. non liceat.el 2.ex Conc.Agat. c.clerici. qui comam. & c ſi quis.di.23. de vi.& hone.c.ſi quis.clem. graui. de celeb.miſſ.

d ¶Augu.in regula.

Cæte-

e ¶Ex Con. Agat. c. clerici. qui comã. & c. ſeq. diſ. 23. ex eo Cõ. c. clericus: el 1. ca. ſi quis. ex clericis. de vita, & honeſt.

2 Cęterum quia clericis barbam nutrire, vel comã, canones[e] interdicũt, vniuerſis noſtræ congregationis fratribus, barbam nutrire, aut deferre diſtrictè prohibemus.

De forma electionis Vicarij conuentus, & officio eius. Cap. 26.

a ¶Arg. in ca. in nouo. diſt. 21.

b. ¶Arg. ex 6. Synodo. c. præcipimus. diſt. 93.

QVILIBET conuentus noſtræ congregationis, habeat Vicarium à diffinitorio inſtitutũ. Cuius officium, & auctoritas, in ſolius Prioris poteſtate conſiſtat, ita vt exiſtente Priore in loco, ſe habeat ſicut alius frater in omnibus, excepto, quòd ſi Prior, aliquibus negocijs occupatus, in choro, ſeu in capitulo, vel ad collationem nõ fuerit, aut ſi cum hoſpitibus eſſet: Vicarius in locis illis, loco Prioris erit, & ſicut Priori obedietur[a] eidem. Præſente verò Priore, nulla eius auctoritas erit, ſed tamen ſecundum[b] locum tenebit. Cum autem Prior foras egreditur, die ipſa, ad locum proprium reuerſurus, ac ſi eſſet in loco, Vicarij auctoritas eadem erit, excepto, ꝙ emittere poſſit fratres, ſi neceſſarius caſus exegerit, & concedere fratribus, vt ordinatè cũ extraneis loqui valeant in caſibus cõceſſis. Si verò ad loca remota perrexerit, vtpotè ad capitulũ, vel alio, quod multum diſtet, Vicarius poſſit in omnibus gerere vices[c] eius, niſi ipſe Prior, ſibi ſpecialia aliqua interdicat. Contra[d], quæ vel aliquid eorum, etiam ſi omniũ fratrum ſui capituli conſenſus accedat, non præſumat aliquid attentare.

c ¶Arg. in c. valdè. diſt. 94. & c. nobiliſſimus. diſ. 97. ex 6 Synodo. c. præcipimus. diſt. 93.

d ¶Arg. in ca. venerabili. § quorum. de offi. deleg. c. cũ dilecta. de reſcri.

1 Quocunquę autem caſu Vicario conuentuali infra annum decedẽte, vel alias ab officio amoto, prouidere de alio Vicario conuentuali ad Vicariũ noſtræ cõgregationis pertinebit. Cui Prior, & fratres, caſum mortis, aut alterius amotionis huiuſmodi per literas ſuas ſimiliter ſtatim ſignificare procurẽt.

Verum

Verum ne interim conuentus ipſe diſpendium patiatur, Prior ordinaria[e] poteſtate ſua alicui de magis diſcretis, & prouidis familiæ ſuæ religioſis vices ſuas committere poterit. Si autem (quod abſit) antequam Vicarius generalis de Vicario cōuentuali ꝓuiderit, vt prẹfertur Priorem loci diem ſuum obire, aut ab officio ſuo contigerit amoueri, fratres Vicarium eligant in communi, qui vices Prioris, donec aliter (vt præfertur) prouideatur gerat.

e ¶Argu. in c. ſuper qonum. §. intētionis. de offi. deleg.

2 Quando autem ad capitulum iturus erit Prior, ſi conuentus Vicarium non habuerit, fratres conuentus Vicarium de familia ipſa eligāt, per formam ſecreti[f] ſcrutinij, qui poſt Prioris receſſum, ſicut Prior curam eorum, ac regimen in ſpiritualibus, ac temporalibus geret, donec per Vicarium congregationis aliter prouiſum fuerit, aut Prior ipſe redierit, vel ſucceſſor illius aduenerit.

f ¶Ex Con. generali. de elect. c. quia propter.

De modo electionis Procuratoris, & Sacriſtæ, & officio eorundem. *Cap.* 27.

PRocvrator, & Sacriſta in ſingulo conuentu noſtræ congregationis à vocalibus conuentus per formā ſecreti ſcrutinij eligantur. In qua quidem electione, Prior, & Vicarius cum tertio[a] fratre de conuentu ſcrutatores[b] erunt.

a ¶Arg. in d. c. quia propter.

b ¶Argu. in c. quieſcamus. diſt. 42. c. vbi periculum. in prin. de elec. in 6.

1 Procurator tamen, ac Sacriſta conuentus noſtri de populo urbis in quorum adminiſtratione maius imminet periculum, à diffinitorio capituli generalis noſtræ congregationis ſingulis annis eligantur.

2 Procuratoris[c] officiū eſt omnia bona conuentus, unà cum Priore in arca publica ſub duabus, uel tribus diuerſis clauibus cuſtodire. Quarum unam ipſe, alteram Prior, tertiam Vicarius teneat, & exteriora omnia quantum poterit procurare, familiares domus,

c ¶Argu. in c. ſaluator poſt medium. 1. q. 3.

mus, & fratrum, maximè autem infirmos uiſitare. Quid conuentui in refectorio, quid menſæ hoſpitũ, quid neceſſitati infirmorum expediat ſolicitè, & diligenter inquirere, ne (quãtum in eo fuerit, & facultas domus permiſerit) fratres incommodum graue, ſiue ſani, ſiue infirmi fuerint patiantur. Sed hæc de uoluntate Prioris tacita, uel expreſſa faciat, ſine cuius licentia ei aliquid expendere etiam in commune commodum nõ licebit. Hic tempore ſilentij debitis horis cum infirmario, coquinario, cellario, cũ conuerſis, & famulis domus, de his quæ tunc neceſſaria fuerint, poterit loqui, diſcretè tamen, ne conceſſa ſibi poteſtate uideatur abuti.

3 Bona quæ ad manus eius peruenerint, & expenſas quas fecerit ſcribat, uel ſcribi faciat, & de eis omnibus coram conuentu ſemel in menſe rationẽ reddat, ac etiã Vicario, & Viſitatoribus noſtræ congregationis quotiens fuerit requiſitus. Quod ſi de introitu aliquid forſan reſiduũ fuerit, illud quid, quãtum, & ubi erit, ſeu ſi debitum contraxerit cui, & inquantum teneatur, & pro quibus cauſis eiſdem reſignabit. Et quando eundum eſt ad capitulum cõgregationis omnium debitorum, & creditorum introituum, & expenſarum ſummas coram toto conuentu declaret. Et per literas conuentus omnium fratrum, præcipuè ſacerdotum, manu ſubſcriptas, diffinitorio dirigat per diſcretum.

d ¶ Argu. quod quibuſdã. de fideiuſſ.

4 Debitum[d] pro quacunque cauſa abſque ſpeciali Prioris licentia, ſibi contrahere non licebit.

5 Depoſita aliqua cuiuſcunque perſonæ, procurator, uel frater alius recipere, uel ſeruare nullo modo præſumat, niſi de uoluntate, & conſenſu Prioris, & ſanioris partis capituli. Et ſi aliqua hoc modo recepta fuerint, in ſupradicta arca, cũ inuentario ipſorum

ſorum,ſeruanda ponantur.Quæ Prior ipſe,aut conuentus, ſub prætextu aliquo, aut occaſione aliqua, obligare alicui, vel de eis expendere aliquid, nullo modo p̄ſumat.Si depoſita fuerint magna,niſi de licẽtia generalis Vicarij congreg.nullatenus recipiant̄.

6 Sacriſtæ[d] aũt officium eſt,ornamenta eccleſiæ cuſtodire,ſe reddere ſolicitum in his,quæ ad diuinum officium pertinẽt,tam in horis pulſandis, q̃ in alijs, ad eius officium pertinentibus, cũ totus conuentus in p̄dictis,ad manus eius proſpiciat,& attendat. Sacriſta,oẽs oblationes fidelium,quæ pro diuinis officijs,& alias quauis occaſione, ad manus eius peruenerint, in libro ſacriſtiæ ſcribat. Et ſi notabilis fuerint quantitatis,nomina perſonarũ, & cauſam propter quam datę fuerint,notet,deinde in depoſito ſacriſtiæ,ſub duabus diuerſis clauibus reponat. Quarum vnam ipſe, alteram verò procurator conuẽtus teneat.Et ſingulo menſe,vel qñ Priori,aut procuratori videbitur,extrahantur. Et in libro eiuſdẽ ſacriſtæ numeratæ,in libro aũt rõnum conuẽtus receptę per procuratorẽ ſcribantur, & procuratori tradant̄.

d ¶ Arg.in c.perlectis § ad theſaurarium. diſtin.75 ex Con.Tolet. c.vnico.de offi.ſacri. c. cuſtos.el 1.& 2.de offi.cuſto.

7 Si quæ notabiles elemoſynæ ad manus Prioris, procuratoris,& ſacriſtæ,vel alicuius fratris deuenerint,eas quales,& quãtæ fuerint, & quare datæ ſint, proximo ſequenti capitulo, coram fratribus nominet,& dicat,& perſonas pro quibus datę ſunt huiuſmodi elemoſynæ,deuotè fratribus recomendet, vt pro ipſis affectuosè orent. In capitulo autem ſextæ feriæ,omnia rememorentur. Quibus relatis ſurgat Prior,& dicat.Retribuere dignare domine Deus omnibus nobis bona facientibus propter nomen ſanctum tuum,vitam æternam.Amen. p̄s. Ad te leuaui oculos meos. Quo finito in communi, cum Kyrie eleiſon.Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. dicat Prior,

vel hebdomodarius. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Saluos fac ſeruos tuos, & ancillas tuas. Deus meus ſperantes in te. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dñs vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

PRætende domine fidelibus famulis, & famulabus tuis dexteram cœleſtis auxilij, vt te toto corde perquirant, & quæ dignè poſtulant conſequi mereantur. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amē.

8 Si pro mortuis recomendatio fiat, dicatur pſalm. De profundis. in communi cū Requiem æternā, &c. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. A porta inferi. Erue domine animas eorum. Requieſcant in pace. Amen. Dñe exaudi orationem. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

FIdelium Deus omnium cōditor, & redemptor, animabus famulorū, famularumq; tuarum, remiſſionem cunctorū, tribue peccatorū: vt indulgentiam quā ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis, & regnas cū Deo patre in vnit. ſpūs ſancti Deus, per oīa ſęcula ſęculorū. Amē.

Quomodo eligatur Vicarius, & diſcretus domus cum ad capitulum itur, & de trina electione, ſeu poſtulatione priorum. *Cap.* 28.

IN electione fratris, qui pro capitulo loci, ſeu domus cum Priore conuentuali ad capitulū ire debebit, ſeruabitur iſte modus. Fratribus omnibus, qui erūt de capitulo cōgregatis in vnū (prius inuocato Spiritu ſancto) eligant duo fratres, qui ſuper electione diſcreti in forma ſecreti ſcrutinij audiāt vota fratrū, primo ſua ſcribētes, poſtea cęterorū hoc modo.

a ¶De elect. ca. cum terra c cum eccleſia. de cauſa poſſ. & propriet.

1 Ego frater A. cōſentio in fratrem B. pro diſcreto conuentus noſtri eligendo. Quo facto ſcrutinio, & calcu-

calculatis vocibus vnus[b] de ſcrutatoribus de volũ-
tate omnium, eum qui plures voces habuerit, corã
omnibus publicet,& in diſcretum eligat,ſic dicẽdo.
In[c] nomine dñi noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen.
Anno eiuſdem &c. Die &c. Ego frater C. vnus ſcru-
tatorum huius capituli nomine meo,& nomine om
nium ad quos præſens ſpectat electio,eligo fratrem
D. in diſcretum conuẽtus noſtri E. Tunc egreſſis de
capitulo his qui vocẽ non habent in electione Prio
ris,Prior ipſe cum cæteris vocalibus conuentus per
formam ſecreti[d] ſcrutinij procedãt ad electionem,
ſeu poſtulationem Priorũ.(Si quidẽ nolumus Prio-
res in huiuſmodi electionibus, ſeu poſtulationibus
deterioris[e] eſſe conditionis,q̃ ſubditos.)Et tunc ipſi
duo fratres,qui audierunt ſcrutiniũ,& frater diſcre-
tus tunc electus ſecedentes hi tres[f] in partem, ita vt
ab alijs videri poſſint, non tñ audiri,primo ſcribãt,
quid eorũ quilibet ſentiat de Priore, ſcilicet an ve-
lint ipſum abſolui,an in dicto officio cõfirmari. Qui
ſi velint[g] ipſum Priorẽ repetere, ponãt eũ in primo
loco in electione, ſeu poſtulatione[h] Priorũ tunc ha-
benda. Si aũt non ponatur in primo loco,nõ pona-
tur in ſecundo,nec tertio. Si verò cõtigerit, ꝙ de ꝓ-
dictis duobus auditoribus,ſeu ſcrutatoribus alter ꝓ
diſcreto electus fuerit,frater alius de cõuentu iuxta
prædictã formã de nouo eligatur,qui cum prędictis
duobus ſuꝑ electionibus,ſeu poſtulationibus Prio-
rum huiuſmodi faciendis, vt ſuperius cõtinuatur cũ
grauitate procedant. Facta verò electione Prioris in
primo loco, antiquior ſcrutatorũ ſtatim ipſam pro-
nunciet,vt ſupra, & publicet coram vocalibus in ca
pitulo,quot voces is qui electus fuerit habuerit, &
qui alij reliquas,& quot ſinguli declarando. Et ſimi
liter ſecundam,& tertiã ſuo modo publicet ſucceſſi-

E 2 uè.

b ¶Ex Cõ. generali. c. quia propter. de elect. c. ſicut. eod. tit. in 6.

c ¶Arg. ad Coll. c. 4.

d ¶De elect. d. c. quia propter.

e ¶Arg. in c. cum in officiis. de teſtam.

f ¶In Con. generali. d. c. quia propter.

g ¶Quia electio ſpõſi eccleſiæ libera eſſe debet ſicut ſponſi carnalis. c. cum locũ. de ſpõſ.

h ¶Arg in c. & ſi vnanimiter. de poſtu. præla. & c. conſideremus. de ele.

uè. Et vota omnium ſingulorumq; fratrum nil addi to, vel diminuto diſtinctè, & apertè vnus ex ſcrutatoribus coram alijs ſcribat. Et literis ſcriptis ſigillo[i] conuentus, vel Prioris[k] ſi conuentus ſigillum nõ habet ſtatim ſigillare faciat, & ipſas ſigillatas præſidenti, & diffinitoribus capituli generalis noſtræ congregationis per diſcretum loci tranſmittat.

2 Vt aũt vniformitas in noſtra congregatione ſeruetur, ſtatuimus, ꝙ quilibet conuentus ſuas Priorum electiones, ſeu poſtulationes in hac literarũ forma reſpectiuè ſingulis annis ad capitulum generale noſtræ congregationis mittant, videlicet.

3 Reuerendi patres. Inuocato prius Spiritu ſancto celebrauimus capitulũ noſtrũ conuẽtus ſancti A. de C. prout moris eſt in noſtra congregatione. In quo quidẽ capitulo ſcrutatores fuerũt fratres A. de B. & E. de F. & elegimus primo in diſcretũ noſtrũ fratrẽ G. de L. Qui deinde procedẽtes ad electionem Priorum. Et egreſſis de capitulo his qui vocẽ non habẽt in electione Prioris, remãſimus in ſumma voces tot. Et in prima quidem electione electus fuit ven. pater in Chriſto frater B. de C. qui habuit voces tot, reliquas verò voces habuerũt frater C. tot, frater D. tot, & frater F. tot. In ſecunda verò ven. pater in Chriſto frater E. habuit voces tot. Reliquas verò habuerũt frater G. tot, & frater H. tot, & frater L. tot. In tertia verò ven. pater ĩ Chriſto frater L. habuit voces tot, reliquas verò habuerũt frater M. tot, & frater N. tot, & frater O. tot. Quare Reuerendas p. v. rogamus, vt vnum ex primis tribus electis nobis detis in patrẽ, & Priorẽ, aut alium[l] quem dare melius viſum fuerit paternitatibus veſtris, quibus nos, & hũc locum intimè commendamus. Dat. C. in conuentu noſtro S. Auguſtini, die quæ fuerit mẽſis, & anni currentium.

Et

i ¶Arg. in ca. in nomine. diſt. 73.

K ¶Arg. in c. peruenit. de fideiuſſ. ca. ſcripta. de fide inſtru. ex Con. generali. c. nullus. & c. ſeq. diſt. 98. c. ſi canonici. in prin. de offi. ordi. c. cũ medicinalis. §. quiſquis. de ſent. excom. in 6.

l ¶Arg. ĩ c. cauſam. de elec. & ex Con. generali. d. c. quia ꝓpter. eo. tit. quo facto compromiſſo vocales ab eo recedere non poſſunt. c. cum olim. de arb. in ca. bonæ memoriæ. & ca. cũ in cõ. de elect.

Et ibi fratres ſinguli nominatim ſcribantur, ſupraſcriptio verò ita fiat.

4 Reuerendis Patribus in Chriſto Præſidēti, & diffinitoribus capituli generalis congregationis obſeruantiæ Lombardiæ, ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, in conuentu S. Auguſt. de B. celebrandi.

5 Quantum fieri poteſt ille ſemper detur pro Priore, qui ab omnibus concorditer, vel à maiori[m] parte petitur, quod ſi non fiet, fratres Priorem ſibi datum humiliter acceptabunt.

6 Si autem aliquis ſubditus, vel ſuperior cuiuſcunque conditionis exiſtat, inueniatur procurare[n] voces pro ſe, vel alio fratre eligēdo ad curam animarum, vel ad aliquod officium congregationis, vigintiquinque diebus in pane, & aqua ſedēdo in medio refectorij ieiunet, & qualibet die recipiat diſciplinam, & vſque ad triennium careat voce.

7 Fratres vota ſua priuata per diſcretum ad capitulum mittant, ſi quid à capitulo velint, & non de facili perſonaliter accedant, niſi ſit vrgens cauſa. Et ſi quis aliquid operatus fuerit propter quod vota fratrum nil[o] addito, vel diminuto ad præſidentem, & diffinitores capituli generalis noſtræ congregationis non perueniant, per annum voce careat, & per duos menſes pœnæ ſubiaceat grauioris culpæ.

8 Si verò in electione diſcreti fratres vocales ſe diuiſerint in partes æquales, illius partis præualebit electio, quam Prior loci ſine vitio acceptabit, vitiū intelligitur eſſe, ſi ſufficientior[p] non præfertur.

9 Ad capitulum generale noſtræ congregationis non niſi frater in ſacris ordinibus conſtitutus, & qui habeat ad minus vigintiquatuor annorum ætatem pro diſcreto mittatur, non obſtāte ſi cum aliquo ſuper defectu ætatis huiuſmodi ad ſuceptionem ſacer

m ¶ Arg. ex Con. Late. c. 1. de his, quę fi. à ma. par. ex Cō. apud Valentiā. c. 1 de his, quæ fi. à præla. ex Conc. generali. d. cap. quia propter. de elect.

n ¶ Quia locus regiminis deſideranti bus negandus eſt. Greg. c. in ſcriptu ris. 8. q. 1. apoſtolus ad Hebr. c. 5.

o ¶ Arg. in c. tam literis veſtris. de teſtib.

p ¶ Arg. in ca ſi forte. diſt. 63.

dotalis ordinis fuerit diſpenſatum.

10 A die obitus Prioris,vel alias quocunq; caſu officio Prioratus vacante fratres[q] conuentus, qui vocem in electione Prioris habebunt, electionē Prioris iuxta præmiſſam formam vſq; ad menſem[r] quando voluerint liberè[ſ] poterũt celebrare. Qui factam electionem huiuſmodi ad Reuerendum Patrem Vicarium generalem noſtræ congregationis per literas ſuas ſigillo conuentus ſigillatas ſtatim diſtinctè mittant,ad quem Prioris inſtitutio,& eiuſdem confirmatio pertinebit.

11 Nolumus autem, vt aliquis niſi ſit ordini noſtro in congregatione[t] noſtra expreſsè profeſſus[u], & ſacerdos,ac natus de legitimo thoro,vllo modo poſſit in Priorem, aut Vicarium localem, aſſumi, eligi, vel relinqui, niſi cum tali ſuper defectum natalium auctoritate apoſtolica fuerit diſpenſatum.

12 Si verò antequam mẽſis ipſe compleatur fratres Priorem nõ elegerint, vt præfertur volumus, ut auctoritas, & poteſtas prouidendi de Priore ad Vicarium generalẽ noſtræ congregationis deuoluatur[x]. Ac etiam ſi elegerint perſonam ſecũdùm iudicium Vicarij generalis huiuſmodi non idoneam[y] licèt ſecundùm iudicium ipſorum eligentiũ uideretur idonea, uel perſonam quam ipſius Vicarij iudicio habere non poſſent[z], tunc,& in quolibet caſu prædicto, auctoritas, & poteſtas prouidendi de Priore ſimili modo ad Vicarium generalem deuoluatur.

13 Prior quoque loci in quo ipſum capitulum generale noſtrę congregationis celebrari debebit,ſui nõ priuabitur[&] executione officij,donec eius abſolutio ſecundùm formam cõgregationis fuerit promulgata, ſed nec is qui in Vicarium loci illius electus eſt, donec ſecundùm prædictã formã de eiuſdem Prioris

q ¶Ex Con.Tolet.c. cõgregatio. 16.q. 7.ex Con.Magun. c.abbas. Greg.ca. abbatem.el 1.& 2. c.cum ſit.§.defuncto.18.q.2.de ele. ca.1.de conſ.c.cũ dilectus.

r ¶Arg.in c.quã ſit. de elect.in 6.ca.ne pro defectu.eo.ti. in antiq.

ſ ¶Arg.Greg.c.dilectiſſimi. 8.q.2.ca. cum terra. c.quiſquis. c.ſacroſãcta. de elect arg.à ſimili. ca.cum locum. de ſponſ.

t Arg.in d.ca.quam ſit.§.defuncto.18. q.2.c.obitũ.c.nullus inuitis. diſ.61.

u ¶De elect.in 6.ca. nullus religioſus. c.cũ in magiſtrũ. eo.tit.ĩ antiq.clemẽ in agro.§.cęterum.de ſta.reg.argu. in c.cum cauſam.§.qa.de elec. ex Con.Hiſpalen. c.in noua.16.q.7. ſumptum ex lege Moyſi, non arabis in boue, & aſino. Deut.22.

x ¶Arg.in Cõ.Late. c.cũ in cunctis. §. cum verò.de ele.

y ¶Arg.in d.c.cũ in cunctis.§.clerici.

z ¶Arg.in c.& ſi vnanimiter. de poſtu.præla.

& ¶Arg.ex Con.Later c.monachi.§. priores. de ſta.regu.ex Con.Gabil. c.inuentum.16.q. 7.Greg.in ca.ſatis peruerſum. di.56. c.diſcretionem.§. nam & ſi.c.iordane.in prin. de eo. q cogn. con. vxo. ca. cognoſcentes. de conſtitu.

ris

ris abſolutione conſtabit, niſi iuſſus de aliquo ſe intromittat ultra Vicarij localis auctoritatem.

De officio, & auctoritate Prioris localis, & pro quibus caſibus abſoluatur. *Cap. 29.*

PRIORI tanquam patri fratres ſui conuentus cum deuotione, & reuerentia, ſaluis[a] mandatis maiorum, omnes obediāt[b]. Officium autem eius eſt, ſubditis temporalia, & ſpiritualia miniſtrare, & ex eis delinquentes ſecundùm ſtatuta congregationis corrigere, ab excommunicatione ex leui iniectione manuum ſubditorum ſuorū proueniēte abſoluere. Sed cum ſuper irregularitate diſpenſandi auctoritatem non habeat, irregularem ſubditum ſuum miniſtrare in ſacris ordinibus non permittat, nec ipſum in ſuū Vicarium relinquat, nec eum ad aliquem ordinem promoueri faciat. Nam talibus non ſolùm miniſtratio eſt inhibita, verumetiam cuiuſlibet dignitatis eſt electio, ſeu promotio interdicta.

1 In loco autem quantum poterit aſſiduus[c] ſit, & ad illud[d] idem cogat fratres ſuos quantum poteſt, cum ex nimio diſcurſu ordo apud clerum, & populum incurrat infamiam non modicam, & iacturam.

2 Præterea inhibeat ipſe Prior inſtanter fratres diſcurrere[e] per eccleſiam, & exire quando in ea diuinum officiū celebratur. Item ſuos ſubditos ſæpè moneat, vt per locum, & extra locum religioſè[f], & deuotè incedant, & cum omnibus maximè clericis ſæcularibus, & religioſis alterius profeſſionis humiliter, ac deuotè loquantur, & ipſis clericis, & religioſis honorem, & reuerentiam cum caſus occurrerit decenter exhibeant.

3 Prælatos[g] quoque Prior, & fratres vbique honorent, & cum ipſis humiliter, & pacificè vbique conuerſen-

a ¶Arg. ex Con. Tolet. ca. quanquam. in ſi. diſt. 23.
b ¶Aug. in reg. & c. cū ad monaſteriū. §. abbas. de ſta. regu. ex Con. Aurel. c. abbates. 18. q. 2. c. à ſubdiacono. in ſi. diſ. 93. c. cum in eccleſiis. de maio. & obe. c. ad aures. de tēp. ord. Greg. c. ſciendum. 8. q. 1.
c ¶Ex Con Later. c. quia nōnulli. & c. exegiſtis. de cler. non reſi. ex Conc. Plac. c. ſanctorum. di. 70. arg ex Con. Cartagin. 5. c. placuit. 7. q. 1. ex eo. Cōc. c. ſi qui verò. ex Con. Antiochē. c. ſi qs presbyter. & c. epīn. ex Con. Calced. c. pp eos. & c. pñtiū. ex Cō. Agatē. c. ſi quis in clero. c. pōtifices. c. ſicut vir. §. epīn. 7. q. 1. c. licet. §. is etiā. de elect. in 6.
d ¶Cle. ne ī agro. §. quia verò. in ver. plaris eorū. ī ſi de ſta. reg. argu. in c. epſ. di. 82. ex Con. Calced. c. iuxta. 16 q. 1. c. qui verè. c. quidam monachi. ca. ex Con. Aurel. c. abbates. 18. q. 2.
e ¶De immu. eccleſ. in 6. ca. decet. cle. graui. de cele. miſ. ex Conc. generali.
f ¶Aug. in reg. & ex Con. Cartag 4. ca. clericus. diſt. 41.
g ¶Arg. in clem. religioſi. §. qbus ēt. de exceſſ. priuil.

uerſen-

uerſentur,& viuāt,& eis inquantū honeſtas,& ſtatus religionis permittit reuerentiā,& honorē exhibeāt.

4 Prior quoq; cui cura animarum ſubditorum ſuorum à cōgregatione eſt cōmiſſa, & pro quibus Deo debet reddere[h] rationē, inter cætera ſubditos ſuos ad humilitatem,obedientiam,paupertatem, & caſtitatem integrè ſeruandam frequēter hortetur,& moneat. Ad horas canonicas temporibus ſtatutis Deo reddendas intus, & extra ſolicitet, & conſortet, & eas ſemper in choro more noſtro cantari faciat.

5 Extra verò ipſum locum vltra tres dies, ſine magna,& euidenti neceſſitate Prior non ſtet. Si autem pro vtilitate[i] loci quandoq; fortè aliter expediret, vel ſibi euidēs, & quaſi ineuitabilis neceſſitas immineret, id de licentia[k] Vicarij cōgregationis, ſi in ꝓpinquo loco fuerit, faciat.Quod ſi propè nō fuerit, ad hoc conſenſum omnium ſeniorum[l] ſui conuētus requirat,& habeat.Alioquin pro qualibet vice,tres dies cōtinuato ieiunio,in pane,& aqua,ſine vlla diſpenſatione ieiunet.Qui verò huius mandati ex cōſuetudine tranſgreſſor fuerit,niſi ſuos diſcurſus fuerit moderatus, ad Prioratus officium tanquam leuis,& inconſtans eligi[m] non poſſit.

6 Vicarius verò, qui fortè ab ipſo Priore loci deputatus fuerit,locum non exeat[n], cum ipſe Vicariū relinquere non poſſit[o]. Vicarius autem conuentualis à diffinitorio capituli generalis, aut à Vicario congregationis infra annum inſtitutus, Vicarium relinquere poterit[p]. Si quando autē conuentus Vicario conuentuali,vt præmittitur inſtituto careat, & Prior ipſe à conuentu recedens, Vicarium nō deſignauerit, ille ſacerdos alijs ea auctoritate, & poteſtate præſit, ac ſi à Priore deputatus fuiſſet, qui prius ad ordinem in noſtra congregatione[q] receptus inuenietur.

Idem

h ¶Aug.in reg.& in c.cum ad monaſterium. §.abbas. de ſta.reg.

i ¶Arg in c.ex parte.de cle.non reſi. & c.cum dilectus. in fi.eo.tit.c.præſentium.7.q.1.ca. licet. § fi. de elec. in 6.

k ¶Arg. ī d.c.licet. §.ſuper reſi. de elect.in 6.

l ¶Ideſt Sapientiorum.c.porrò. diſt. 84.c.denique.diſ. 20.arg.in c.ancillam.in fin. 32.q.2. & ca.tanta nequitia.diſt.86.

m ¶Arg.ex Con.Antiochen.ca ſi quis eps.el 3.diſt.92.

n ¶Arg.in c.ex parte. de offi.vicarii.

o ¶De offi.vic.c.clericos. de appell c. cū cauſam. §.mandamus.in text.& ī glo.in ver. delegatus. c.ſuper qōnū. §.ſi vero. & in gl. in ver.cōmittentibus.de offi dele.c. cum bertoldus.de ſent. & re iud.pōt tamē committere in aliquo particulari. d.glo.in fi.in d.c.cum cauſam.

p ¶Quia videt quaſi ordinarius. glo. not.in verbo delegatus. in fi.d.c.cū cauſam. de appel.

q ¶Arg.ex Conc.Agat c.eporum.diſt. 74. ex Con.Gabil. c.placuit.el 1 diſ. 18.c.eps.diſ.17.c. ordinationes. i fi. diſt.75. ca. ſtatuimus.diſt.71.

Idem etiam de alijs fratribus, vbi ſacerdos alius nõ eſſet, quò ad regiminis poteſtatem fiat.

7 De ſubditis verò ſuis ad ſacros ordines, Prior nullum ſine licentia[r] Vicarij congregationis promoueri faciat. Quod ſi contrafecerit, octo dies in pane, & aqua infra menſem ieiunet.

8 Quantum fieri poteſt Prior aliquid ab extraneis non recipiat, nec apud ſe retineat. Sed ſi quandoq; aliquid à perſona aliqua recipere contingat, quod potius per ſocium facere debet, id quantum, & quale ſit, procuratori[ſ] domus ſtatim cum fuerit in loco conſignet, & det, & in libro procuratoris illud, & nomen, & cognomen perſonæ dantis, & cauſam quare dedit ſcribi faciat.

9 Frater verò quicunq; ſit, ſi aliquid receperit, & p̃dicto modo non reſignauerit, ſi de hoc probabiliter fuerit conuictus, furti pœnæ ſubiaceat, & per omnem modum furti[t] iudicio condemnetur.

10 Debitum vltra libras decem in ſumma, Prior ſine licentia ſui conuentus, vel maioris, & ſanioris partis ipſius nullum contrahat, ſed neceſſarias, & vtiles expenſas per Procuratorẽ, vel Vicariũ loci, ſi quandoque Procurator in loco non ſit, fieri faciat Prior, ne ex hoc Procuratoris officium impediat. Procuratori tamen cum ad locum venerit, dictas expenſas reſignet, & eas in libro Procuratoris ſcribi faciat, vt de ipſis cum alijs rationem reddat. Et ſi quando ex aliqua cauſa emergente aliquas expenſas ipſum facere contingat, illas à Procuratore notari faciat.

11 Prior cui curam, & adminiſtrationem alicuius loci capitulum cõmittit, ita in adminiſtratione, & cultu diuini officij, & obſeruatione bonæ vitæ, & famæ interius, & exterius, per ſe, & fratres ſuos inuigilet[u], & inſtet, vt Deo, qui non niſi corde colitur, adminiſtratio-

r ¶ De temp. ordi. c. ad aures. in Cõ. generali Lugd. c. eos. c. nullus. eo. tit. in 6. arg. in cle. ne in agro. §. ad ampliationẽ. de ſta. regu. ex Con. Agaten. c. monachi. el 1. ex Con. Hylerden. c. cum prouilitate. 16. q. 1. ex Cõ. Cartag. 5. c. ſi qs. Grego. ca. nullus. diſt. 58. ca. quanquam. diſt. 23.

ſ ¶ Arg. i c. ſaluator. poſt med. 1. q. 3.

t ¶ Aug. in regula.

u ¶ De ſta. reg. ca. cũ ad monaſteriũ. §. abbas. arg. ex Cõc. Triburiẽ. c. ſi quis abbas. 18. q. 2. & ex Con. Aphri. c. placuit. 11. q. 3. ex Cõci. Magun. c. dictũ. diſt. 81. c. inferiorum culpę. diſ. 86.

ſtrationem acceptam,& gratã exhibeat,vt ex ea ordini fidelium deuotio, continuè accreſcat. Vtilitatem,& commoditatem loci,ſic prouidè procuret,& quærat, quòd in fabricatione domorum,& alia loci promotione ſua ſolicitudo, & fidelitas nota fiat.

12 Ad capitulum ſi quidem,ſi quid in fabrica,vel ædificijs domorum,vel in ampliatione ſitus locorum expenderit,conuentus per ſuas literas,quas diſcreto dabit portandas tranſmittat,vt diffinitores,& Vicarius congregationis, qui habent ſtatui locorum prouidere, poſſint arbores infructuoſas, & terram inutiliter occupantes ſuccidere, fructuoſas verò, & vtiles cultura debita venerari.

13 Item Prior quilibet inquantum ordinis honeſtatem,honorem,& bonam famam diligit,oratorium[x] vel eccleſiam, in his quæ ad ornatum, & decorẽ eccleſiæ pertinent ſtudeant ſolicitè conſeruare. Domos verò,& officias omnes,& maximè dormitoriũ, & refectorium,& foreſtariam mũdè,& honeſtè procuret pœnitus retinere.

14 Tempore etiam ordinato ibit[y] ad capitulum ipſe Prior. Quod ſi iuſto,& excuſabili impedimẽto ire non poterit, ſigillum[z] per diſcretum ſui conuentus mittat. Si verò perſonaliter non iuerit,vel ſi iuſtam habens excuſationem non eundi ſigillum nõ miſerit,eo ipſo,quòd mandati ordinis tranſgreſſor extitit,ad omne officium cum cura animarum ineligibilis per quinquennium permanebit.

15 Sunt autẽ aliqui exceſſus pro quibus abſolui ipſe Prior debet,ſcilicet. Si infirmos ſui conuentus ſępè non viſitauerit,& ſi eos diligenti cura medici, & medicinæ vbi haberi poterint curari non fecerit,& ſi eis ſufficienter neceſſaria per infirmarium ſolicitũ, & deputatum miniſtrari non fecerit. Si ad matutinũ

x ¶In Cõ. generali. ca. relinqui nolumus. de cuſt. eucariſt. cle. graui. de celeb. miſſ. c. veſtimenta. de conſec. diſt. 1. c. pulchra. diſt. 86. c. 1. ea.

y ¶Arg. ex Con. Antiochen. ca. pp eccleſiaſticas. el 1. diſt. 18. & ex Con. Toleta. c. decernimus. ex Con. Laodic. c. nõ oportet. ex Conc. Martini. d. c. pp eccleſiaſticàs. el 2. ex Conci. Calced. c. puenit. ex Conc. Arelat c. ſi quis aũt. ex Cõ. Agat. 2. c. ſi eþs eadẽ. de maio. & ob. c. quod ſuper his.

z ¶Arg. ex Con Cartag. 4 c. eþs. di. 18. ex Con. Cartag. 5. c. placuit. el 2. ea.

ex conſuetudine,& ex negligentia raro ſurgit.Si ad capitulum non intrauerit niſi raro. Si proprijs,& illicitis quæſtibus[a] intendit. Si raro[b] celebrat. Si fratribus ex cõſuetudine minatur[c],& verba eis opprobrioſa,& contumelioſa dicit.Si de nocte colloquijs inutilibus ex conſuetudine vacat.Si regulam,& cõſtitutiones congregationis,& diffinitiones legi non facit. Si elemoſynas quæ ad manus eius deueniunt procuratori non reddit. Si aliquid probabiliter cõmittit propter quod pax ſui conuentus,ſeu congregationis turbari poſſit. Si probabiliter etiã inueniatur ꝙ per ſe, vel per alium procuret[d], vt ad officium alicuius Prioratus eligatur,vel in eodem confirmetur. In quo caſu ad omne officium ineligibilis per trienniuın permanebit. Si inter ſæculares eſt inſamis[e] licet per fratres probari non poſſit.Si communem vitam cibi, & potus cum conuentu non tenuerit,niſi ex infirmitate. Si probabiliter inueniatur, ꝙ alicui habenti vocem in aliqua electione procurauerit, vt vocem ſuam ibi, aut huic, vel illi daret. Si commiſerit probabiliter propter quod pœnæ grauioris culpæ debeat ſubiacere.Si ſubditum ſuum de manifeſto exceſſu ſecundùm congregationis ſtatuta non correxerit[f], niſi ex rationabili cauſa ſteterit. Exceſſum autẽ manifeſtum intelligimus, quod per tres fratres bonæ vitæ, & opinionis probari poteſt.

16 Præterea quia tremẽdum[g], & periculoſum eſt in ſentẽtiam excommunicationis prorumpere, omnibus, ac ſingulis Prioribus locorum noſtrę congregationis,ac eorũ Vicarijs diſtrictè prohibemus,vt pro nulla cauſa interueniente ſentẽtiam fulminent[h] excommu-

a ¶Arg.ex Con.Maguntin. ne cle.vel mo.c.1.ex Con.Late.c.ſacerdotibus. c.ſed nec procurationes. c.ſecũdùm inſtituta.ca. ſicut. eo.ti. ex Con.Agaten. c.nõ liceat.§. ꝓhibetur. diſt.86. ex Con. Calced.c. ꝓuenit.ea. c.eleutherius. diſt.91.

b ¶Arg. in c.dolentes.§.ſunt, & alii. de celeb.miſſ.

c ¶Arg.ex Conc.Agat.d.c.nõ liceat. in prin. diſt.86.c. quid autem. & in quodã Con. c.neminẽ. c.licet nonnunquã. ex Conc. Brachar.c.cũ beatus.diſt.45.& c.licet plerunq;.& ex cano. apoſtolorũ. c.epõm.ea.c.q aũt. & ca.quia ipſis.7. q.3.

d ¶Arg.ad Hebr.c. 5.& Greg.c.ĩ ſcripturis.8.q.1.

e ¶Arg ex Con.Cartag c.ſi qui.7.q.1. c.tantis.diſ.81.de exceſſ.prælа.c.inter dilectos in me. de iureiu.ca.querelam.eo.tit. c.qa nos. de appella.c. quia.de accuſ.

f ¶Arg.ex Con.Triburien. c.ſi qs abbas.18.q.2.ex Cõ. Magun. c.dictum. diſt.81. c.inferiorum. diſtin.76.ex Con.Aphri.c.placuit.11.q.3.cap.ſi quis per capillũ. 22.q.1.ca.cum ad monaſterium.§ abbas. de ſtat.regu.cap.licet heli.de ſimo.

g ¶Arg.quia nulla pœna maior eſt in eccleſia.Aug.c.corripiantur.24.q.3. Aug.c.omnis Chriſtianus. & Aug.c.nihil.11.q.3.Hiero.c audi.ea.arg.ex Con.Melden.c.nemo epiſcoporum. 11.q.3.c.cum non ab homine.de iudi.de ſent.excom.in 6.c.1.

h ¶Licet alias poſſint de iure communi.c.cum in eccleſiis.de ma.& obe. c.cum illorum.de ſent.excom.

communicationis,niſi prius licẽtiam in ſcriptis obtinuerint à Vicario generali noſtrę congregationis, aut ab ipſius locumtenente generali. Qua obtenta cum expedire iudicauerit, ferre eam poterit cũ tremore iuris forma[i] ſeruata, vt trina canonica monitione[K] præmiſſa,in ſcriptis eam ferat,in quibus licẽtiæ huiuſmodi tenor de verbo, ad verbum formaliter inſeratur. Contrafaciẽtes autem triginta diebus ab adminiſtratione, & executione officij ſui ſuſpendimus[l],& ſecundis,quartis,ac ſextis ferijs eius temporis in pane,& aqua ſolùm ieiunet. Alioquin,id eſt in caſu, quo ab executione huiuſmodi non abſtinuerit,poſtquam ſententiam excommunicationis contra præfixam formam tulerit,vt præfertur irregularitatis[m] maculam ſe nouerit incurriſſe,cuius diſpenſationem Vicario congregationis reſeruamus. Interim autẽ Vicarius loci,ſi ibi eſt,regat locũ.Alioquin antiquior[n] ſacerdos,donec ꝑ ſuperiorẽ ꝓuideatur.

17 Igitur cum huiuſmodi ſententiæ multiformiter pericula contineant animarum,Vicarius congregationis,de cuius auctoritatę debẽt ferri,ad huiuſmodi licentiam concedendam,quaſi inuitus, & cũ multa maturitate[o], & prouidentia inclinetur.

18 Modus autem , & forma ferendæ ſententiæ talis erit.Ego frater A. de B.Prior ſancti N. de T.auctoritate , & poteſtate Reuerẽdi Patris Vicarij generalis noſtræ congregationis mihi in hac parte commiſſa per literas eius patẽtes,quarum tenorem de verbo, ad verbum præſentibus inſeri fecimus vt infra. Te fratrem A.de B.ſubditum noſtrum hortamur, rogamus,& monemus primo,ſecundo, & tertio,& inducimus,vt infra terminum trium dierum proximè futurorum, quorum primum diem pro prima, ſecundum pro ſecunda , & tertium pro tertia monitione

cano-

i ¶Ex Cõ.generali. c.ſacro.de ſen excom. ex Cõ.Lugd. c. cũ medicinalis. eo.tit.in 6. ex Cõ. Later.c.reprehenſibilis.in princ.de appell.

K¶ExCon. Pariſiẽ. c.de illicita.24.q. 1.ex Con.Rotomagen.c.omnes decimæ.in fin. 16.q. 1. & d.ca.ſacro.& d. c. cũ medicinalis. d.c. reprehenſibilis & ex Conc generali. c.cum ſpeciali.de appell.

l¶Arg.in d.c.ſacro. & d.c. cum medicinalis . §. ſi quis autem.

m¶Arg.ex Cõ.Lugdu.c.1.§.ſciturus. de re iudi. in 6 d. c. cũ medicinalis. § caueant.

n ¶Scilicet religione,quia vt ſic prę fertur aliis.arg.ex Con.Agat.ca.eporum diſt.74. c.ordinationes.el 3 in fi.diſt.75. ex Con. Gabilõ. c.placuit. el 1.diſt.18.de maio. & obe.c 1.

o¶Arg in c 1 §.ſuperior.de ſent.excom.in 6. Greg.c. licet plerunque . diſt.45.c illa præpoſitorum . 11.q. 3.ca.ponderet. in prin.diſt. 50.

canonica, & peremptorio termino tibi aſſignamus in his ſcriptis, & in uirtute ſancti Spiritus, & per obedientiam ſalutarem, ac ſub excommunicationis pœna, tibi diſtrictè præcipimus, & mandamus, quatenus odio, amore, timore, precio, precibus, ac alia quauis ſiniſtra cauſa remotis, quicquid ſcis de tali re, & caſu, nobis coram talibus fratribus &c. clarè, & expreſsè dicas, & reueles. Quod ſi hoc præſens noſtrum, imò uerius Reuerendi patris Vicarij generalis noſtræ congregationis cuius auctoritate fungimur in hac parte, tam iuſtum, & honeſtum præceptum obſeruare contempſeris, te ex nunc, prout ex tunc, hac trina canonica monitione præmiſſa in his ſcriptis, licet inuiti, uinculo excommunicationis innodamus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

19 Forma uerò licentiæ, & mandati, hæc erit, uel alia ſimilis, uidelicet frater A. de B. Vicarius generalis congregationis Obſeruantiæ Lombardiæ, ordinis fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, uenerando patri in Chriſto fratri A. de B. conuentus noſtri Sancti C. de D. Priori ſalutem. Prouiſionis noſtræ auſpicijs, extirpare uitia, & uirtutes colere, ſolicitè inuigilare debemus. Ea propter de tua prudentia, & integritate confiſi, eam tibi, tenore præſentium, concedimus facultatem, qua contra fratrem A. &c. Aut ſuper fratres tuos, ſi fortè (quod Deus auertat) caſus aliquis emergens id exigere uideretur, ſententiam excommunicationis (iuris aliàs forma ſeruata) ferre ualeas, ac promulgare. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Datis &c. Lecta, & lata hæc ſententia. Anno domini &c. Die &c. In cõuentu B.C. præſentibus fratribus A. & B. &c.

De modo celebrationis capituli generalis noſtræ congregationis. Cap. 30.

PRIORES vniuerſi[a], & diſcreti locorum noſtræ congregationis, & alij vocales, ſi qui fuerint ad locum celebrandi capituli præordinatum opportuno tempore, ſingulis[b] annis, ſtudeant conuenire, videlicet, feria quinta, ante dominicam tertiam[c], poſt Paſcha.

1 Igitur congregati, omnes ad eccleſiã deuotè conueniant, & Reuerẽdus pater Vicarius generalis noſtræ congregationis miſſam de Spiritu ſancto cum Gloria in excelſis. & Credo. ſolenniter, cantabit. Cui omnes fratres, pręcipuè vocales ſtudeant intereſſe, aut ſaltem ſinguli miſſam de Spiritu ſancto celebrare.

¶ *De modo recognoſcẽdi, et intronizãdi patrẽ ꝑſidentẽ capituli.*

2 Poſtea feria ſexta immediatè ſequẽte ſtatim poſtquam veſperi fuerint ſolenniter decantati, de mandato Reuerendi patris Vicarij cõgregationis ad ſonum campanellæ clauſtri, ut moris eſt, fiat ſignum congregandi capitulum, & ſucceſſiuè ſtatim campana minor in campanili, ter pulſetur ſimiliter cũ debito interuallo. Ad quod ſignum omnes fratres, tã uocales, ꝗ non uocales, ad capitulum conueniant, uel alibi, ubi decenter adeſſe poſſint, ſicut patri Vicario uidebitur expedire. Quibus cũ grauitate conſedentibus, pater Vicarius dicat. Adiutorium noſtrũ in nomine[d] domini. Qui fecit cœlum, & terram. Benedicite. Deus. Dominus nos benedicat, & ab omni malo nos defendat, & ad uitam æternam perducat, & fidelium animæ per Dei miſericordiam, requieſcant in pace. Amen.

3 Deinde uerbum habeat aliquod opportunè. Demum uerò antiquiorem[e] anni tunc proxime præteriti,

a ¶Arg. in Con. generali. c. in ſingulis. in prin. de ſta. reg. ex Con. Antiochen. c. propter eccleſiaſticas. el 1. ex Con. Turonen. ca. epſ. el 2. diſ. 18. ex Con. Cartag. 4. ca. epſ. el 1. ex Conci. Tolet. ca. decernimus. ex Con Laodic. c. nõ oportet. ex Con. Calced. c. peruenit. ex Con. Arelat. cap. ſi quis autem. ex Con. Agat. 2. ca. ſi epſ. ex Con. Martini. cap. ꝓpter. el 2. ca. de maior. & obed. ca. quod ſuper his.

b ¶Arg. ex Con. Byloen. ca. annis ſingulis. diſtin. 18. ex Con. Calcedon. c. peruenit. c. de cõciliis. ea.

c ¶Arg. ex Con. Antiochen. c. ꝓpter. el 1. diſt. 18.

d ¶Arg. ad Colloſſ. c. 3.

e ¶Arg ex Cõ. Agat. c epſor m. liſ. 34. c. ordinationes. in fi. diſt. 75 ex Con. Gabilõ. c. placuit. diſt. 18. de maior. & obe. c 1. diſ. 61. c. ſtatuimus.

riti,diffinitorem inquirat,quem compertum pronũciet eſſe capituli tunc celebrãdi,auctoritate apoſtolica præſidẽtem. Quod ſi antiquior ex ſuperſtitibus ex quacunque cauſa nõ affuerit,antiquiorem ex ſuperſtitibus qui affuerint præfati capituli anni tunc proxime præcedentis diffinitorem, donec eo antiquior aduenerit,iuxta formã indulti apoſtolici,præſidentem pronunciabit.Et ſtatim is,qui ſe præſidentem nominatum audierit,cum ſilentio ſurgens, oculis ad terram cum grauitate demiſſis, genua flectat, humiliter in terra in loco ſuo. Cui patres circa illũ ſedentes,aſſurgant, & ipſe pater Vicarius congregationis ad ipſum cũ modeſta hilaritate accedens, erigat eum cum reuerẽtia,& ad titulum capituli deductum,locum illi cedat ſuperiorem,ſtatimque genua flectens,ante ipſum,in ſignum obedientiæ, ac reuerentiæ manum ei reuerenter deoſculetur.Poſtea pater Vicarius ſurgens, ad ſiniſtram Reuerendi patris præſidentis conſedebit.Et poſt eum ordinatè ſic faciant omnes fratres ſucceſſiuè. Quibus finitis, pater præſidens dicat. Adiutorium noſtrũ in nomine domini.Qui fecit &c.ut ſupra. Et prout ſibi uidebitur, ſermonem habebit ad fratres.

¶ *De correctoribus capituli deputandis.*

4 Deinde de patrum conſilio, duos ordinabit capituli celebrandi correctores. Quibus ſingulis baculum in manibus dabit,quem ferent in ſignum poteſtatis acceptæ. Quibus tanquam Prioribus capituli in foro exteriori tantum,omnes obediant,nec abſque alterius eorum licentia ſpeciali, quiſquam domum exire præſumat. Horum autem officium præcipuè erit,ea quæ ad diuini[f] cultus officium pertinẽt, ordinare,ad uictum neceſſaria prouidere,ac menſæ lectores, & ſeruitores deputare, & capitulo aduenienti-

[f] ¶ Argu.ex 7.Synodo. c.quoniam.§. hunc. diſt.18.

g ¶ Arg. in d. ca. qm. §. porrò. diſt. 18.

h ¶ Arg. ex Con. Arelat. c. ſi quis autē. di. 18. ex Con. Triburien. ca. certum eſt. 11. q. 3.

i ¶ C. cum terra. de elect. c. cum eccleſia. de cauſa poſſ.

nientibus[g] hoſpitium, & refectionem aſſignare. Eo autem die, nihil vlterius ad capituli celebrationem pertinentium fiat. Ex tunc autem nullus vocalium ſine licentia Reuerendi patris præſidentis, ante publicationem omnium diffinitorum capituli, à loco ipſius capituli recedere[h] præſumat.

¶ *De inuocatione Spiritus ſancti, & benefactorum defunctorum recomendatione.*

5 Die autem ſabbati ſummo mane, prima cantetur. Poſtea Reuerendus pater præſidens, miſſam de Spiritu ſancto ſolenniter cantabit, cum Gloria in excelſis. & Credo. & propria pręfatione, vt moris eſt. Omnes autem vocales, ſimiliter miſſa de Spiritu ſancto deuotè celebrent, aut ſaltem communicent, qui fortè celebrare nequirent. Quibus expletis, pulſata cãpanella pro capitulo conuocando, vt moris eſt, omnes tam vocales, q̃ non vocales, ad eccleſiam conueniant. Quibus ordinatè congregatis, cantores in medio, coram altari maiore genibus deuotè in terram flexis, incipiant cum nota ſolenni hymnum. Veni[i] creator Spiritus. & alternatim ex vtroq; choro, totum decantent. Poſtea cantores cantent. Emitte ſpiritum tuum, & creabũtur. Et renouabis faciem terræ. Deinde pater præſidẽs, cantet. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus, illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per dñm noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate eiuſdẽ ſpiritus ſancti Deus, per oĩa ſæcula ſæculorũ. Amẽ. Oremus.

ACtiones noſtras, quæſumus domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta no-

ċta noſtra oratio, & operatio, à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Oratio.

Adeſto ſupplicationibus noſtris oẽs Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo, atq; pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

6 His igitur peractis ſedeãt. Et is qui habiturus eſt ſermonem de electione, genibus flexis coram patre Præſidente dicat. Iube domne benedicere. Et pater Præſidens benedicendo[k] dicat. Dominus ſit in corde tuo, & in labijs tuis, vt dignè, & competenter annuncies verbum ſuum. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. Sin autem ipſe pater Præſidens, quantum ei videbitur, fratres ad electionem Reuerendi patris Vicarij generalis noſtræ congregationis, animo libero purè, rectè, zeloq; Dei, & religionis celebrandam hortabitur[l], & inducet.

7 Deinde pater Præſidens dicat. Recitentur obitus fratrum, & ſororum, familiarium, propinquorum, confratrum, & benefactorum noſtræ congregationis, & particularium locorum noſtrorum, qui diem ſuum obierunt, hoc anno. Et primo pater Vicarius congregationis recitabit nomina benefactorũ congregationis in genere. Deinde pater Præſidens moneat Priores ſigillatim, & ordinatè, incipiendo à primo, & pronunciabit ſic. Prior S. Auguſtini Cremæ. Tunc ſtatim ſurgens Prior Cremæ, recomendabit omnibus animam felicis recordationis quondam Mag. Domini Ioannis Thomæ de Vicomertate nobilis Cremenſis, fundatoris conuentus noſtri Cremæ, & conſequenter totius cõgregationis, quæ inde originem ſumpſit, cum alijs, vt ſupra. Et ſic ordinatè fiat de reliquis Prioribus.

k ¶ Argu. in c. denique. diſt. 21. Aug. c. dictum. in prin. 1. q. 1.

l ¶ Arg. in c. dilectiſſimi. 8. q. 2. c. cum terra. c. quiſquis. ca. ſacroſancta. de elect. cap. quatuor modis. & 3. c. ſeq. 11. q. 3.

8 Igitur omnibus recitatis pater Præſidẽs dicat iſta uerba. Debitum miſſarum, & officiorum, tam fratrũ, & ſororum, q̃ confraternitatis literas habentium, & iſtorum omnium propinquorum, & benefactorum noſtræ congregationis defunctorum, in fine capituli reſeruamus iniungendum, cum benefactores uiui recitabuntur, ut pro his omnibus integrè ſatisfaciamus. Nihilominus in communi omniũ memoria ipſorum dicamus in pręſentiarum. De profundis. cum Requiem æternam &c. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. A porta inferi. Erue dñe animas eorũ. Requieſcant in pace. Amen. Dñe exaudi orationem meã. Et clamor meus ad te ueniat. Dñs uobiſcũ. Et cũ ſpiritu tuo. Oremus.

DEus uenię largitor, & humanę ſalutis amator, q̃s clementiam tuam, ut noſtræ congregationis, fratres, ſorores, confratres, familiares, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierũt, beata Maria ſemper uirgine intercedẽte, cum oĩbus ſanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis cõſortium ꝑuenire concedas. Qui uiuis, & regnas cũ Deo patre in unitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſęcula &c.

¶ *Quomodo pater Vicarius congregationis officio ſuo debeat renunciare.*

9 Si pater Vicarius congregationis caſu aliquo, ſcilicet infirmitatis, uel alterius impedimenti, excuſabili occaſione detentus ad capitulũ non uenerit, ab ipſa die præfixa in antea, ſit ipſo facto, à Vicariatus officio abſolutus, & ad electionem ſucceſſoris pœnitus procedatur. Quod ſi Vicarius iuſtã excuſationem nõ habens, ad memoratũ capitulũ uenire contempſerit[m], ex tunc, uſq; ad decenniũ, ad omne officium, cum cura animarum ineligibilis permanebit.

m ¶ Arg. ex Cõ. Terraconen. c. ſi quis eṗorum. diſ. 18. ex Con. Agat. 2. ca. ſi eṗs. el 1. & ex eo. Con. c. ſi eṗs. el 2. ex Con. Laodic c. non oportet. ex Con. Arelaten. c. ſi quis autem. ea.

10 In Vicarium autem generalem noſtræ congrega

tionis

tionis eligatur frater qui nunquam apoſtatauerit[n], nec fuerit de aliquo vitio notabili in congregatione conuictus, vel confeſſus, & qui ſciat[o] congruè loqui latinum. Quod ſi ſecus fiat ipſo facto, electionẽ huiuſmodi, ſeu promotionem, viribus vacuamus[p]. Si autem in iuuentute non propter ſcandalum alicuius delicti commiſſi, ſed animi læuitate quis noſtram congregationem exierit, & reuerſus fuerit, & in ea laudabiliter vixerit, poterit capitulum cum tali fratre diſpenſare[q], vt ad omnes indifferenter obedientias congregationis ſi alias idoneus fuerit, aſſumatur, & admittatur. Si autem bis, quocunq; modo apoſtatauerit, ad prædictum officium Vicariatus noſtræ congregationis ſine diſpenſatione aliqua, perpetuò ineligibilis permanebit.

11 Poſt hæc pater Præſidens ſedeat, & poſt eum cæteri omnes. Et pater Præſidens clara voce dicat hęc verba. Omnes fratres, tam vocales, quàm non vocales, accedant ad capitulum. Tunc fratres bini, & bini ad medium coram altari ſe inclinantes cum ſilentio, maturè accedant ad capitulum. Et poſtquã ordinatè conſederint, pater Præſidens dicat. Adiutorium noſtrum in nomine domini, &c. vt ſupra.

12 Deinde ſtatim pater Vicarius cõgregationis ſurgens, genua flectat in medio capituli, verſus patrem Præſidentem, & officio Vicariatus ſimpliciter renũciet, & ſigillum in manibus patris Præſidentis conſignans, ab officio petat abſolui. Et pater Præſidens reſpondebit hæc verba.

13 Et ego auctoritate apoſtolica qua fungor in hac parte, accepto renunciationem tuam, & abſoluo te ab officio Vicariatus noſtræ congregationis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

14 Deinde Vicarius abſolutus ad medium capituli

 rediens,

n ¶ Arg. in c. cum in magiſtrũ. de elect. Hiero. in c. ſi clericatus. 16. q. 1. c. ordinatos. diſt. 59. c. miſerum. diſt 61. ca. ſaluberrimum. 1. q. 7.

o ¶ Arg. ex Con. Late. ca cum in cunctis. de elect. Hiero ca. ſi quis autẽ. diſ. 37. Ambr. c. legimus. Aug. c. non oĩs c. turbatur. c. ideò. c. relatũ. ea. Aug. c. indignum. diſt. 38.

p ¶ Ex Con. Later. d. c. cum in cunctis. §. clerici. de elect. c. cum vuictonen. eo. tit. c. nihil. ca. cum promiſſarius. §. porrò. eo. tit. in 6.

q ¶ Arg in c. mandamus. 19. q. 3. ca. intelleximus. §. ne igitur de ætat. & qual. ca quia diligentiæ. de elect.

rediens, genibus flexis coram patrē Præſidente, dicat ſuam culpam. Et ſi quis contrā eum iuxta formā noſtræ congregationis proclamare voluerit, ipſe audiat patienter, humiliterq; reſpondeat, vt expedierit. ſ. aut culpā ſuā de obiectis humiliter accuſando, aut obiecta rationabiliter refellendo, & rei rōnem cū modeſtia aſſignādo. Igiť culpis patris Vicarij abſoluti, vt expedire videbiť diſcuſſis, pr̄ Pręſidēs eidē pnīam iniūgat, & ex tunc, ad Vicariatus officiū, vſq; ad quinquenniū excluſiuè, ineligibilis permanebit.

15 Antequam verò ad electionem noui Vicarij cōgregationis deueniatur, pater Præſidēs proteſtetur[r] omnibus, & dicat hæc verba.

r ¶ Argu. in c ſi. de elect. in 6.

16 Si quis nouerit cauſam cur vocem, quis actiuam, paſſiuamve hr̄e non debeat, in hac ſtatim futura Reuerendi patris Vicarij noſtræ cōgregationis electione, id dicat apertè. Alias enim ſine vitio pertrāſibit electio. Si quis autē proclamatus fuerit voce priuatus, aut priuandus, iuxta formā iuris, & conſtitutionum, ac diffinitionum noſtræ congregationis cauſa terminetur. Tunc pater Præſidens, alta, & intelligibili voce, dicat hæc verba. Omnes quotquot nō habent vocem actiuam in hac ſtatim celebrāda Vicarij generalis noſtræ congregationis electione, capitulum egrediantur, & ad eccleſiam accedentes miſſam ſolenniter cantent pro defunctis. Ad cuius iuſſionem, omnes ſimpliciter obedient.

¶ *De modo eligendi tres ſcrutatores capituli, & patrem Vicacarium generalem noſtræ congregationis.*

17 Tunc pater Præſidens, patrem Vicarium cōgregationis abſolutum requirat, vt iuxta morē, tres[ſ] ex vocalibus nominet, in celebrandi capituli ſcrutatores eligendos. Quibus nominatis, pater Præſidens omnium vocalium vota, viua voce requirat. In quibus

ſ ¶ In Con. generali. ca. quia propter. de elect.

bus ſi maior[t] pars conſenſerit, pater Præſidens eos ad ſe venientes confirmabit dicens.

18 Et ego auctoritate apoſtolica in hac parte mihi commiſſa, confirmo vos in ſcrutatores huius capituli noſtri generalis celebrãdi, dans vobis omnem auctoritatem, & poteſtatem quam cæteri ſcrutatores capituli huiuſmodi ſolent habere. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

19 Si verò contingeret tres nominatos à patre Vicario abſoluto, aut aliquem, vel aliquos ipſorũ non acceptari, ex tunc pater Præſidens alium, vel alios, eorum loco proponat, donec de tribus ſcrutatoribus prouiſum fuerit, vt ſupra.

20 Scrutatores igitur electi, & cõfirmati, numerum vocalium tunc præſentium notẽt in ſcriptis, & à cæteris vocalibus ſeſe elongantes, ita ſcilicet, ꝙ à cæteris videri poſſint, non autem audiri, liberè ſcribãt in primis quiſq; vota ſua, ſigillatim tres patres congregationis nominantes, ex quibus vnum in Vicarium generalem noſtrę congregationis eligere vellent. Cęteri verò vocales, ſucceſſiuè per ordinem ſigillatim coram ſcrutatoribus, ſecretæ tres ſimiliter partes congregationis liberè ſimiliter nominabũt, aut in ſcriptis dabunt, vt præfertur. Demum ſcrutatores facta prius collatione numeri vocalium, quẽ notauerant, ad numerum votorum, ſeu vocum quas in ſcrutinio inuenerint, ne fortè fraus interuenire poſſit[u] poſtea calculabunt[x] numerum vocum, quas in plures diuerſos patres conueniſſe repererint. Et tunc nomina trium patrum, in quibus plures conſenſiſſe inuenerint ſcribant. Et ad medium capituli accedentes, antiquior ſcrutatorum pronunciet alta voce hoc modo, videlicet.

21 Hi ſunt tres patres in quibus plures conſenſe-

t ¶De his, quæ fi. à ma. par. cap. c. 1. & d. c. quia propter. de elect.

u ¶Arg. c. dilectiſſimi. 8. q. 2. ca. cum terra. de elect. ca. quiſquis. c. ſacroſancta. eo. tit.

x ¶In Con. generali. d. c. quia propter. de elect.

runt,vt vnus eorum in Vicarium generalem noſtræ congregationis eligatur, videlicet. Reuerendi patres in Chriſto frater A.de B.frater C.de E.& frater D.de F.

22 Poſtea nomina illorum trium patrum ſuper tribus diſtinctis buſſulis affigent,quas ſuper publicam tabulam, vbi ab omnibus videri poſſint reponent, dabuntque ſcrutatores, ſingulis vocalibus,ſingulas ballotulas ex panno conſutas,in manibus, numerū earum notantes.Qui per ordinem ad locum buſſularum accedentes,manum in qua ballotulā tenent, ſupra ſingulas buſſulas prædictas apponent,& in eius,quem in Vicarium generalem noſtræ congregationis eligere volent, buſſulam, ballotulam immittent ſucceſſiuè. Tamen antequam buſſulæ aperiantur,ſcrutatores ad mediū capituli venientes,omnibus audientibus ſenior eorum, dicat hoc modo.

23 Vt electio Vicarij generalis noſtrę congregationis vnanimis fiat, & celebretur, requirimus vos patres, qui eſtis ſuper buſſulas electionis inſcripti, & ballotati, ſi eſtis contenti renunciare ballotulas, & voces, quotquot ſint vobis datas, illi qui ex vobis habuit plures.

24 Et ſi reſponderint ſinguli. Renuncio[y],vt requiſiſtis.Interrogēt præterea omnes vocales hoc modo.

[y] Ar. ca ſtatuimus. §.cū quilibet. de regula.

25 Et vos patres electores, qui dediſtis vota veſtra, & ballotulas illis duobus, qui non habent plures, eſtis ne contenti dare illas ei qui plures habuit in buſſula nomini ſuo inſcripta? Et reſpondentibus illis.Sumus contenti dare,ut requiritis,& eas damus.

26 Tunc ſcrutatores accedant ad aperiendas buſſulas, & calculādas ballotulas quas in ſingulis earum inuenerint. Quod ſi duo,uel omnes inueniantur æquales, id pronuncient in capitulo, & iterum faciāt

eos

eos ballotari. Quod ſi iterum omnes, uel duos eorum æquales inuenerint: ſtatuimus, ꝙ minor, ſeu minores ſecundùm profeſſionis primogenita, renuncient uota ſua maiori. Et tūc antiquior ſcrutatorum illum, ſeu quem ſimpliciter plures alijs duobus ballotulas in buſſula ſuo nomini inſcripta habuiſſe inuenerint, pronunciabit hoc modo, uidelicet. Quod iterum campana ter pulſabitur pro capitulo cōgregando. Et fratribus congregatis, ſenior ſcrutatorū in altum aſcendens electionem pronunciando publicè alta uoce in tono lectionum cantet dicendo.

27 In nomine[z] domini noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amē. Anno eiuſdē Milleſimo quingēteſimo octuageſimo &c. die &c. Maij. Ego frater A. de B. ſenior ſcrutatorum huius capituli, nomine meo, & nomine omnium ad quos præſens pertinet electio, eligo in Vicarium generalem noſtræ congregationis Reuerendum patrem in Chriſto fratrem B. de C.

z ¶Arg. ad Coll. c. 9

28 Et tunc campanæ omnes pulſentur, & ſtatim cātores incipiant cum nota. Te Deum laudamus. Et omnes fratres bini, & bini, ut moris eſt, ad titulum capituli ſe inclinantes, proceſſionaliter cantantes ingrediantur eccleſiam. Et is qui in Vicarium electus fuerit, poſt cæteros cum patre Pręſidente incedens, genua flectat in medio ſuper gradum altaris. Et pater Præſidens ſtabit poſt eum erectus. Et cantico finito, pater Pręſidens dicat cum nota cantādo in tono capituli horarum. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te ueniat. Dominus uobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus, illuſtratione docuiſti, da huic famulo tuo in eodē ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per dñm noſtrum Ieſum Chriſtum filium

 tuum.

tuum. Qui tecum viuit,& regnat in vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus, per omnia ſęcula &c. Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum, & ſuper congregationem illi commiſſam ſpiritum gratiæ ſalutaris, & vt in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

29 Quibus expletis, pater Præſidens ante patrē Vicarium ad medium altaris accedat, & ſedeat è regione coram patre Vicario electo, genibus flexis (vt dictum eſt) ibi ſtante, confirmabitq;[a], cum hoc modo. Nam tradet in manibus eius ſigillum congregationis dicens ſine nota.

[a] ¶C. qualiter. de elect. ca. poſtquam. c. noſti. eo. tit. ca. auaritiæ. ca. quam ſit. eo. tit. in 6.

30 Et ego auctoritate apoſtolica qua fungor in hac parte, confirmo te in Vicarium generalem noſtræ congregationis, dans tibi omnem auctoritatem, & poteſtatem in ſpiritualibus, & temporalibus, quam cæteri Vicarij generales, eiuſdem congręgationis ſolent habere. In nomine patris, &c.

31 Deinde pater Præſidens erigat illū, & ſedere faciat contra medium altaris, & genibus flexis ante illum deoſculabitur ei manum. Poſtea ſurgēs, ſedeat ad dexteram ipſius. Et poſtea Vicarius abſolutus, ſimili modo genua flectēs, & deoſculata manu, ſedeat ad ſiniſtram. Et ſic cæteri omnes ſucceſſiuè manum deoſculabuntur eidem, in ſignum obedientiæ, & reuerentiæ, & ad loca ſua ſecedent ſucceſſiuè per ordinem, vt moris eſt. Quibus expletis, facto ſigno per Præſidentem, omnes bini, & bini, eccleſiam exeuntes, ad prandium ibunt.

¶ *De modo eligendi patres diffinitores.*

32 Eodem die ſabbati hora, quæ patri Præſidēti videbitur opportuna, poſt nonā cōgregato capitulo,

vt

vt ſupra, pater Præſidēs hortabitur, omnes vocales ad electionem patrum diffinitorum, ritè, & prouidè fiēdam. In quorum electione ſeruabitur iſte modus. Nam ſcrutatores ſingulis vocalibus dabūt ſchidam, ſeu liſtam vnam, in qua nomina omniū eorū qui vocem paſſiuam habuerint in electione diffinitorū capituli tunc fienda, ſcripta erunt, excepto noīe illius cui liſtam dabunt, quia ſi in ea ſcriptum fuerit, illud publicè detrahetur, antequā detur eidē. Et ſimiliter nominibus eorū, qui anno tunc proximè pręterito, electi fuerunt diffinitores, quia ipſos eo anno immediatè ſequenti in diffinitores eligi poſſe ꝓhibemus. Quod ſimiliter de viſitatoribus à vocalibus electis, ac diſcretis cōuentualibus in eodem cōuentu volumus obſeruari. Igitur vocales, habitis huiuſmodi liſtis, conſiderabunt eas, & deligent nomina quatuor patrum ex vocalibus, quos in diffinitores eligere volent, & omnibus alijs nominibus detractis, tantū illa quatuor nomina, liſtæ adhærētia relinquent, & ea in vaſe ad id præparato, videntibus ſcrutatoribus, ſed non legentibus, nomina ipſa ponant. Subinde ſcrutatores noīa ipſa in liſtis vocaliū relicta calculātes, illos quatuor, quorū noīa à pluribus poſita inuenerint, notabunt in ſcriptis, & eos antiquior ſcrutatorū publicè in capitulo pronunciabit hoc modo.

33 In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen. Anno eiuſdē Milleſimo quingēteſimo octuageſimo, die &c. Maij. Ego frater A. de B. antiquior ſcrutatorum huius capituli, nomine meo, & nomine omnium ad quos præſens pertinet electio, eligo in diffinitores præſentis capituli generalis noſtræ congregationis Reuerendos patres in Chriſto fratrem B. de C. & fratrem D. de E. & fratrem F. de G. & fratrem H. de I.

Et

34 Et tunc hi qui electi fuerint corã patre præſidẽte genua flectant, quos confirmabit[b], dicens ſine nota.

35 Et ego auctoritate apoſtolica qua fungor in hac parte, confirmo uos in diffinitores huius capituli generalis noſtræ congregationis, dans uobis omnem auctoritatem, & poteſtatẽ, quam cæteri diffinitores capituli noſtri generalis huiuſmodi ſolent habere. In nomine patris, &c. Et deoſculata manu patris p̄ſidentis ſedeãt poſt Vicarium abſolutum, ordinem ſeruantes profeſſionis eorundem inter ipſos diffinitores in noſtra congregatione.

36 Si autem in electione diffinitorum inueniantur aliqui æquales in uocibus quas habuerint, illius p̄ualebit electio, qui profeſſionis ordine, in noſtra congregatione aliũ, ſeu alios tempore præceſſerit[c]. Quod ſimiliter in electione uiſitatorũ uolumus obſeruari.

37 Cæterum, quia diffinitorium capituli noſtri ſemper uolumus ſaltem ex nouem patrum numero ad minus integrari, uidelicet, patre Præſidente, patre Vicario congregationis electo, & patre Vicario abſoluto, quatuor diffinitoribus electis, & quatuor uiſitatoribus anni tunc proximè præteriti, ideò ſi quẽ prædictorum in Vicarium congregationis eligi cõtingeret, & alio, aut alijs morte præuentis, aut alias abſentibus, numerum nouem in capitulo celebrando, opportuno tempore non inueniri, tunc & eo caſu, is qui poſt quatuor diffinitores electos, plures alijs uoces habuerit, pro patre addito diffinitorio ꝓnuncietur, confirmetur, & numero aliorum, uſq; ad abſentis fortè, uel abſentium huiuſmodi aduentum aggregetur, prædicto ordine cum alijs obſeruato.

38 Quibus expletis pater Præſidens iubeat, ut qui literas habent diffinitorio porrigendas, eas omnes

iuniori

b ¶Argu. in iuribus proximè allegat.

c ¶Regula. q prior eſt tpe de reg. iu. in 6. ex Con. Gabilon. c. placuit. diſ. 18 ex Conc. Agat. c. epiſcoporum. diſ. 74. c. ordinationes. in fi. diſ. 75. de maio. & obed. c. 1.

iuniori ex diffinitoribus præſentent. Qui eas in ſacculo colligens, patri Prȩſidenti, & cæteris diffinitorio annumeratis fideliter præſentabit.

¶ *De officio, & auctoritate patris Præſidentis capituli.*

39 Ad patris autem Prȩſidentis ſpectat officium, omnibus, & ſingulis, tam in diffinitorio, q̃ in communi omnium vocalium capituli generalis collegio proponendis, tractandis, & expediendis, auctoritate apoſtolica intereſſe, ac prȩeſſe, tractanda, & expediẽdà omnia proponere, & acta omnia, & geſta, deciſa, electa, deliberata, determinata, diffinita, ordinata, ſtatuta, & ritè facta confirmare.

39 Si quando verò Reuerendiſſimum patrem Priorem generalem noſtri ordinis pro tempore exiſtentem, capitulo noſtræ congregationis generali adeſſe contingeret, & diffinitorio noſtro intereſſe voluerit, ipſe omnia, & ſingula, quæ ſupra ad officiũ Præſidentis pertinere dictum eſt, auctoritate ſua ordinaria, in perſona propria, & non aliter exequetur. Et is qui alias eo abſente, Præſidens capituli auctoritate apoſtolica eſſe debuerit, primus poſt eum ſedebit, & primus ad partita propoſita reſpondebit, & in electionibus votum ſuum præſtabit, ac eodem Reuerendiſſimo patre generali abſente, nihilominus Præſidentis officio fungetur.

¶ *De ordine in diffinitorio ſeruando.*

40 Igitur collectis literis, hora quæ patri præſidenti videbitur opportuna, idem pater præſidẽs vnà cum cæteris de corpore, & numero diffinitorij exiſtentibus, in loco aliquo decenti, & ſecreto collegialiter conueniat. Et omnibus genua in terra flectentibus pater Præſidens incipiat ſine nota. Veni creator Spiritus. Et alternatim totum dicant. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur. Et renouabis faciem terrȩ. Deinde

inde pater Prȩſidens dicat. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti ſpiritus, illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per dñm noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuũ, &c. in vnitate eiuſdẽ Spiritus ſancti Deus, &c. Oremus.

ACtiones noſtras, quæſumus domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum dñm nr̃m. Amẽ.

41 Deinde ſurgentes ad paratam ibidem tabulã ſuper q̃ commodè ſcribere poſſint, hoc ordine conſedebunt, videlicet. Primo pater Præſidens in capite menſe, poſt eum pater Vicarius congregationis de nouo electus, deinde pater Vicarius abſolutus, ſubinde quatuor diffinitores, poſtea duo viſitatores, q̃ à vocalibus anni tunc proximè prȩteriti electi fuerũt, demum duo alij viſitatores à diffinitorio eiuſdẽ anni præteriti adiuncti, iuxta eorundem primogenita[c] profeſſionum, in noſtra congregatione conſedẽtes. Qui etiam in eodem ordine ad partita quæ proponentur reſpondebunt, ac in omnibus, tam in diffinitorio, q̃ in communi omnium vocalium capitulis, & electionibus, & vbique loca tenebunt, & vota ſua præſtabunt. Igitur Reuerendo patre Prȩſidente, ſeu Reuerendiſſ. patre Priore generali in caſibus prædictis, vnà cum cæteris de corpore diffinitorij conſedentibus, pater Prȩſidens, ſeu Prior generalis, dicat. Adiutorium noſtrum in nomine domini. Qui fecit cœlum, & terram. Benedicite. Deus. Dominus nos benedicat &c. vt ſupra.

c ¶ M.c.placuit. el 1.diſt.18.ca.ordinationes.el 3.diſ 76.

42 Subinde pater Præſidens hortabitur omnes patres

tres

tres diffinitorio aſſiſtentes, vt in omnibus, & ſingulis in capitulo ipſo generali, ꝓcipuè verò in ipſo diffinitorio, per ipſos tractandis, & diffiniēdis, ſedatis[d] paſſionibus, odio, amoreq; ac ſimultatibus depoſitis, zelum Dei, & religionis, prę oculis habentes[e], ea quæ Dei honorem, animarum ſalutem, morum correctionem[f], regularis vitæ reformationem, & religionis conſeruationem, propagationemq; ipſius, & profectum in domino concernere viderint exequantur, prçcipuè verò quatenus id efficere valeāt, ſit eis animus in conſulendo liber, nec aliquo libidineo delectui obnoxius. Quod vt felicius fiat, præcipiat eis, vt ea quæ in diffinitorio tractari, proponi, decidi, ac fieri continget, nulli extraneo à corpore diffinitorij reuelent, quouis modo, abſq; ipſius diffinitorij ſpeciali commiſſione, vel licentia, præcipuè nihil quod diuiſionis, aut diſcordiæ, vel inimicitiæ fomitem probabiliter valeat miniſtrare, ſicut ratio ipſa dictat, & caritas exigit.

43 In fine verò quādo collegium ſoluere, & locum diffinitorij exire voluerint, puta ad prandiū, vel cœnam ituri, pater Pręſidens dicat. Adiutorium noſtrū in nomine domini. Qui fecit cœlum, & terram.

44 Quandocunq; verò ad ipſum locum diffinitorij deinceps eodem, vel ſequentibus diebus, durante diffinitorio, collegialiter eos congregari continget, poſtquam (vt præmiſſum eſt) ordinatè conſederint, pater Præſidens dicat. Adiutorium noſtrum in nomine domini. Qui fecit &c. Benedicite. Deus. Dominus nos benedicat, &c. vt ſup. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.
Deus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſt. &c. & Actiones noſtras, quæſumus domine, &c. vt ſupra.

Subinde

d ¶ Arg. in 6. Synodo. c. præcipimus. diſt. 93. Hiero. ca. legimus. in fi. ca.
e ¶ Arg. Greg. in c. dilectiſſimi. 8. q. 2. c. cum terra. de elect. c. quiſquis. c. ſacroſancta. eo. ti.
f ¶ Arg. in c. ea quæ. §. ſi verò abbates. de ſta. reg. ex Con. Laodic. c. nō oportet. diſt. 18. ex Cō. Martini. c. ꝓpter. el 2. ca.

Subinde ſedentes, ad ea quæ tunc inſtabunt exequenda procedant.

¶ *De modo legendi, notandi, & reſeruãdi literas in diffinitorio.*

45 Igitur ad ea quæ diſponenda fuerint, procedent hoc modo. Nam primo vnus de diffinitoribus, de patris Præſidentis mãdato, literas omnes, ac ſingulas, tam in forma clauſa, q̃ patente, diffinitorio directas accipiet, & coram omnibus prædictis videntibus, & audientibus, clara voce, & diſtinctè leget. Alter aũt eorum, quicquid ex literis ipſis lectis, decidendum, reſpondẽdum ve fuerit in aliquo ſpeciali quaterno, qui quaternus. Decidenda, inſcribetur, ſeriosè notabit. In alio verò quaterno, quem De electionibus Priorum, prænotabunt ex literis electionum conuentuum ſingulorum, primo titulum loci, poſtea numerum vocum, quæ in electione Prioris affuerint, demum quis in primo, quis in ſecundo, quis verò in tertio loco, electus fuerit, & quot eorum quiſq; voces habuerit, iuxta primogenita, & præcedentiã locorum in noſtra cõgregatione per ordinem annotabit. In alio præterea quaterno, quem, De fratribus mutandis, inſcribent, fratrum petitiones circa mutationem locorum, iuxta eundem familiarum ordinem, ſcribat. Et ſicut ſucceſſiuè literæ huiuſmodi lectæ fuerint, alius aliquis de diffinitorio eaſdẽ in diſtinctis filis infigat, ad finem vſq; capituli, & diffinitorij omnimodam ſolutionem, & quouſq; opus eſſe videbitur reſeruandas. In vno videlicet filo, literas electionum Priorum. In alio miſſiuas fratrum. In alio monialium. In alio ſæcularium inſerendo.

¶ *De iudicibus cauſarum capituli, & ipſorum officio.*

46 His omnibus expletis, tres peritos, & expertos patres ex vocalibus capituli inſtituant iudices[g] cauſarum omnium capituli, tam fratrum, q̃ etiam ſæcularium

[g] ¶ Arg. ex Con. Antiochẽ. c. propter eccleſiaſticas. el 1. ver. in ipſis autem conciliis. diſ. 18. ex Con. Martini. ca. propter eccleſiaſticas. el 2. & c. de conciliis. ca.

larium cum fratribus. Qui ſingulorum cauſas audiẽtes, ea quæ pacis ſunt, in omnes intendãt, & quę grauiora fuerint diffinitorio referant, ipſi tãtum læuiora iudicantes, & terminantes. Qui etiam literas rationum introituum, & expenſarum conuentuum ſingulorum, & ipſorum debita, creditave, calculantes, in vno ſpeciali quaterno eorum ſummas, & reſidua deſcribentes, diffinitorio pręſentabunt. Quorum omnium copiæ Reuerendo patri Vicario, ac etiã Viſitatoribus tradantur, cum originalibus libris locorum, in actu viſitationis collationanda.

¶ *De cancellarijs, & hoſtiarijs diffinitorij.*

47 Duos etiam, aut plures eligant diffinitorij cãcellarios, fidos, ac prouidos, & qui ſecreta ſeruare norint. Quos de ſingulis literis nomine diffinitorij, tã reſponſiuis, q̃ alijs informabunt ſine mora expediẽdis, illud ſemper memoria retinentes, dedecus eſſe literis non reſpõdere, præcipuè Principum, ac Prælatorum, & aliorum, qui reuerentialibus forent reſpectibus proſequendi. Et pro aptiori rerum expeditione, duos vigiles hoſtiarios ordinabunt. Quorũ alter ſemper propè hoſtium diffinitorij pręſto ſit, alter verò per domum citatos inquirendo ſicut oportuerit, matura feſtinatione diſcurrat.

¶ *De audientia à diffinitorio præſtanda.*

48 Poſtea uerò diſcretos conuentũ ſingulorum per ordinem aduocari faciant. Qui diffinitorio referãt, quæ ad eorum officium ſpectare noſcuntur. Specialiter uerò inquiratur ab eis, de Priore, & fratribus, quomodo religioſè uixerint, uel ne, de promotione loci, & bonæ famæ, de odoribus apud ſæculum, præſertim poſt factam loci uiſitationem. Qui bono zelo, & caritate, ſuper conſcientias ſuas aperiant omnia cũ ueritate, bona, & mala, ac ſi inquiſiti ſuper

his

his fuiſſent in actu viſitationis. Referant etiam vota fratrum ſingulorum fideliter iuxta formã conſtitutionum, rationem aſſignando de petitionibus eorũ. Poſtea ſi opus eſſe videbitur audiant etiam Priores, & alios etiam ſi qui audiendi fuerint, ſeu audiri petierint. Quatenus auditis, & intellectis, quæ audienda fuerint, & intelligenda, rectè poſſint oĩa diffiniri.

¶ *De deciſionibus, & diffinitionibus à diffinitorio fiendis.*

49 Quibus auditis, ac diligẽter examinatis, cum petitionibus fratrum qui remoueri petunt, etiã nomina eorum, qui ex cauſa rationabili amouẽdi erunt, licèt ipſi non petant, in quaterno mutandorum ſcribantur, ſinguli ſub titulo conuentus in quo fuerint, & cum cauſa aſſignata. Poſtea decidatur, & diffiniatur[h] ſigillatim de omnibus, ac ſingulis literis, quærelis, & petitionibus diffinitorio delatis, quid in ſingulis reſpondendum, iudicandum, corrigendum, mandandum, ſtatuendum, ordinandumve fuerit.

h ¶ Arg. ex Cõ. Martini. d. ca. propter eccleſiaſticas. el 2. diſt. 18.

50 Præterea ſi quid iuxta morum fratrum, & temporum mutationes de nouo diffiniendum, aut monendum fuerit, diffiniatur, & ea oĩa ſeriosè in alio quaterno, Deciſa, inſcripto conſcribantur, ſubinde in libro congregationis tranſcribenda. Deinde eligatur Procurator congregationis in curia Romana, & ſocius Reuerendi patris Vicarij generalis noſtræ congregationis.

¶ *De inſtitutione Priorum, & familiarum diſpoſitione.*

51 Subinde verò ad inſtitutionem Priorum localiũ matura diligentia procedatur, nam licèt omnia maturè debeãt Præſidens, & diffinitores determinare, ſpeciali nihilominus ac præcipua diligentia Priorũ inſtitutionem, quibus ex officio animarum cura cõmittitur, quæ eſt ars[i] artium, & nihil eſt quod eccleſiæ Dei magis officiat, q̃ quod ad curam animarum aſſumantur

i ¶ In Con. generali. ca. cum ſit ars. de ætа. & qual. 8. q. 1. Aug. c. qui efactũ. Griſogo. c. multi. diſt. 40. Aug. c. ante omnia. ea.

aſſumantur indigni[k], & licèt eiſdem per conſtitutiones[l] noſtræ congregationis concedatur, quod poſſint de aliquo ſibi à conuentu non electo, nec poſtulato (ſi eis videbitur) prouidere, conceſſa tamen ſibi poteſtate adeò modeſtè vtantur, vt talem (ſiue à cõuentu electus, aut poſtulatus fuerit, ſiue non) præficere ſtudeant in Priorẽ, qui ſit bonæ famę, & quem[m] ætatis maturitas, & morum grauitas, ac ſufficiens literarum peritia commendent, & qui ſit ordinis zelator[n], & promotor manifeſtè. Caueantq; diligenter Præſidens, & diffinitores (quorum eſt communibus vtilitatibus congregationis pro locorum exigentia ꝓuidere[o]) ne Dei timore, & religionis amore (quod abſit) poſtpoſitis, quos[p] corrigere debent præficiãt, & honorent, aut deprimant quos pro meritis cõuenit honorari. Non bonæ autem famæ eum eſſe intelligimus, qui ſine ſatisfactione, emẽdatione longi tẽporis de aliquo vitio, ſeu peccato graui, confeſſus fuerit, vel conuictus, aut cõmuniter infamatus. Subinde etiam ad familiarum inſtitutionem, & fratrum mutationem cum ſana maturitate procedãt, & vnicuiq; loco noſtræ cõgregationis de numero, & idoneitate fratrum prouideant reſpectiuè, prout ſtatui congregationis, ac fratrum ſaluti ſecundùm Deum viderint expedire. Ita tamen, ꝙ ad minus duos ſacerdotes in quolibet loco deputẽtur, & niſi ex magna, & inexcuſabili neceſſitate, mutationes fratrum infra annum nullatenus fiant.

51 Igitur ad Priorũ inſtitutionẽ procedant hoc modo. Nam Reuerendus pater Præſidens legat ſigillãtim quæ notata fuerint de electionibus Priorum in quaterno de electionibus ipſorũ, incipiendo à conuentu Cremæ, primo noſtræ congregationis loco. Quibus lectis incipiant ballotare eum qui in primo

k ¶ Verba ſunt Cõc. generalis. in c. nihil eſt. in princ. de elect.

l ¶ Augu. ca. nemo. diſt. 83. in ca. 38.

m ¶ In Con. Latera. c. cum in cunctis. de elect. c. cum ſit ars. de æta. & qua. c. licet. in prin. de elect. in 6. c. ſtatuimus. diſt. 61.

n ¶ Argu. de ſta. reg. c. cum ad monaſterium. §. prior.

o ¶ Arg. ex Con. generali. c. aduerſus. de immu.

p ¶ Arg in c. ad aures de temp. ordi. ca. ſtatuimus. diſt. 61. cap. monacor. 16. q. 1.

loco fuerit,hoc modo. Nam qui vltimus in diffinitorio fuerit, dabit vnicuiq; ballotam vnam ex panno conſutam, vnamq; ſibi ſeruabit, & proponet duas buſſulas,quarum vna ſit alba,altera nigra,dicetq;.

52 Qui vult[q] eligere iſtum in Priorem talis loci,ponat ballotam ſuam in buſſula alba. Qui nõ vult eum eligere ponat eam in nigra.

q ¶Arg.in c.cũ terra.& ca.quiſquis. de elect.

53 Et incipiendo à patre Pręſidente per ordinẽ ſinguli ponent manum ſuper vtranq; buſſulam, & abſconditæ relinquent ballotam ſuam in quã voluerint. Quod ſi maior pars in buſſula alba conuenerit, is electus eſſe cenſeatur. Sin autem,is qui in ſecũdo loco electus fuerit,ſimili modo ballotetur. Quod ſi nec ſecundus electus fuerit, is qui in tertio loco fuerit,ſimili modo ballotetur. Et ſi fortè,nec qui in tertio fuerit eligeretur, pater Præſidens alium proponat,quouſq; prouiſum fuerit de Priore Cremę. Subinde ad ſingulorum Priorum inſtitutionem eodem modo procedatur per ordinem, iuxta primogenita locorum,quò ad erectionem,vel reformationem in noſtra congregatione, aut quò ad prærogatiuã fortè ex gratia diffinitorij conceſſam. Et inſtitutionibus huiuſmodi non obſtantibus, Priores locorum,eadẽ quæ prius, Prioratus ſui auctoritate fungi, locumq; ſuum tenere poſſe, ac debere declaramus, quouſq; inſtitutiones nouæ fuerint ſolenniter publicatæ.

54 Omnibus itaq; Prioribus electis, eodem ordine ſingulorum locorũ familias aſſignabunt. Et vbi contigerit fratrem aliquem, vel nouitiũ ex aliena familia anni pręteriti collocari, in margine contra nomẽ fratris ſcribatur ex tali conuentu. Quod in libro cõgregationis ſimiliter obſeruetur, quatenus, ſi opus fuerit facilius inueniri poſſit, de cuius familia fuerit anno præcedenti. In deſcriptione verò familiarum,

primo

primo ſcribantur ſacerdotes,ſecundo clerici,tertio conuerſi, & inter ipſos reſpectiuè ſeruetur ordo receptionis in noſtra congregatione, & ſcribantur tituli ordinum,& officiorum ipſorum,videlicet,ſi fuerint prædicatores, confeſſores, aut vtrunque, & de clericis,an diaconi,vel ſubdiaconi,aut acoliti.

¶ *De electione Vicariorum localiũ, confeſſorum monialium, & aliorum confeſſorum, et prædicatorum nouorum promotione.*

55 Facta diſpoſitione oĩum familiarũ congregationis,inſtituantur Vicarij conuentuum ſingulorum,& confeſſores[r] monaſteriorũ monialiũ,& mantellatarum noſtræ cõgregationis, ac ſocietatum laicorũ, ſi quæ locis noſtris adhærẽtes id petierint: Sacriſta,& Procurator cõuentus noſtri de populo Romę, eodẽ locorũ ordine ſeruato.Et ſi qui de nouo ad audientiam confeſſionum ſæculariũ,aut ad prędicationem verbi Dei fuerint promouendi, iuxta formã[ſ] priuilegiorum eligantur.Et ſi qui ẽt à noſtra cõgregatione iuxta Regulæ,& Conſtitutionũ, ac Diffinitionũ formã licentiandi fuerint, ſiue ne contagione peſtifera cæteros perdant proijciendi[t], cũ magna diligentia, & caritate fiat.Locum[u] etiã futuri capituli generalis noſtræ congregationis celebrandi determinent, & in eodẽ quaterno deſcribant. Aduertantq; diligenter ne quid diffiniendum indiffinitũ relinquant,quatenus omnibus ritè ordinatis congregatio tota infra annum quieſcere valeat in ſancta pace.

r ¶Arg.ex Con Cartag.4. ca qui religioſis fęminis.18. q.2.

ſ ¶Clem.dudum.de ſepult. §.ac deinde. & in mari magno priuilegiorũ ordinis. per Innoc. papa 4. Alex.4.Bonifa.8. & Sixtũ 4.

t ¶Aug.in reg.& c. relatum. ne cleri. vel mona.

u ¶In Con. generali. c.in ſingulis. §. prouiſo. de ſta.reg.

¶ *De modo eligendi quatuor viſitatores.*

56 Demum eligãtur quatuor patres viſitatores, qui ſint religioſæ[x], & circumſpectę perſonę. In quorum electione ſeruabitur iſte modus. Nam nullus de corpore diffinitorij, ſeu quouis titulo diffinitorio aſtãs, eo anno à vocalibus, aut à diffinitorio in viſitatorẽ eligibilis erit. Igitur congregato capitulo Reueren-

x ¶In Con.generali.d. c.in ſingulis. §.ordinentur.

dus pater Præſidens congruum de viſitatoribus eligendis ſermonem faciet. Et poſtea ſingulis vocalibus per ſcrutatores dabitur vna ſchida, ſiue liſta, in qua ſcripta ſint nomina omnium, qui poſſunt in viſitatores eligi, & fiet ſicut factũ eſt ſupra de electione quatuor diffinitorum. Sed poſteaquam ſcrutatores calculauerint electiones, ſcribant nomina quatuor patrũ in quos plures voces cõuenerint, & alta, & intelligibili voce, antiquior eorum prõnũciabit, hoc modo. In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen. Iſti ſunt quatuor patres, qui habuerunt plures voces in electione viſitatorum, ſcilicet Reuerendi patres in Chriſto frater A. de B. frater C. de D. frater E. de F. frater G. de H.

57 Quibus pronunciatis, ſingulis vocalibus dabitur vna ballotula, & antiquior ſcrutatorum acceptis in manibus duabus buſſulis prædictis procedet ad ballotationem ſingulorum quatuor nominatorum, incipiendo à maioribus ſecundùm primogenita profeſſionis in noſtra congregatione, hoc modo. Nam clara voce in medio capituli dicet.

58 Patres vocales nunc proponitur Reuerendus pater in Chriſto frater A. de B. qui veſtrum vult eum in viſitatorem noſtræ congregationis eligere, ponat ballotulam ſuam in buſſula alba. Qui autem nõ, ponat eam in nigra.

59 Et ordinatè præſentabit buſſulas omnibus, incipiendo à maioribus, qui ponentes manum ſuper vtranque buſſulam ſucceſſiuè ballotulam ſuam ponent in quam maluerint buſſulam, ita quòd ab alijs non cognoſcatur. Et illi duo, qui ex prædictis quatuor habuerint plures ballotulas in buſſula alba electi eſſe cenſeantur. Quos antiquior ſcrutatorum alta voce pronunciabit, hoc modo.

In

60 In nomine[y] domini noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amen. Anno eiuſdē Milleſimo quingēteſimo octua geſimo,&c.die &c.Marij. Ego frater A. de B. ſenior ſcrutatorum huius capituli,nomine meo,& nomine omniū ad quos præſens ſpectat electio, eligo in viſitatores noſtræ congregationis Reuerendos patres in Chriſto fratrem B. de C. & fratrem E. de F.

y ¶ Arg. ad Coll. c. 3.

61 Tunc electi genua flectant coram patre Præſidente. Quos confirmabit[z] dicens.

62 Et ego auctoritate apoſtolica mihi in hac parte commiſſa, confirmo vos in viſitatores noſtræ congregationis,dans uobis omnem auctoritatem,& poteſtatem in ſpiritualibus,& temporalibus, quam cæteri viſitatores eiuſdē ſolent hr̄e. In noīe patris,&c.

z ¶ Arg. in ca. auaritiæ. de elect. in 6. c. poſtquam, c. noſti. c. qualiter. eo. tit. in antiq.

63 Præterea diffinitorium eliget duos alios viſitatores. Qui poſtea ad huiuſmodi officium per diffinitorium,vſque ad quinquennium excluſiuè non eligātur. A vocalibus tamen, eligibiles erunt,poſt biennium. Igitur hi duo viſitatores,per diffinitorium electi, cum literis Reuerendi patris Vicarij congregationis cū alijs à uocalibus electis,bini aſſociati, duo ſcilicet eorum à conuentu Cremæ incipientes, uerſus montes, & prouinciam Ianuenſem, & duo alij à conuentu Cremonæ uerſus Romam, omnia, & ſingula loca noſtræ congregationis in literis ipſis deſcripta, iuxta præfixam eis ſacrorum canonum,tum noſtræ congregationis conſtitutionum,ac diffinitionum formam,quotiens, & quando opus eſſe iudicauerint ſtudeant viſitare, corrigentes[a], & reformantes,quę correctionis,& reformationis auxilio uiderint indigere. Quando autem generale capitulū totius noſtri ordinis fuerit celebrandū,ſi ad illud mitti opus eſſe uidebitur, eligantur duo fratres exemplaris uitæ,& honeſtatis,& ſufficiētis literaturæ,ſal-

a ¶ In Cō. generali. d. c. in ſingulis. §. ordinētur. de ſtat. reg. & c. ea quæ. §. porrò. eo. tit.

tem unus illorum,ſecundùm modum electionis viſitatorum.

¶ De benefactorum recomendatione viuorum, & ſuffragijs iniungendis.

64 Expedita uiſitatorum confirmatione, hora quæ patri Præſidenti uidebitur expedire congregari faciet capitulum, ſono campanæ præmiſſo, ut ſupra. Ad quod omnes,tam uocales,quàm cæteri, matura feſtinatione conueniant. Quibus ordinatè congregatis,pater Præſidens dicat.Adiutorium noſtrũ &c. Deinde clara uoce dicat.

65 Recitentur noſtræ cõgregationis, & ſingulorum locorum ipſius benefactores uiui.

66 Tunc pater Vicarius cõgregationis electus, & ut præmiſſum eſt,confirmatus aſſurgens, ſummũ Pontificem[b] pro tempore exiſtentem,Reuerendiſſimoſque Cardinales: præcipuè uerò dñm Protectorem, ac Priorem generalem noſtri ordinis: Epos ordinarios locorũ,in quibus domus, & monaſteria noſtræ congregationis exiſtũt: Sereniſſimum Imperatorẽ: Reges:Duces:& alios Principes,& Vniuerſitates fidelium cum iuſtitia regentes: præcipuè uerò ordini noſtro, & congregationi,fauentes orationibus omnium fratrum noſtrorum recomendabit, ſpecialia ẽt beneficia,ſi quæ eo anno contulerint referendo.

b ¶ Argu. in c. ſi Papa. diſt. 40.

67 Subinde ad monitionem patris Præſidẽtis,quiſque Prior monaſterij ſui benefactores[c] ſpeciales, & beneficia, quæ ſpecialiter ab eis exceperit,eo anno commemorando per ordinem, ſicut de defunctis fecerant recomendabit.

c ¶ Arg. in c. ipſi ſacerdotes. 1. q. 1.

68 Pro quibus pater Præſidens,omnibus conuentibus in genere,& cuilibet fratri noſtræ congregationis in ſpecie miſſas, pſalmodias, & alias orationes iniungat, præcipuè uerò dicat.

Quili-

69 Quilibet Prior in conuentu ſuo, cum ad locum peruenerit, miſſam unam pro defunctis fratribus, ſororibus, familiaribus, confratribus, & benefactoribus noſtræ congregationis: & aliam de Spiritu ſancto, pro uiuis decantari faciat: & quilibet ſacerdos tres miſſas pro defunctis prædictis, & tres de Spiritu ſancto. Quilibet clericus unum pſalterium, cum Gloria patri. pro uiuis, & alterum cũ Requiem. pro defunctis. Quilibet conuerſus quingenta Pater noſter. cum Requiem. pro defunctis, & alia quingenta cum Gloria patri. pro uiuis benefactoribus dicant.

70 Et alia iniunget ſicut pro caſuũ exigentia diſcretioni ſuę uiſum fuerit opportunum, pro uiuis, & pro defunctis à principio cõmemoratis. Quibus expletis omnes ſurgant, & ſtãtibus omnibus in locis ſuis, cantor incipiat ſine nota. pſal. Ad te leuaui oculos meos: &c. cum Gloria patri. Deinde pater Præſidẽs, dicat. Saluos fac ſeruos tuos, & ancillas tuas. Deus meus ſperantes in te. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus ad te ueniat. Dominus uobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

PRætende domine fidelibus famulis, & famulabus tuis, dexteram cœleſtis auxilij: ut te toto corde perquirant, & quæ dignè poſtulant conſequi mereãtur. Per dñm nrm Ieſum Chriſtum fil. tuũ, &c.

¶ *Quomodo agatur de culpis generaliter, & Priores officio ſuo renunciare debeant.*

71 Poſtea, uel tunc immediatè, uel alia hora, quæ uidebitur opportuna, agatur de culpis generaliter coram patre Præſidente, & Priores ſigillatim officio Prioratus in manibus patris Præſidentis ſigillũ pręſentantes, ſimpliciter renunciabunt. Quæ ſigilla pater Præſidens acceptãdo, & eoſdem ab officio Prioratus abſoluendo[d] dicat ſingulariter.

d ¶ Quia regulares facilius poſſunt à ſuis adminiſtrationibus amoueri. c. qualiter, & qñ. el 2. § hunc tñ ordinem. de accuſ.

 Et

72 Et ego auctoritate apoſtolica qua fungor in hac parte, accepto renunciationem tuam, & abſoluo te ab officio Prioratus conuentus noſtri ſancti Auguſtini Cremæ. In nomine patris,&c.

73 Et ſic de ſingulis ſuo modo reſpectiuè fiat. Et pater Præſidens, iuxta culparum exigentiam, & ſtatuta noſtræ congregationis, ſingulis pœnitentiam iniungat, nec vlli quidem parcat.

¶ *Quomodo omnia, quæ in diffinitorio diſpoſita fuerint publicè legantur.*

74 His omnibus ritè peractis, ſiue tunc, ſiue alia hora, quæ cõpetere videbitur, Reuerendus pater Præſidens omnibus, tam vocalibus, q̃ cæteris capitulariter congregatis, hortabitur omnes, vt diſpoſitiones capituli prõpta, ac ſimplici obedientia, ſine contradictione excipiant, & ea humiliter ſtudeant adimplere. Præcipuè verò Priores hortetur, quatenus in moribus, ac regimine iuxta noſtræ congregationis inſtituta, ſtudeant eſſe conformes[e]. Demum legãtur diffinitiones, & Priorum, ac familiarum diſpoſitiones, omniaq;, & ſingula in eodem capitulo acta. Cũ autem pronunciatum fuerit, quem Priorem conſtituerint S. Auguſtini Cremę, is qui nominatus fuerit, ſtatim[f] ſurgat, & coram patre Præſidente genua humiliter in terram flectat. Cui pater Præſidens ſigillum illius conuentus tradens in manibus, ipſum in officio Prioratus confirmabit[g] dicens hæc verba.

75 Et ego auctoritate apoſtolica qua fungor in hac parte, confirmo te in Priorem conuentus noſtri S. Auguſtini Cremæ, dans tibi omnem auctoritatem, & poteſtatem in ſpiritualibus, & temporalibus, quã cæteri Priores dicti conuentus ſolent habere. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

76 Et Prior deoſculata manu patris Præſidentis ſigillum

e ¶ Arg. ex Con. Gerundin. ca. inſtitutio. de conſ. diſ. 2. ex Con. Brachar. c. placuit. ex Conci. Toletan. c. de his. diſt. 12.

f ¶ Arg. in c. quã ſit. §. caterũ. de elect. in 6.

g ¶ Arg. in c. cupientes. de elect. in 6. & d. c. quam ſit. §. cæterum. eo. tit. & d. ca. qualiter. ca. poſtquã. ca. noſtri. eo. tit. in antiq.

gillum accipiat,& ad locum ſuũ accedat,& ſucceſſiuè legatur familia. Eodemq; modo de cæteris Prioribus fiat ordinatè. Quibus finitis, cantor incipiat alta voce, in nota. Te Deũ laudamus. Tunc omnes ſeſe bini,& bini ad titulum capituli inclinantes, procedant ad eccleſiam, & omnes campanæ pulſentur. Finito cantico, pater Præſidens ſtans in medio corã altari maiore, dicat in nota alta voce.

77 Saluos fac ſeruos tuos. Deus meus ſperantes in te. Mitte eis dñe auxilium de ſancto. Et de ſion tueręe eos. Dñe exaudi orationẽ meã. Et clamor meus ad te ven. Dñs vobiſcũ. Et cũ ſpiritu tuo. Oremus.

ADesto ſupplicationibus noſtris oṗs Deus, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuę proſperitate diſpone: vt inter omnes viæ, ac vitæ huius varietates, tuo ſemper protegantur auxilio. Per dñm.

78 Deinde pater Præſidens, & pater Vicarius congregationis conſedeãt, & cęteri omnes genibus flexis dicant. Confiteor Deo omnipotenti,&c. Deinde pater Vicarius congregationis, aut pater Præſidens de ipſius commiſſione,& auctoritate dicat.

79 Miſereatur veſtri oṗs Deus,&c. Indulgentiã,&c.

DOminus Ieſus Chriſtus vos abſoluat. Et ego auctoritate qua vigore indulti apoſtolici fungor in hac parte, abſoluo vos à vinculo excommunicationis maioris,& minoris, ſi quam, vel quas incurriſtis, & à participatione cum excommunicatis, & reſtituo vos ſacramentis eccleſiæ,& communioni fidelium. In nomine patris,&c.

80 Eadem auctoritate abſoluo vos à ſententia ſuſpenſionis,& interdicti,& diſpenſo vobiſcum ſuper macula irregularitatis, ſi quam, vel quas fortè contraxiſtis, & habilito vos executioni, & ſuſceptioni ordinum,& officiorum ſanctæ matris eccleſiæ, &

noſtri

noſtri ordinis. In nomine patris, &c.
81 Eadem auctoritate abſoluo vos à communibus tranſgreſſionibus Regulæ, Conſtitutionum, & Diffinitionum noſtrarum, ac præceptorum ſuperiorum veſtrorum, & à pœnitentijs neglectis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.
82 Concedat inſuper licentiam omnibus, & ſingulis (ſi ei libeat) vt ſibi eligant confeſſorem idoneum de noſtra cõgregatione, qui auctoritate ſua eos abſoluere poſſit in foro conſcientiæ, ſemel tantum infra Pentecoſten, quò ad eos qui tunc capitulo generali aderunt, abſentes verò infra quindecim dies poſtquam id ſciuerint proximè futuros.
83 Præterea ſtatuat vnicuique decem miliaria pro ſingulo die, infra quod tempus, quilibet ad locũ ſuę obedientiæ debeat peruenire, videlicet. Qui decem miliaribus à loco ſuo diſtat, infra diẽ vnum naturalem, qui per viginti, in duobus diebus. Qui ꝑ triginta in tribus diebus debeat perueniſſe, & ſic vltra.
84 Demum Reuerendus pater Præſidens poteſtatẽ ſibi, ac diffinitorio reſeruabit, hoc modo pronuncians clara voce, videlicet.
85 Reſeruamus nobis auctoritatem, & poteſtatem determinandi, diffiniendi, ſtatuendi, reformãdi, corrigendi, & emendandi, necnon mutandi, ac confirmandi quæcunque geſta ſunt, quamdiu nos, & diffinitores omnes ſimul erimus.
86 Deinde pater Præſidens, aut pater Vicarius congregationis omnibus benedicat dicens.
87 Pax, & benedictio Dei patris omnipotentis, & filij eius domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.
88 Demum ſoluat capitulum dicens. Adiutoriũ noſtrum in nomine dñi. Qui fecit cœlum, & terram.

Quo-

¶ Quomodo literæ diffinitorio delatæ reſeruētur, vel cōburātur.

89 Omnibus itaq; ritè diſpoſitis, & terminatis, antequam diffinitorium omnino ſoluatur, literæ omnes quæ diffinitorio delatæ fuerant in ſuis filis infixę producantur in medium. Inter quas ſi fuerint literæ aliquæ apoſtolicæ, aut Reuerendiſſimi dñi Protectoris, vel Reuerendiſſimi patris Prioris generalis ordinis, ſeu aliorum Prælatorum, aut Principum, vel Vniuerſitatum, alicuiuſve etiam perſonæ priuatę, quæ ad futura porrigātur, aut quæ commodum ordinis, vel noſtræ congregationis cōcernere, ſeu alias memoria dignæ eſſe viderentur, in depoſito congregationis in conuentu noſtro Cremæ reſeruētur, aut in libro congregationis regiſtrētur, ſicut viſum fuerit expedire. Cæteræ autem omnes igne comburātur.

¶ De literis Reuerendi patris Vicarij generalis congregationis, de inſtitutione Prioris, & familiæ, ſingulis Prioribus dandis.

90 Priores verò, aut diſcreti locorū, antequam à loco celebrati capituli generalis huiuſmodi recedant, literas[h] habeant à Reuerēdo patre Vicario generali congregationis in forma patente, ſigilli maioris cōgregationis impreſſione, & manus propriæ eiuſdem patris Vicarij ſubſcriptione munitas, in qbus procemium diſpoſitionum capituli conſuetum, & omnes diffinitiones in eodem capitulo factæ, & Prioris, ac familiæ ſui conuentus diſpoſitiones, necnon fratrū eo anno à noſtra congregatione licentiatorum[i], & apoſtatarum, ac defunctorum[K] nomina, & cognomina: ordines, officia, & dignitates diſtinctè contineantur. Quam cum ad locum ſuū peruenerint Vicarius, qui in loco fuerit anno præterito, congregato capitulo omnium fratrum, qui tunc in loco[l] fuerint, legi faciat. Et lecta inſtitutione Prioris eum ad titulum capituli deductum intronizabit, & manum in ſignū obe-

h ¶In extrauag. iniunctæ. de elect.

i ¶Arg. ca. curæ. 11. q. 3.

K ¶Arg. Aug. de cura agen. pro mortuis. c. non æſtimemus. 13. q. 2. Hier. ca. in præſenti. §. verum. & 6. c. ſeq. ea. q. & cauſa.

l ¶Arg. ex Con. Tolet. c. decernimus, diſt. 18.

obedientiæ, & reuerentiæ ipſe Vicarius, ac ſubinde cæteri omnes ordinatè Priori deoſculabuntur.

De officio, & auctoritate Vicarij generalis congregationis, & pro quibus caſibus abſoluatur. Cap. 31.

VIcario generali noſtræ cōgregationis fratres tanquā verò patri, & paſtori cui[a] cura, regimen, & adminiſtratio, viſitatioq;, & correctio totius noſtræ congregationis credita ſunt, omnes obediant, & debitam ſubiectionem, & reuerentiam eidē cum deuotione, vbiq; locorum exhibeant. Officium autem eius eſt, loca cōgregationis non ſolū ſemel[b] in anno, ſed[c] quotiēſcunq; opus ſibi videbitur perſonaliter viſitare, & in eis corrigere[d], & reformare, quæ ſecundùm regulam beatiſſimi patris noſtri Auguſtini, & inſtituta congregationis inuenerit corrigenda, & reformanda. Ad eum namq; pertinet Priores locales infra annum canonicè electos confirmare, & ab officio abſoluere, ſi ſecundùm inſtituta congregationis, caſus emerſerit abſoluendi. Et ſi viſitatores congregationis, ante tempus ſuæ viſitationis, vnus, vel ambo deceſſerint, ſeu aliquo iuſto, & rationabili impedimento impediti viſitare non poterūt, Vicarius, & diffinitores pręcedentis capituli, qui cōmodè haberi poterunt, alium, vel alios loco eorum inſtituāt[e], & ſi (quod Deus auertat) fratres aliqua eccleſiaſtica cenſura illaqueari cōtingeret, iuxta ſedis apoſtolicæ indulta, eos abſoluere, & cum eiſdem ſuper irregularitatis, & inhabilitationis maculis diſpenſare, eoſdemq; (quando expedire iudicauerit) habilitare.

1 Volumus etiam, vt fratres, qui ſunt ad ſacros ordines ſecundùm inſtituta congregationis promouendi, vt de expreſſa licentia[f] Vicarij congregationis or-

a ¶ Vt in bulla Leo papa x. quę vulgo mare maius nuncupatur.

b ¶ Arg. ex Con. Tarraconen. c. decreuimus. 10. q. 1. ex Con. Tolet. c. epiſcopum. ca.

c ¶ Arg. ex Con. Aurel. ca. non ſemel. 18. q. 2. ca. viſitandi. ca.

d ¶ Arg. in Con generali. c. in ſingulis. §. ordinentur. de ſta. reg. c. ea q̄. in prin. eo. tit.

e ¶ Arg. ex Con. Aurel. c. eſpm. 10. q. 1. ex Con. Tarracon. c. decreuimus. ca.

f ¶ Arg. ex Conc. generali Lugd. c. eus. & c. nullus. de tempo. ord. in 6. ca. ad aures. eo. tit. in antiq. cle. ne ī agro. §. ad ampliationē. de ſtat. reg. ex Cō. Agat. c. monachi. el 1. 16. q. 1. ex Cō. Hilerden. ca. cum pro vtilitate. ea. ex Con. Cartag. 5. c. ſi quis. diſt. 58. Greg. in c. nullus. ea. ex Con. Toleta. 11. ca. quanquam. diſt. 23.

nis ordinentur. Et ſi promotus pſalterium diſtinctè legere[g] neſciuerit, & miſſale, qui eum promoueri fecerit, à die promotionis huiuſmodi, vſq; ad annum, ſextis ferijs ſolùm in pane, & aqua ieiunet. Si verò fratrem in Priorem aliquem confirmauerit alicuius loci, qui neſciat diſtinctè legere Breuiarium, & Miſſale, aut promouerit, vel promoueri fecerit ad dictũ officium, vel permiſerit ſcienter, ipſo facto, vſq, ad capitulum ſextas ferias in pane, & aqua debeat ieiunare, & vſque ad quinquennium ad omnem curam animarum ineligibilis[h] permanebit.

2 Nullum fratrem à noſtra congregatione, quauis auctoritate licentiatum, nec aliquem alium à noſtra congregatione extraneum, in ipſa congregatione recipiat.

3 Fratres autem de loco, ad locũ mutare[i], aut mittere, niſi manifeſta, & euidenti neceſſitate nõ debet. Quod ſi cõtrafecerit, ſex dies in pane, & aqua infra menſem ieiunet, à die mutationis, ſeu miſſionis prædictæ, ſine diſpenſatione.

4 Facta quoque viſitatione omnium locorum congregationis in aliquo loco ſe manſurum conſtituat, vt ſciant fratres congregationis, vbi eum inuenire poſſint, ſi cauſa requirendi contigerit. Si tamen fratres ad eum venire pro leui, & quaſi pro nulla cauſa cognouerit, ſic venientes puniat, vt detur alijs occaſio, & timor[k], non ſic faciliter veniendi ad eum.

5 Ad victum autem neceſſaria de elemoſinis, & bonis conuentus Vicario congregationis cũ omni caritate, Priores, & fratres locorum, ad quos declinauerit adminiſtrent[l]. De vno verò veſtimẽto, ſcilicet capa, vel tunica, ſecundùm ꝙ eorum altero magis indiguerit, & de calciamentis, & ſcapulari, ſi neceſſitas id expoſcat caritas Priorum prouidebit.

Poterit

g ¶ Arg. in Con. generali. c. cũ in cunctis. 1 prin. de ele. ex eo Con. generali. c. ſi cõpromiſſarius. § porrò. eod. tit. in 6.

h ¶ Arg. ex Con. generali. d. c. in cunctis. §. ſi. c. cũ vuitonenſis. & d. cap. nihil. de elect.

i ¶ Arg. in c. multi. §. quicunq;. diſt. 40. Greg. c. nouit. diſt. 12. arg. ca. nouit. §. attendentes. ne ſede vac. item. in ca. ne religioſi. in prin. de reg. ca. vt periculoſa. ne cle. vel mon. in 6. cle. ne in agro. §. eorum. ver. prælatis eorum. de ſtat. reg. c. eps. diſt. 72.

K ¶ Arg. in ca. iuſtũ eſt. 23. q. 3. c. loci. prius prin. 35. q. 9 c. peruenit. el 2. in fi. di. 93. c. ea quę. §. ſi vero. de ſta. regu. c. quapropter. 2. q. 7. argu. a cor. ſen. ca. vt clericorũ. §. ne verò. ver. facilitas veniæ. de vita, & honeſt.

l ¶ Arg. ex Con. Gabilon. c. cauendũ. ad ſi. 10. q. 3. c. ſacerdos. 1. q. 2.

6 Poterit autē Prior localis ſimul, & Vicarius eſſe, ſicut in capitulo Montis ſpeculi diſpenſatum fuit.

7 Eundi ad capitulum nulli licētiam concedat, niſi forſitan frater aliquis iuſtam, & manifeſtam cauſam habeat, propter quam id ſibi neceſſariò prouiderit concedendum.

8 Si autem extra congregationē, aut ad ipſius congregationis extrema loca, eum ire contigerit, vnum de patribus eiuſdem congregationis diſcretum, & expertum, ſcientem ſufficienter loqui latinū, locum tenentem[m] in ipſa congregatione, aut plures in diuerſis noſtræ congregationis partibus, per ſuas patentes literas inſtituat, & relinquat. Similiter ſi vltra Montes Appenninos etiam intra congregationem ipſam iuerit, locumtenentem iuxta præfixā formam in Lombardia inſtituat. Quod ſi omiſerit, tunc ipſius Vicarij generalis præceſſor proximior ex ſuperſtitibus, qui tunc in partibus Lōbardiæ erit, quouſque ad congregationem, & citra Montes prædictos redierit, ipſius locumtenens cum omni auctoritate ſua eſſe cenſeatur.

m ¶ Arg. in ca. valdè neceſſariū. diſ. 94. & c. nobiliſſimus. diſt. 97. & ex Con. Tarracon. c. decreuimus. ex Con. Tolet. c. epm. 10. q. 1.

9 In impoſitis quidem pœnitentijs, & obſeruandis ordinationibus in omnibus, & ſingulis, plenam auctoritatem habeat diſpenſandi. Faciat tamen conſtitutiones congregationis, quæ diſpenſationem prohibent, ſecundùm ꝙ ſuæ prouidentiæ videbitur, inuiolabiliter ab omnibus obſeruari. Cum leges condere, & non obſeruare, nō aliud ſit, quàm ordinem deludere, & fratrum animas illaqueare.

10 Vicarius ergo de cuius prouidentia, & fidelitate, congregatio cōfiſa ſui curam, adminiſtrationem, & regimen, ſuæ diſcretioni, & fidelitati committit, inter cætera ad augmentationem[n] ſibi commiſſæ congregationis, & locorum promotionē, ſolicitè, & attentè

n ¶ Cle. ne in agro. §. ad ampliationē. de ſta. reg. c. cū ad monaſteriū. §. abbas. e. ti. in antiq.

tentè vigilare debet,& ad hoc pro poſſe laborare,& Priores, & alios fratres ad id inducere, inceſſanter inſiſtat. Fratrum verò numerum attentiſſimè,inquãtum ſibi Deus permiſerit accreſcere, & Priores, & fratres ſingulos,qui ad hoc vtiles eſſe poſſunt, fideliter ſolicitare non ceſſet[o]. Moneat inſuper fratres cum ſæcularibus,& religioſis modeſtè loqui, & eiſdem honorem, & reuerentiam debitã exhibere: interius,& exterius modeſtè incedere. Habeat quoq; Vicarius conſtitutiones quas obſeruet, ac cæteros ad illarum obſeruationem efficaciter inducat[p]. Legem[q] enim quam non didicit prælatus obſeruare, non poteſt alios ſine legis errore docere.

11 Statuimus, vt qui Vicario congregationis per duos dies, ac noctes integras obſtinatus recuſauerit[r] obedire voce careat per triennium, & per menſem pœnæ ſubiaceat grauioris culpæ.

12 Si autẽ Vicarius Dei timore poſtpoſito,ita ſe habeat,quòd non ſit amplius in ipſo Vicariatus officio ſuſtinendus,pro eo fortè,quòd irreligioſè viuit,abſoluatur[ſ].

13 Occurrente autẽ obitu, vel alio canonico impedimento Vicarij generalis noſtræ congregationis ꝑ tempore exiſtentis,cura,& regimen, tam fratrũ noſtræ congregationis, q̃ monialium officio ſuo commiſſarum, & ſubiectarum, ad illius immediatum in Vicariatus officio præceſſorem ſuperſtitem,& eo nõ ſtante illi proximum,pleno[t] iure,pertineat. Ipſis autem Vicarijs omnibus deficientibus, aut canonico impedimento impeditis antiquior diffinitor capituli anni tunc proximè præteriti,qui in ſequenti capitulo præſidere habet in huiuſmodi cura, & regimine immediatè ſuccedat, vſque ad impedimenti huiuſmodi ceſſationem,vel noui Vicarij electionem.

De

o ¶Arg. in c. ridiculum eſt. diſt. 12.

p ¶De ſta. reg. c. cũ ad monaſteriũ. §. prior, & abbas.

q ¶Argu. in c. cũ in magiſtrũ. de elect. & ex Con. Hiſpal. c. in nona. 16. q. 7.

r ¶Ex Cõ. Milleuit. c. quiſquis. 2. q. 6. ex Con. Agat. c. cõtumaces. di. 50. ex Con. Antiochẽ. c. ſi quis presbyter. 11. q. 3. ex Cõ. Cartag. 3. ca. petimus. 11. q. 1. ca. cum in eccleſiis. de maio. & obed.

ſ ¶Arg. ex Con. Lateran. c. monachi. §. priores. de ſta. reg. c. cum ad monaſterium. §. abbas. eo. tit. ca. qualiter. & quando. el 2. §. ſi. de accu. ex Conci. Triburiẽ. c. ſi quis abbas. 18. q. 2.

t ¶Ex indulto apoſtolico Leo pp x.

VISITATORES noſtræ congregationis cum omni maturitate, & religioſa circumſpectione[a], commiſſum eis viſitationis officium diligenter ſtudeant exercere, ac ſolicitè caueant, ne alios viſitando quicquam faciant, vel omittãt, quod poſtmodum in eis congrua animaduerſione veniat corrigendum[b]. Eorum enim officium eſt omnia, & ſingula noſtræ congregationis loca, & fratres, eis per literas Vicarij generalis eiuſdem congregationis deſignata, ſaltem ſemel[c] in anno, & quotiẽs neceſſariũ[d], & expediẽs eſſe cognouerint, iuxta præfixam eis, ſacrorum canonum[e], ac noſtræ congregationis inſtitutorum formã viſitare, corrigereq;[f], & tam in ſpiritualibus, q̃ in tẽporalibus reformare, quæ correctionis, & reformationis auxilio cognouerint indigere.

1 Et ſi contingat viſitatores in aliquo cõuentu ſuæ viſitationis, Vicarium congregationis inuenire. Vicarius ipſe eos nullatenus à viſitatione prohibeat, neque de eorum viſitatione ſe impediat, niſi ipſe in eo loco, iam viſitationem cępiſſet, quia eo caſu perficiet eam. Subinde verò viſitatores quando voluerint liberè viſitabunt conuentum. Conuentum etiã in quo Vicarium generalem, aut alium Viſitatorem congregationis noſtræ, Priorem, aut alias de familia conuentus huiuſmodi eſſe contigerit, viſitatores ipſi viſitare[ff] ſimiliter poterunt, Vicarium[g] tamen, aut viſitatorem[h] huiuſmodi nõ iudicabunt, licèt de eius vita, & moribus inquirere poſſint, & benè, maleq; acta ipſius, ſi quæ inuenerint diffinitorio capituli[i] generalis referre, quatenus pro meritis commendationem,

a ¶ In Con. generali. c. in ſingulis. §. ordinentur. de ſtat. reg.

b ¶ Arg. in c. cum in magiſtrũ. de elect. c. ordinatos di. 59 c. miſerum. diſ 61. Greg. ca ſi cultos. 27 q. 1. Hiero. c. ſi clericatus. 16. q. 1. ca. ea quæ. §. ſi verò. i ſi. de ſtat. reg. Augu. c. ſacerdos. Greg. c. iudices. c. in grauibus. c. poſtulatus. 3. q. 7. ca. qualis. 8. q. 1. c. cũ oẽs. de cõſti. Aug. c. neq;. diſt. 9 c. p illorum. de præb.

c ¶ Arg. ex Con. Tarrac c. decreuimus. & ex Con. Tolet. c. epm. 10 q. 1.

d ¶ Arg. ex Con. Aurel. ca. nõ ſemel. & c. viſitãdi. 18. q. 2.

e ¶ Ex Con. Bracha. 2. c. placuit. 10 q. 1. ex Con. Tolet. c. epm. & ex eo. Cõ. ca relata eſt. ea. q. & c. relatum. ea. q. 3. c. olim. de accu. ex Con. Late. c. cũ apoſtolus. de cenſibus. c. romana. §. ſanè. & §. fi. eo. ti. in 6. c. cum venerabiles. de cenſ.

f ¶ In Con. generali. c. in ſingulis. §. ordinentur. & ca. ea quæ in princi. de ſta. reg. ex Cõ. Aurel. d. c. nõ ſemel. 18. q. 2. d. c. olim. de accuſ. ex Con. Gabilon. c. cauendum. 10. q. 3. in Con. generali. c. procurationes. §. porrò. de cenſib.

ff ¶ Argum. ex Con. generali d. c. in ſingulis §. ordinentur.

g ¶ Arg in d. c. ea quæ. §. ſi verò. de ſta. reg. c. beatus Petrus. & c. omnes. 6. q. 1. c. in tantum. diſt. 21.

h ¶ Quia par in parem non habet imperium. c. innotuit. §. quamuis. in ſi. de elect.

i ¶ Argum. in d. c. ea quæ. §. ſi verò. addito. §. ſi.

dationem,ac iuxta modum culpæ, debitam pœnam portet. Fratrum omnium tam Priorum, q̃ ſubditorum culpas,& excéſſus, ſecundùm ſtatuta congregationis corrigere, ita tamen ꝙ in ſua viſitatione vbique ſimul ire,& eſſe debeant,& quicquid ad ſuæ viſitationis ſpectat officium, totum mutua præſentia, deliberatione,conſilio, & conſenſu perficiant ſecũdùm congregationis ſtatuta.

2 Deſtituere[i] autem, aut inſtituere Priorem, omnino non poſſint, ſed ſi expedierit, poſſunt eum ab executione officij ſuſpendere.

i ¶ Arg. vbi ſupra prox. a legatum.

3 Sequenti igitur, vel tertia die, poſtquam ad locũ peruenerint,quem ex officio ſuo viſitare debebunt, viſitationem incipiant,ſi fratres in domo fuerint,alioquin eos expectent,ſi eis videbitur expedire.Factoq; verbi ſermone[k] in capitulo,alter eorum nomine ſuo,& nomine alterius, omnibus, & ſingulis fratribus, in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis præcipiat, vt ipſi fratres de omnibus ſuper quibus interrogati, aut requiſiti fuerint purã, & apertam, remotis odio, amore, precio, & precibus, dicant ipſis Viſitatoribus veritatem. Ergo in eadem virtute præcepti ſui generaliter, & priuatè, inquirent Viſitatores à quolibet fratre de Priore,& de vno quoq; alio fratre, ſcribentes tam ea quæ publicè,ſcilicet in capitulo,quàm ea quæ priuatè, ſibi dicta, ſeu reuelata fuerint, vt ſi forſitan caſus fuerit adeò grauis,vt neceſſe ſit,ꝙ multa habeatur deliberatio ſuper eo, aut ſi proinde oriretur contentio, habeant Viſitatores ipſi, ſcripta in libello in teſtimonium,vt per ea veritas eluceſcat. Per hoc tamen non intendimus, quòd in correctionibus in noſtra congregatione faciendis, ſicut in foro contentioſo procedatur, ſed ſimpliciter[l], & de plano, ſola rei

K ¶ In Cõ. generali. c. procurationes. §. porrò. de cenſi. & Con. Gabil. ca. cauẽdum. 10. q. 3. c. romana. §. ſanè. de cenſi. in 6.

l ¶ Arg. in c. qualiter. & quãdo el 1. § hũc uero ordiné. de accu. c. p tuas. circa fi. de ſimo.

 veri-

veritate inſpecta, & Deum præ oculis habentes ſecundùm Regulæ, & Conſtitutionum, ac Diffinitionũ noſtræ congregationis tenorem procedatur. Inhibentes, ne quis pro huiuſmodi correctionibus, aut defenſionibus recurſum habeat ad iuriſtas. Si quis verò à proceſſibus, ſeu viſitationibus, aut correctionibus officialium noſtræ congregationis indebitè appellauerit, ex nunc prout ex tunc ſic appellãtem ineptè[m], pœnæ carceris adiudicamus, inde non liberandum ſine capituli, aut Vicarij generalis eiuſdem congregationis licentia ſpeciali.

[m] ¶ In Con. Later. c. reprehẽſibilis. de appel. c. ad nr̃am. eo. tit. ſcilicet qñ delictũ eſt publicum, & notoriũ. ca. peruenit. in fi. eo. ti. niſi modum excedat. cap. de priore. eo. tit. c. licèt. de offi. ord.

5 Poſtquam igitur inquiſitionem de omnibus, quæ correctionem, & emendationem Prioris, & fratrum omnium ſpectabunt fecerint diligenter, hora quæ eis videbitur opportuna capitulum congregabunt, & ſumma cum caritate ad correctionẽ maturè procedent, ita vt pax, & caritas, poſt eorum diſceſſum relinquatur in domo.

6 Viſitatores quoque ſi aliquem ex fratribus inuenerint enorme aliquid cõmiſiſſe, propter quod de loco illo in quo illud commiſerit ſit meritò remouendus[n], eum cum ſuis literis, ad Vicarium congregationis remouendum tranſmittant, puta ſi ſuſcitauerit ſciſmata[o] inter fratres, aut contra Priorem ſe malitioſè erexerit, vel extraneis ſecreta capituli reuelauerit, ſiue alicui perſonæ familiaritate coniunctus eſt, quam ipſe deſerere non vult, & ſine ſcandalo tenere non poteſt, ſeu crimen aliquod graue commiſerit, per quod generauerit, aut generare poſſet ſcandalum, in populo ſui conuentus, aut fratrum loci turbare, vel impedire quietem, ac alijs ſimilibus, & grauioribus caſibus.

[n] ¶ Arg. ĩ c. ea quæ. §. porrò. in fi. addito. §. fin. de ſta. reg. arg. in ca. valet. diſt. 81.

[o] ¶ Arg. ex Con. Cartag. 4. c. ſeditionarios. & ex eo. Cõ. c. clericũ. diſt. 46. ex 8. Syno. c. ſi q́s monachus. & ex eo. c. alienus. c. neque ad Cain. ex Con. Cartag. c. diſcordantes. ex Cõ. Cartag. 4. ca. diffidentes. & 4. c. ſeq. diſt. 90. c. hoc habet. §. ecce. di. 46.

7 Addimus inſuper, ꝙ ſi Viſitatores mali aliquid de Priore, vel de aliquo fratre audierint, ſi peccatum

eſt

eſt occultum, occultè vocetur[p] accuſatus, non tamē manifeſtando accuſatorem. Si verò accuſatus confitetur, ſecretè[q] puniatur. Si autem negauerit, aduocandus eſt accuſans, & ſi ipſe probare nequiuerit[r] puniatur. Si quidem peccatum ſit manifeſtum, manifeſtè[ſ] arguatur, & puniatur ſecundùm inſtituta congregationis.

8 Viſitatores etiam ſint cauti ad ſcribendum in libello quem habent diffinitorio præſentare, ne ex læui cauſa, ſeu ſuſpitione, aliquis iniuſtè diffametur. Teneantur[t] tamen ipſi Viſitatores obedire Vicario generali tanquam eorum verò paſtori.

De quibus caſibus Viſitatores inquirere debent. *Cap. 33.*

DIligenter quoq; Viſitatores de obſeruantijs[a] regularibus inquirant, quomodo ſeruiatur infirmis[b], & nouitij[c] inſtruantur, & vtrum fratres aliqui, alias quàm cum Prioris diſcretio ex cauſa fortè, cum eis diſpenſat, alio, quàm ſibi conceſſo cibo[d], utantur, aut ſolitum ieiunium[e], ſine cauſa rationabili frangant. Si benè ſilentium[f] horis, & locis debitis teneatur. Si debitus modus in mulierum[g] locutione, & uiſitatione ſeruetur. An aliquis aliquid proprium[h], id eſt ſine licentia ſui Prioris habeat, aut de licentia aliquid quod careat honeſtate. Vtrum fratres conueniant ad capitulum[i] ſicut debent. An aliqui in conſuetudine habeant non intereſſe miſſæ[k] conuentus, & an Prior[l] ſolicitus, & intentus ſit, ad promotionē loci, & diligenter inquirant, & uideant in quibus locum promouit, & utilitates, & meliorationes eccleſiæ, & domorum, quæ ſuo tempore fa-

p ¶ Arg. in c. relatū. 5. q. 2.
q ¶ Aug. in regu. & Auguſt. in memoranda doctri. ca. ſi peccauerit. 2. q. i. Ambr. c. ſi q. poteſtatē. 23. q. 4. c. pſbyter. 15 q. 5. c. īqſitionis. de accu.
r ¶ Arg. ex Con. Cartag. 4. c. accuſatores. diſt. 46. & c. omnis. c. qui iuxta. 5. q. 6. c. accuſaſti. de adult. c. calumniator. cap. ſi quis circa. c. ſi quis epiſcopum. 2. q. 3.
ſ ¶ Aug. in regu. & Aug. in doctr. nūquā obliuioni tradenda prælatis. d. cap. ſi peccauerit. circa med. 2. q. 1. d. ca. presbyter. in fi. 15. q. 5. c. manifeſta. de pœn. & remiſſ. c. ego berengarius. in fi. de cō ſec. diſt. 7.
t ¶ Arg. in c. dilecta. & in c. ī eccleſiis. de maio. & obed. ex Con. Tolet. 11. c. quanquā. di. 23.
a ¶ De ſta. regu. c. ea quæ. in prin. & ex Con. Brachar. 1. c. oculus. 10. q. 1. ex Con. Gabil. ca. cauendum. 10. q. 3. ca Romanæ. §. ſanè. de cenſib.
b ¶ Vt in conſtitutionibus. c. 13.
c ¶ Vt in conſtitutionibus. c. 17.
d ¶ Vt in conſtitutionibus. c. 21.
e ¶ Vt in conſtitutionib. c. 22. & in diffinitionib. ſub rub. 8.

f ¶ Vt in conſtitutionibus. c. 11. g ¶ Vt in conſtitutionibus. c. 9.
h ¶ Vt in c. 34. conſtitutionum, & in diffinitionibus. ſub rub. 9. & 6.
i ¶ Vt in conſtitutionibus. cap. 3.
k ¶ Vt in conſtitutionibus. cap. 6.
l ¶ Vt in conſtitutionibus, cap. 24. & in diffinitionibus. ſub rub. 18.

ctæ ſunt. Item ſi eccleſiam[m], ſeu oratorium facit teneri mundum,& honeſtum, & in his quæ ad cultum diuinum pertinent debito,& religioſo modo ornata ſeruet,præcipuè autem Eucariſtiæ[n] ſacramentum, & oleum ſanctum in eccleſia iuxta formam ordinationum noſtræ congregationis reuerenter teneantur. Si libri[o] ad cultum Dei pertinentes, ſint correcti,& in ſententia, & cantu ſint concordes cum cæteris quibus vtitur congregatio. Si dormitorium[p], foreſtariam, & infirmariam in cellis, & lectiſternijs tenet,& obſeruat mundas. Si lampadem[q] in dormitorio ardere facit ſingulis,& totis noctibus, ſecundùm quòd conſtitutio præcipit eum obſeruare. Si omnes horas[r] diurnas, & nocturnas deuotè cantari facit,more noſtro ſeruato. Si ordinem,& honorem ordinis feruenter diligit,& de eo aliud,quàm honorabile, & honeſtum loquatur, & ſi fratres ad omnia obſeruanda monet[ſ],& hortatur, & contrarium facientes,ſolicitè increpat,& reprehendit,& corrigit. Et ſi inuenerint, ꝙ iuxta tenorem conſtitutionis in obſeruatione prædictorum ſe laudabiliter habeat, ipſum confortent,& honorent[ſſ],& Vicario congregationis intimè recommẽdent.Et de omnibus alijs, tam de his,quæ ſecundùm Regulam, & Conſtitutiones congregationis fieri mandantur, quàm de his, quæ fieri prohibentur,diligens erit inquiſitio faciẽda,vt quilibet,ſiue non facienda fecerit, ſiue facienda omiſerit puniatur.

1 Si quis ex fratribus aduerſus Priorem, aliquid corrigendum ſciuerit,quod tolerari non debeat,inter ſe,& ipſum Priorem cũ caritate prius,& humilitate admoneat[t].Quod ſi Prior neglexerit,aut contẽpſerit ſe emendare,Vicario congregationis,vel Viſitatoribus cum ad eandem domũ venerint viſitandam,

m ¶Vt in conſtitutionibus. c.24.
n ¶Vt ĩ ordinario. ca.36. habetur. & de cele.miſſ. c.ſanè.in Con.generali.c.ſtatuimus. de cuſto.eucar. & ex Con. Guarmatiẽ. c.presbyter. & ex Con.Arelat.c.qui bene nõ cuſtodierit.de conſe.di.2.
o ¶Vt in c.34.conſtitutionum,& in diffinitionib. ſub rub.18.
p ¶Vt ĩ c.23.cõſtit.
q ¶Vt ĩ cõſti.c.11.
r ¶Vt in c.1.conſtitutionũ. & in diffinitio. ſub rub.1.
ſ ¶Vt in cõſtitutio. c.24. & in diffini. ſuo rub.19.
ſſ ¶Arg.Greg.8.q.1. c.in ſcripturis.
t ¶A.g.in regu.& Aug.in c.ſi peccauerit. 2.q.1.ca. ſi quis erga.c.ſi qui ſunt. ca.accuſatio quoque.c.oues.c. accuſatio epõrũ. c.ſunt nõnulli. 2.q.7. & c.nouit.in prin.de iudi.ca.ſi quis epſ. de accu. c.ſcignè. 12.q.2. ex Con.Calced. c. quidã monachi. 16.q.1.ex Cõ.Rotomagẽ. c.omnes de.imæ.16.q.7.in fi. ex Cõ.Parriſiẽ. ca.de illicita. 24.q.3.

dam,notificare procuret,vel diffinitoribus capituli, ſi per prædictos correctus non fuerit. Aliter[u] enim Priores ſuos, ſubditi infamare non præſumant.

2 Rurſus quiſquis,ſiue de Priore,ſiue de fratre aliquo ſciens aliquid, quod vel in animæ eius periculum, aut ſcandalum cõgregationis emergere poſſit, ſi eum non monuerit[x], atque ſi monitus neglexerit corrigi, ſi non indicauerit,vel accuſauerit,ipſe tanquam reus talis culpæ, & criminis,pęnam ſuſtinere, quam eadem culpa exigit,cõpellatur.Solicitè quoque viſitatores inquirant[y],tam à Prioribus conuentualibus,q̃ à fratribus alijs Priorum viſitatorum veſtigia diligenter,& quomodo in congregatione Vicarius ſe habeat.Nam licèt nõ debeant inſtituta Vicarij congregationis,neq; eius correctiones immutare,vel infringere:volumus tamen, vt omne correctione dignum, quicquid per eos reformari non poterit, illud capituli ſequẽtis diffinitoribus referant[z] in ſcriptis, vt hoc Præſidens, & diffinitores capituli diligentius, corrigant, & reforment.

3 Munera[a] quidem, vel munuſcula, ſeu quodlibet aliud ab aliquo Priore,vel ſubdito ſuæ viſitationis, vel à cõuentu,ſeu ab aliqua perſona pro eis, vel per interpoſitam perſonam non recipiant, præter procurationem[b], & ſubſidium, quod dari conſueuit. Quod ſi quid receperint, receptis priuentur[c], deinde vſque ad triennium, ad omne officium cum cura animarum ineligibiles[d] permanſuri.

4 Præcepta autem viſitatorum, tam in capitulo facta, & ad inquiſitionem faciendam in viſitatione, q̃ quò ad pœnitentias iniunctas obſeruandas, firma[e], & in-

u ¶C.oues.6.q 1.argu.in ca.qualiter. & qñ. el 2. de accuſ.arg.in c.accuſatio epõrũ.2.q.7. & in ca.ſi qs ſunt. vbi datur modus examinandi accuſatores. & c.clericus ca. de calũnia to.c.2. Greg.in c. in cunctis.11.q.3. ca.clericus.5.q.4. c.ſacerdotes.6.q.1

x ¶Aug.in reg. & c. non vos iudicetis. 5.q.5. c.nõ omnis ea. cap accuſatio quoq;.in ſi.2.q.7

y ¶De ſta.reg.ca ea quę.§.ſi verò.ĩ ſi.

z ¶Vbi ſup. proxi. allegatum.

a ¶Ex Cõ.generali. c.exigit peruerſorum audacia.§.cõſtitutionẽ. de cẽſ. in 6. cap.romana. §. procurationẽ. eo.ti.& lib.præter eſculenta tũc cõſumenda. ſecundũ glo Io.And.ibid.

b ¶Arg.in Con.generali. c.procurationes. de cenſ.c. cũ venerabilis. c. ſopite.c.ſuper eo. c.venerabili. c.cũ nuper. c.cũ canonicis.eo.tit. d.ca. romana. § procurationes addito §. ſi. c.felicis.eo.tit. in 6.ex Con.Tole. c.quia c.relatum. ex Con.Tolet.4.c. inter cętera.10.q. 3.Gregor.cap.charitatem.§.viſitatores. 12.q.2.

c ¶In Conc.generali.d.cap.procurationes.§.qui autem contrauenire.& c.exigit.de cenſib.& d.c.romana. §.procurationes.in ſi.eo.tit.in6.

d ¶Arg.in d.c.exigit.§.alioquin.de cenſib.In 6.

e ¶Quia ſi vnus ædificans, & alter deſtruens,non prodeſt niſi labor.Eccleſ.c.34.

& inuiolabilia permanebunt. Ita vt ab eis nullus frater, præter Vicarium generalem congregationis, auctoritatem habeat abſoluendi[f], niſi adimpleto tenore ſententiæ, vel præcepti facti per prædictos. Contra quod pręceptum, vel ſententiã, ſi quis pertinax[g] probabiliter fuerit, pœnæ grauioris culpæ duobus menſibus ſubiacebit. Et quod dictum eſt de præceptis Viſitatorum volumus èconuerſo per Viſitatores, de præceptis Vicarij generalis, ac Præſidentis, & Diffinitorum capituli generalis noſtræ congregationis pœnitus obſeruare.

f ¶ C. inferior. diſt. 21. ca. verbum. de pœnit. diſt. 1. ca. ſi petrus. 24. q. 1.

g ¶ Ex Cõ. Milleuit. c. quiſquis. 2. q. 6. ex Con. Agat. c. cõtumaces. di. 50. ex Con. Antiochẽ. c. ſi quis presbyter. 11. q. 3. ex Cõ. Cartag. 3. c. petimus. 11. q. 1. c. quorundam. circa fi. diſt. 34. ca. cũ in eccleſiis. de ma. & obe.

5 Si autem ab huiuſmodi ſententia Vicarij generalis, Viſitatorum congregationis, vel Præſidentis, & Diffinitorum capituli, frater aliquis, Prior, vel ſubditus fratrem aliquem de facto abſoluere tentauerit, vel eidem abſolutionem ab aliquo impetrare procurauerit, niſi à ſuperiore Vicarij generalis, Viſitatorum, & Diffinitorum huiuſmodi, quia ex huiuſmodi fraude, rigor religionis conculcatur, & auctoritas maiorum deluditur, & malorum iniquitas paliatur, cuiuſcunque auctoritatis ſit frater, qui huiuſmodi abſolutionem de facto fecerit, vel faciendam procurauerit, ad omne officium cum cura animarum ineligibilis, per quinquennium permanebit.

6 Præterea ſi cõſuetudo[h] aliqua in aliquo loco noſtræ congregationis à Regula, vel Conſtitutionibus inoleuerit aliena ab illa, præcipiãt fratribus ibidem commorantibus de cætero abſtinere.

h ¶ Arg. in c. 1. & c. fi. de cõſuet. c. mala. di. 8. c. cõſuetudo. di. 12. c. cũ cõſuetudinis. eo. tit.

De libris habendis ad vſum chori. *Cap. 34.*

VNIVERSIS Prioribus noſtræ congregationis ſtrictè pręcipimus, & mandamus, vt quilibet ex eis, ſolicitè pro poſſe ſtudeat, & procuret, vt

in

in loco ſui Prioratus, ſint[a] ad minus duo Miſſalia, & vnum Epiſtolare: & duo bona Antiphonaria[b], ſcilicet Diurnum, & Nocturnum: & ordinarium[c] ſecundùm ordinem noſtrum: & Hymnarium notatum ſaltem in primo verſu. Et vnum bonum Pſalterium[d] ordinatum: & vnum Manuale, ſiue Collectarium[e] competentis voluminis, in quo ſint orationes omnium horarum, & capitula totius anni: & in tali libro, hebdomodarius in choro exiſtens, videat capitulum: & debitam, ſeu debitas orationes dicat. Item habeat duos Calices de argento[f] ad minus, & in alio Calice, quàm de argento, nullus frater ſacrificet, niſi fortè quandoque ex caſu hoc vitari ſine ſcandalo[g], non poſſit. Item vnum Lectionale[h], in quo de nocte legantur lectiones debitæ, ſecundùm Rubricam Officij, & vſum Romanæ Curiæ, iuxta quod tenet, & obſeruat noſter ordo. Item habeat Regulam[i] beati patris noſtri Auguſtini cum expoſitione Vgonis. Item Conſtitutiones, ac Diffinitiones reformatas noſtræ congregationis correctas.

1 Prior inſuper antequam officium Prioratus relinquat, vel remoueatur ab eo, libros prædictos diligenter, & ſolicitè corrigi, & punctari faciat, ad exemplar aliquod bonum, & verax. Quod Vicarius de quocunq; loco congregationis ſibi ad ſuam requiſitionem accommodari faciat, ſi alias non poteſt tale exemplar commodè inueniri. Et hæc inter cætera faciant Vicarius generalis, & Viſitatores, cum pœnitentijs arbitrarijs, à ſingulo Priore inuiolabiliter obſeruari. Pro poſſe denique ſtudeat ipſe Prior, ad commoditatem Prædicatorum habere Bibliam[K], & Hyſtorias, & Legendas Sanctorum, & ſemper ſeruentur ad commoditatem Prædicatorum, copiam librorum non habentium.

a ¶Arg ex dictis Augu.c.quæ.diſt.38.
b ¶Aug ĩ d.c.quæ.
c ¶Arg.ex Con.Bracharen.c.placuit. diſt.12.ex Cõ.Tolet.c.de his ea. ex Con.Agat.c.cõuenit.de conſe.di.5.
d ¶Arg.ex 7.Synodo.ca.omnes pſallentes.Aug.c.quæ ipſis.diſt.38.
e ¶Arg.ex Con.Tolet.c.qñ. diſt.38.
f ¶Arg.ca.vt calix. & c.vaſa. de conſ. diſt.1. de celebra. miſſ. c.ſi.
g ¶Arg. in c.ad aures.de temp. ord. Aug c.vt cõſtituerecur. in ſi.c' ſ. 50. ca. nihil prodeſt. de præſcri. c.cum ex iniuncto. §.ſup eo. de noui oper. nunc.c.aliquãtos. diſt.51. c.deniq;. diſt.4. c.ſup quodam.de ſta.reg.
h ¶Arg.Aug.c.quę ipſis.diſt.38.
i ¶Aug.in reg.in ſi. arg. in cap. nulli. diſt.38.
K ¶Arg.ex Con.Tolet.ca.ignorantia. & ex 7.Syno. d.c. omnes. diſt.38.& c.ſicut. e.ſi iuxta. ea.

l ¶Vnus ædificans, & vnus deſtruens. Eccleſiaſt.c.34.

m ¶Argu.in c.indignè.12.q.2. & ca. nõ liceat.ca.Paul. papa 2. in cõſtit. de rebus eccl.non alien.

n ¶Ex Cõ.apud Siluan.c.nulli liceat. §.alienationis verbum. de reb.eccl. non alie. ex Con. generali. ca.ſi.eo. ca. hoc conſultiſſimo.eo.tit.in 6.ca. abbatibus.12.q.2. Paulus papa 2. in conſtit.de eo.

o ¶Niſi in aliis melioribus.c.ſine exceptione . 12 q.2. ex Con. apud Siluanum. c.nulli liceat alienare . de reb.eccl.nõ alien.

p ¶ Paul.papa 2.in extrauag. de reb. eccl.§non alien.

2 Verum quia ſi vnus[l] ædificans, & alter deſtruens fuerit, non prodeſt niſi labor, neq; prudentia, & fidelitas vnius probi viri, aut plurium cum labore, & ſolicitudine ad opportunitatem vnius loci noſtræ cõgregationis inuenerit[m], alij minus fideles, & ſoliciti, negligenter, & dãnabiliter dilapident, & diſperdant, vniuerſos, ac ſingulos noſtræ congregationis fratres, tam ſubditos, q̃ ſuperiores, præſentes, & qui pro tẽpore fuerint: primo, ſecundo, & tertio monemus, eiſq; in virtute ſancti Spiritus, & ſub excõmunicationis latæ ſententiæ pœna, quam ex nunc prout ex tunc in contrafacientes ferimus in his ſcriptis, & quam eo ipſo incurrere volumus: diſtrictè pręcipiẽdo prohibemus, ne librum aliquem ad vſum chori, aut bibliotecæ conuentus deputatum, aut qui in poſterum fuerit deputatus, nec calicem, vel argẽteam crucem, aut eccleſiaſtica paramẽta, vel alia mobilia eccleſiæ pretioſa vendere, impignorare, vel quocũque alienationis[n] titulo obligare præſumat, niſi fortè habeatur prius à Vicario generali, aut à viſitatoribus licentia ſpecialis in ſcriptis, quę prius in capitulo coram fratribus legatur, vt in alijs ſimilibus, vel melioribus[o] rebus cõuertantur, id fiat, ſicut tum ſedis[p] Apoſtolicæ ſtatuto, tum & in additionibus Thomæ de Argentina Prioris generalis noſtri ordinis alias cauetur.

De pœnitentia malè tractantium, & falſificantium literas, vel ſigilla officialiũ ordinis, et congregationis noſtræ, vel alterius perſonæ, necnon priuilegia, & inſtrumenta publica. Cap.35.

NVLLVS frater noſtræ cõgregationis, ſiue ſubditus, ſiue ſuperior, literas aliquas, vel ſigilla Reuerendiſſ. patris Prioris generalis noſtri ordinis, aut Vicarij generalis, vel viſitatorum, aut Priorum

localium,

localium,vel aliorum officialium noſtræ congregationis,quod tam de literis,quæ ipſorum nomine fierent,q̃ de his,quas ad ipſos dari contingeret: intelligimus,deſtruere,aperire,occultare,aut falſificare[a] præſumat.Contrafacientes autem per menſem, pœnæ grauioris culpæ ſubiacere cogantur.

1 Qui autem de literis Reuerendiſſ. patris Prioris generalis,aut Vicarij congregationis, vt præfertur, intellectis aliquod prædictorum facere præſumpſerit,ſententiam excõicationis, eo ipſo incurrat, ſicut in additionibus Thomæ de Argentina continetur.

2 Qui autem indulgentias, priuilegia,aut inſtrumẽta publica in fauorem ordinis, aut congregationis, vel alicuius loci,ſeu fratris, aut cuiuſcunq; perſonę, conceſſa,& facta,aut regulam beati Patris noſtri Auguſtini, vel conſtitutiones, aut diffinitiones noſtræ congregationis deſtruere,falſificare, occultare, vel alienare præſumpſerit,pœnæ grauioris culpæ ſubiaceat,per tres menſes,& ad omne officiũ noſtræ congregationis per triennium permaneat ineligibilis.

3 Falſificationem intelligimus[b] demere, vel addere aliquid in literis,vel de literis,quod ſenſum,& tenorem literæ mutet in aliquo, ſeu aliquid aliud facere, contra intentionem eius, cuius in ipſis literis nomen appoſitum eſt, vel ſigillum, ſeu ſignum.

4 In pœnitentijs quoque præmiſſis,quæ de falſarijs loquuntur,vel ſimilibus,ſi opus erit,addat Vicarius congregationis, vel diffinitorium ſecundùm ꝙ ſibi delicti enormitas ſuadebit.

a ¶ Arg.in c.ad falſariorũ. de crimi. fal. & c.fi.de reſc. c.tam literis.de teſti.& atteſta.

b ¶ De fide inſtru.c. inter dilectos.

De pœnitentia percutientium, & incidẽtium in aliquem lapſum carnis, & reuelantium ſecreta capituli, vel domus. Cap. 36.

ORDINAMVS, ꝙ ſi quis frater inuentus fuerit portare,vel tenere arma[a] propter, quæ meritò

a ¶ Cle.ne in agro. de ſta.mo. ex Cõ. Tole.c.clerici.23. q.8.ex Con.Meld. c.quicunq;. ea.q. & c.ex Con Picta. ca.clerici.de vita, & honeſt.c.in audientia in fine.de ſent.excom.

tò poſſit haberi ſuſpectus, ſit ipſo facto, per ſex menſes, pœnæ carceris adiudicatus.

1 Quicunq; verò irato animo, alicui percuſſionem comminatus[b] fuerit, pœnam grauioris culpæ ſuſtinere cogatur, per quindenã, & ſi percuſſerit[c], per menſem pęnæ grauioris culpæ ſubiaceat, & ſecũda, quarta, & ſexta feria, in pane, & aqua, ſine diſpenſatione debeat ieiunare. Si verò fratrem[d] alterius ordinis, aut clericum[e], aut aliam perſonã ſæcularem percuſſerit, per duos menſes pœnæ ſubiaceat ſupradictæ, & tantum plus, quãtum Vicario congregationis videbitur expedire.

2 Si quis autem enormi læſione atrocem iniuriã in perſonam clericali priuilegio[f] decoratã hoc eſt clericum, aut religioſum, vel religioſam: conuerſum, vel commiſſum: profeſſum, vel nouitium intulerit, ſiue ratione læſionis[g], ſiue ratione dignitatis[h] offenſæ perſonæ, ſiue ratione loci[i], lęſio iure dicatur enormis, puta ſi ferro, ligno, lapide, aut alio quouis medio, ſanguinis effuſio fiat, vel alias mortalis, vel grauis alicuius mẽbri læſio inferatur, ratione verò dignitatis, intelligimus ſi in prælatum, ratione autem loci, ſi in eccleſia, vel cimiterio, vel ſacriſtia, vel dormitorio monaſterij id fiat, quouis prædictorum modorum percutiens, aut læſionem inferens, incarceretur, nec inde extrahatur, niſi prius per diffinitoriũ capituli generalis noſtræ congregationis, cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum. Infra quod tempus, ſecunda, quarta, & ſexta feria, in pane, & aqua ſine diſpenſatione ieiunet. Adijcientes, quòd ſi hoc cum ſcandalo extraneorum factũ fuerit, quòd poſtquam cum huiuſmodi de carcere fuerit diſpenſatũ, vt per quinquennium careat voce.

3 Si autem vſq; ad homicidium[k] (quod Deus auertat)

b ¶ Arg. ex Con. Bracharen. c. cum beatus. diſt. 45. ex Cõ. Agat. c. no liceat. in prin. ex quodã Con. c. quid autẽ. c. nemině. ca. licet nonnunquã. c. plerunq;. ex can. apoſtolorum. ca. epm. in ſi ca. c. præſentiũ. de cle. percuſ.

c ¶ Arg. ex Con. Agatẽ. c. ſi quis in aliquo. de cle. per cuſ. c. præterea. de eo. ca. quiſquis. in prin. c. de presbyterorũ. 17. q. 4. ca. ſi euangelica. diſ. 55. ex Cõ. Agat. c. non liceat. diſ. 86.

d ¶ Arg. c. cũ illorũ. §. q ſi clauſtrales. de ſent. excõ. c. ad eminentiã. de eo.

e ¶ C. ſi quis ſuadente. 17. q. 4.

f ¶ Arg. ex Con. Brachar. c. cũ beatus. in medio. diſt. 45. c. de monialibus. de ſent. excom. ca. non dubium. c. veniens. d. c. ad eminentiam. de eo. c. religioſo. §. quamuis. eo. tit. in 6.

g ¶ Arg. in c. ſi euangelica. di. 55. c. cũ illorũ. § q ſi clauſtrales. ver. niſi exceſſus. de ſẽ. excõ.

h ¶ Arg. in d. c. cum illorum. §. & ver. proximè allegat.

i ¶ Arg. in c. cũ procã. de ſen. excom.

k ¶ Arg. ex lib. capitulorũ. c. qui occiderit. 17. q. 4. ex Con. Magunt. ca. q presbyterũ. ex Cõ. Tribur. c. vt preſbyteri. ex eo. Cõ. c. oẽs presbyteri. & c. qui ſubdiaconum. ca. q & cã. c. miror. diſt. 50.

tat)

tat) aliquis dilaberetur, talem volumus perpetuò carcerari, & ter in hebdomoda, panis, & aqua eidem ſolùm adminiſtretur.

4 Quod ſi aliquis ad tantam ſæuitiam animi, & perturbationem venerit, quòd vltra[l] ter diuerſis temporibus, in fratrem manus iniecerit temerè violentas, etiam abſque membri læſione, & ſanguinis effuſione notabili, portata pœnitentia ſecundùm grauitatem, & differentiam percuſſionum in capitulo iſto poſita, hæc ſuperaddatur, quòd ad omne officium congregationis ineligibilis permanebit, niſi fuerit cum eo per capitulum congregationis diſpenſatum. Nihilominus aggrauetur tranſgredientium pœna, magis ſecundùm exigentiam demeritorum.

5 Item quicunq; frater in ſuum Priorem[m], vel Prælatum manus iniecerit temerè violentas, præter pœnam excommunicationis, quam talis ipſo facto incurrit, à qua etiam per nullum, niſi auctoritate apoſtolica, poteſt abſolui, etiam voce perpetuò ſit priuatus, & ex conſequenti ſit inhabilis ad omne officium, quod curam animarum habet annexã. Quam etiam diffinitionem ad ordinatores[n], & complices percuſſionis, & iniectionis violentarum manuum, volumus extendi.

6 Si qui verò reperiuntur vitio[o] indicibili maculati confeſſi coram fide dignis, vel conuicti, duobus menſibus incarcerentur: & ſecundis, quartis, & ſextis ferijs in pane, & aqua ieiunent, & poſtmodum licentientur de congregatione[p].

7 Qui autem in fornicatione[q], aut adulterio deprehenſus fuerit, vel conuictus incarceretur, nec inde extrahatur, ſine generalis Vicarij licentia ſpeciali, & poſtmodum de congregatione licentietur.

Si

l ¶Arg. ex Cõ. Agat. c. ſi quis i aliquo. de cle. percuſ.

m ¶D. ca. cũ illorũ. §. qui ſi clauſtrales. & ĩ extrauag. Pau. papa 2. & Sixti papæ 4. de caſibus reſeruatis.

n ¶Arg. ex Con. Calced. c. ſi clerici. 11 q. 1. ex Cõ. Tolet. c. ſi clerici, aut monachi. ex Con. Aurel. ca. ſi qui clericorum. & c. cõſpirationum. ead. q. & cauſa.

o ¶Arg. Aug. c. adulterii. 32. q. 7. Aug. c. flagitia. Aug. c. vſus naturalis. Ambro. cap. offerebat Loth. ea. q. & cã.

p ¶Arg. à maiori. ex Con. Tribur. c. impudicas. & cap. ſi quis ſacro. §. item in epiſtol. 27. q. 1.

q ¶Ex 6. Sino. Aurelia. ca. ſi quis. diſt. 81. & per decem cap. ſeq. ex Conc. Gangre. c. presbyter. di. 82. ex Con. Calcedo. c. ſi qua virgo. & ca. ſi qua monacharũ. in fi. c. & quia aliquos. 27. q. 1. ex Conci. Neoce. ca. presbyter. diſt. 28.

8 Si quis in peccatum carnis extra locũ lapſus fuerit, frater, qui cum eo eſt, ſtudeat Priori exceſſum eius corrigendum, quam citius intimare[r]. Si verò huiuſmodi peccatum occultum[ſ] fuerit, inquiſitione diſcreta ſecundùm tempus, & perſonam, condigna imponatur pœnitentia. Si autẽ manifeſtum[t] fuerit, correctus ſecundùm prætaxatam pœnitentiam de fornicatione, de congregatione licentietur.

9 Si quis frater, ſiue conuerſus ſecretum cuiuſcunque capituli, ſeu etiam domus noſtræ congregationis alicui extraneo, ſcienter ex deliberatione reuelauerit[u], pœnam grauioris culpæ, per menſem vnũ, continuè pro qualibet vice, ſuſtinere ſine diſpenſatione aliqua compellatur, & voce careat per triennium, etiam ſi per eum, dicta pœnitentia fuerit adimpleta.

10 Secretum verò capituli, ſeu domus intelligimus cauſas infamatorias, abſolutionem cuiuſcunq; Prioris, vel correctionem eiuſdẽ, aut fratris alicuius crimen, ſiue omne aliud, vnde congregatio noſtra turbari poſſit, vel infamari. Secretum etiã dicimus quicquid generalis Vicarius, aut diffinitores, viſitatores, ſeu conuentualis Prior, præcipit haberi ſecretum.

11 Extraneos autẽ dicimus, quotquot non ſunt noſtræ congregationis, & ſub debita obedientia noſtri Vicarij generalis. Sacerdos verò, qui tanta fuerit fraude diabolica obcæcatus, ꝙ ex alicuius confeſſione ſibi facta in foro confeſſionis, præſumpſerit aliquid aliquo modo reuelare, ſi de huiuſmodi ſcelere ſit conuictus, ſtatim pœnæ carceris mancipetur, & niſi per diffinitorium nullatenus extrahatur, & auctoritate audiendi confeſſiones, eo ipſo ſit priuatus, donec ab habente auctoritatem diſpenſandi meruerit vberiorem gratiam obtinere.

r ¶ Aug. in reg. c. nõ vos iudicetis. 5. q. 5. arg. Aug. ca. non omnis. Ambr. c. nõ oſculatur. & c. qui ambulat. §. ſed aliud eſt. ea. cauſa. & q. & c. qui cum fure. de furt.

ſ ¶ Augu. in reg. & idem Aug. in ca. ſi peccauerit. 2. q. 1. Ambr. c. ſi quis poteſtatẽ. 23. q. 4. ca. presbyter. 15. q. 5.

t ¶ Aug. in reg. & in decret. proxi. allegat.

u ¶ Arg. ex Con. Cartag. 4 ca. clericus. el 1. diſt. 46. Aug. cap. ſi peccauerit. poſt prin. 2. q. 1.

De

De pœnitentia falſi teſtis, & eum introducentis, & mittentis literas infamatorias ſine nomine ſuo. Cap. 37.

LIcet via malignantium, & iniquitas peruerſorum, nulla poſſit lege, ſeu mãdato præcludi[a], tamen ad hoc quantum in nobis eſt, debemus ſolicitè vigilare.

a ¶ Arg. in ca. exigit peruerſorũ audacia. in prin. de cẽſib. in 6.

1 Igitur, ſtatuimus, & ordinamus, & omnes, & ſingulos fratres congregationis noſtræ, primo, ſecundo, & tertio inducimus, & monemus, & eiſdem ſtrictè præcipimus per obedientiam ſalutarem, & ſub excommunicationis pœna, vt nullus ex eis fratrem aliquem de falſo[b] coram aliquo prælato, ſeu officiali ordinis, ſeu quouis alio Principe, Iudice, vel Prælato accuſet, vel falſum teſtimonium cõtra aliquem reddat, vel falſum teſtem[c] det, ſeu inducat, vel dari faciat. Quod ſi quis tantæ peruerſitatis, & ſuggeſtione diabolica fuerit obcæcatus, quòd contra hoc præſens noſtrum præceptum præſumpſerit modo aliquo ire, vel illud contempſerit obſeruare, trina monitione canonica præmiſſa ex nunc, prout ex tũc in his ſcriptis eum vinculo excommunicationis innodamus. Addentes inſuper, ꝙ quicunque fuerit de tali temeritate, & præuaricatione conuictus, vt per ſex menſes pœnæ carceris in compedibus mancipetur, & ſecunda, quarta, & ſexta feria pane, & aqua tantum reficiatur. Et voce, & officio prædicationis, ſi prædicator fuerit, in perpetuum careat, niſi cum eo per duo Diffinitoria noſtræ congregationis fuerit diſpenſatum.

b ¶ Arg. ex Con. Cartag. 4. c. accuſatores. diſt. 46.

c ¶ Arg. in c. vnicuique. §. ſic quoq;. & c. abiit. 11. q. 3.

2 Item ſub tenore eiuſdem præcepti, & cenſuris, ac pœnis diſtrictè prohibemus, ne quis frater noſtræ congregationis literas infamatorias[d], aut per quas poſſit ordo, ſiue cõgregatio noſtra, vel aliquis frater ordinis infamari, vel ipſius ſecreta, aut alicuius fratris

d ¶ In Conc. Eliberitan. c. ſi qui inuenti. 5. q. 1. & §. ſi qs famoſum. eo. ca. & c. quidã maligni. & cã. qui in alterius. ea. q. & ca.

tris ſciri, alicui perſonę illis dumtaxat ſuperioribus exceptis, ad quos correctio illorum de quibus ſcriberet, pertineret, mittat, aut mitti faciat, vel procuret, aut conſentiat. Neque per ritmos, vel cãtilenas, aut quaſuis cedulas, vel libellos, aut deſcriptiones in quouis loco, etiam in parietibus deſignatas, aliquem diffamet. Si quis aliquo modo contrafecerit, eo ipſo, excommunicationis vinculo, quam ex nũc ferimus in his ſcriptis, ſit aſtrictus, & per tres menſes pœnæ ſubiaceat culpæ grauioris. Et nihilominus poſtquam per eum talis pœnitentia fuerit ſine diminutione adimpleta, voce careat per annum, & ſexta feria ſuper nudam terram ſedens, in pane, & aqua ieiunet, & à Priore loci recipiat diſciplinam.

3 Prohibemus inſuper, ne quis frater noſtræ congregationis ſuperior, aut ſubditus, literas aliquas, in quibus nomen[e] ſuum, & cognomen, aut ſaltẽ patriæ, aut loci ſuæ natiuitatis denominatio non ſint, lucidè, & clarè deſcripta, mittat, aut mitti faciat, vel procuret, aut conſentiat. Contrafacientes per ſuperiorem ſuum puniantur. Quod ſi abſque ſpeciali ſui ſuperioris licentia id fecerint, actiua paſſiuaq; voce, ſint priuati per annum.

e ¶Arg. I §. ad hoc. 29. q. 1.

4 Mandamus inſuper, & diſtrictè prohibemus omnibus, & ſingulis ſacerdotibus noſtræ congregationis, ne aliquem à ſententijs in præſenti capitulo latis, aut ab aliqua alia eccleſiaſtica cenſura, vel ſentẽtia in Cõſtitutionibus, aut Diffinitionibus, vel à Diffinitorio capituli, aut à Vicario generali, vel Viſitatoribus noſtræ congregationis latis, excepto mortis articulo, præſumant abſoluere[f], abſque Diffinitorij, aut Vicarij generalis licentia ſpeciali. A ſententijs tamen quas Viſitatores fortè tuliſſent, ijdem etiam Viſitatores abſoluere ſimiliter poterũt[g], & abſoluendi

f ¶ Arg. c. inferior. diſt. 21.

g ¶Arg. Ambro. ca. verbum. de pœn. diſt. 1. c. ſi petrus. 24. q. 1.

ſoluendi alijs committere facultatem. Quicunque verò contrafacerit per duos menſes pœnæ ſubiaceat culpæ grauioris.

De pœnitentia qua proprietarij puniuntur. *Cap. 38.*

REm vllam, recipere[a], dare, vendere[b], emere, ſiue alienare, vel impignorare nulli liceat ſine licentia ſui Prioris. Quod ſi quis contrafecerit, octo dies infra menſem in pane, & aqua ieiunet, ſine diſpenſatione.

1 Si quis autem proprietarius[c] eſſe cõuincatur, aut furtum[d] notabile commiſiſſe, per duos menſes pœnæ grauioris culpæ ſubiaceat, & deinde licentietur de congregatione.

2 Præterea ſi quis exigentibus ſuis demeritis fuerit in vinculis poſitus, aut carceri mãcipatus, & aliquis de fratribus noſtris quicunq; ſit ille ad fugiendum eum, vel inde extrahendum per ſe, vel per interpoſitam perſonam, eidem dederit[e] vllo modo, vel ingenio, conſilium, auxilium, vel fauorem, ipſe talis in eadem[f] pœna ponatur. Et idem iudicium in cuſtodibus captiuorum, ſi per eorum negligentiam fugerint, obſeruetur. Fugiens autẽ de carcere, vel de alia pœna, pro culpis ſuis obnoxius exiſtens de cõgregatione exiens, ſi poſtmodum redierit, vel capi poterit, pœnis in quibus fuerat, ſubiacere cogatur.

3 Incarcerati autem habitu careant profeſſorum, quamdiu fuerint in carcere vinculati.

Quomodo apoſtatæ recipiantur, & de pœnitentia eorum.
Cap. 39.

CVm doctrina apoſtolica ſuadente quilibet in uocatione, qua ad cultũ diuini officij vocatus eſt debeat immobilis permanere[a]: ſtatuimus, & ordinamus,

a ¶Aug. in reg. & c. nõ dicatis. 12. q. 1

b ¶Aug. ĩ reg. & d. c. non dicatis.

c ¶Aug. in reg. & argu. Augu. c. nolo. Aug. ca. exemplũ. Aug. d. c. nõ dicatis. 12. q. 1. ex Cõ. Later. c. monachi. §. qui verò peculium. de ſta. reg. c. cum ad monaſterium. §. prohibemus. & §. fi. & ca. ſup quodã. de eo.

d ¶Aug. c. pœnale. 24. q. 5. Hiero. ca. furtum. 14. q. 6. c. vulgaris. de pęni. diſt. 1. c. ſi quis ꝓpter neceſſitatẽ. de furt.

e ¶Arg. Greg. in ca. fraternitas. de pœnit. diſt. 1. c. ſi. 10. q. 2. Hiero. ca. qui cum fure. de furt. c. ex literis. de eo. ex cano. apoſtolorum. c. presbyter. diſt. 81.

f ¶Arg. c. ſi qs clericus. 17. q. 4. ca. pecunia. cap. ſi quis fortè. c. qui rapit. ea. q. & cauſa.

a ¶Ex Con. Calced. ca. eos qui ſemel. 20. q. 3. c. propoſitum monachi. ca. pręſens §. ſi verò. ea. q. & ca. ex Cõ. Aurel. c. vidua. 27 q. 1. c. ſi cuſtos. c. vidua. quidẽ. ea. ex Con. Tolet. 4. c. monacum. c. ſicut qui. ex Cõ. Tribu. c. quem progenitores. 20. q. 1. cap. quod interrogaſti. diſt. 27.

dinamus, ac præcipimus, vt nullus frater in noſtra congregatione profeſſus abſque capituli, aut Vicarij generalis eiuſdem congregationis licentia[aa] in ſcriptis habita ipſam congregationem exeat, ſiue ab ipſa recedat. Si autem fratrem aliquem, ſine licentia prædicto modo habita, ab ipſa congregatione recedere contingat, illum ex nunc prout ex tunc, & è conuerſo: primo, ſecundo, & tertio monemus, inducimus, & hortamur, ac per ſalutarem obedientiam, & in virtute ſancti Spiritus, ac ſub excommunicationis[b] pœna præcipimus, vt per totam diem naturalē, qua à prædicta congregatione abſque licentia huiuſmodi recedere præſumpſerit, cuius diei, octo primas horas pro prima, & octo ſecundas, pro ſecūda, & octo tertias, pro tertia monitione canonica, ac peremptorio termino ex nunc prout ex tunc, & è conuerſo aſſignamus in his ſcriptis, ad eandem congregationem redeat. Quod ſi facere contēpſerit, ſcientes ipſum contumacem, & à congregatione noſtra apoſtatam, vigore indulti apoſtolici, eum ex nunc prout ex tunc (licèt inuiti) vinculo excommunicationis innodamus.

aa ¶ Arg. in c. ſtatuimus. 19. q. 3.

b ¶ Arg. ex Con. Tolet. 7. c. proclinis. 20. q. 3. ca. ne religioſi. de regu. c. 1. 23. q. 1. ex Cō. Calced. ca. quidā monachi. 16. q. 1. ca. tuæ fraternitati. de apoſta. ex Con. Toleta. 10. ca. ſi in qualibet. in fi. 20. q. 2.

1 Si autem contingat aliquem à noſtra congregatione apoſtatare, perpetrato aliquo delicto, ꝓpter quod à congregatione noſtra, iuxta eiuſdem congregationis inſtituta, veniat abradendus, ſi ad pœnitentiam, & ad congregationem redire voluerit, recipiatur quidem ad pœnitentiam, quæ pro delicto huiuſmodi taxatur. Qua expleta à noſtra congregatione licentietur.

2 Si autem aliquis apoſtaſia ſimplici, abſq; alterius delicti notabilis perpetratione, ab ipſa cōgregatione receſſerit, rediēs ad congregationē recipiatur[bb], ac etiā nolens ſi cōmodè capi poterit carceri[c] mancipetur,

bb ¶ C. tuæ fraternitati. de apoſt.

c ¶ Arg. ĩ c. à nobis. de apoſta. Greg. c. ſi cuſtos. & c. ſi homo eſſes. 27. q. 1. ex Con. Tribur. c. impudicas. ead. q. & cā. ex Con Brachar. c. cū beatus. in fi. di. 45. ex Cō. Aurel. ca. abbates. in fi. 18. q. 2. c. ſi ĩ qualibet. 20. q. 2. ca. ne religioſi. de regu. & ſpecialius ĩ priuilegiis ordinis, & congregationis.

cipetur, arbitrio capituli, aut Reuerendi patris Vicarij generalis noſtræ congregationis, & non aliter extrahendus.

3 Modus[d] autem receptionis, talis erit. Nam ſi fuerit in habitu ſæculari, aut alterius ordinis, illegitimè aſſumpto, ſuperior ipſum recipiens, exuet eum habitu huiuſmodi peregrino in hoſtio capituli. Et indutus tunica, & cingulo, ita quòd vſque ad cingulum deſuper nudus remaneat, cum virgis in manibus, ad medium capituli veniens, ante pedes ſuperioris ſe proſternens dicat. Meam culpam. Deinde ad mandatum ſuperioris ſurgens tranſgreſſionem ſuam humiliter, & ſimpliciter confiteatur, & tunc vapulet, primo ad pedes ſuperioris, deinde vtriuſque lateris ſeſſorum. Poſtea verò (vt ſupra diffinitum eſt) de ipſo diſponatur, iuxta apoſtaſiæ ſuæ qualitatem, ac forſan perpetrati delicti enormitatem.

d¶ Arg. in d. c. ne religioſi. ver. ſalua ordinis diſciplina. de regula.

Quæ ſit leuis culpa. *Cap. 40.*

LEvis culpa eſt, ſi quis, mox vt ſignum datum fuerit, non relictis omnibus, ad eccleſiam ordinatè venerit. Si quis in choro malè legendo, vel cantando offendens, non ſtatim ſe humilians terram manu tetigerit, & ſurgens pectus ſuum percuſſerit. Si quis diuino non intentus officio, vagis oculis, & motu irreligioſo, læuitatem oſtenderit. Si quis in eccleſia, vel dormitorio, vel cellis, aliquid inquietudinis fecerit. Si quis lectionem, vel cantũ, ſtatuto tempore, non præuiderit. Si quis aliud cantare, vel legere præſumpſerit, quàm quòd communis vſus habuerit. Si quis in cameris diſcoperto capite, ſteterit. Si quis diſſolutè ridens, cachinnis, ludis, dictis, vel factis, alios ad ridendum concitauerit.

Si quis oculos vagos per plateas, vel villas eundo, ad vanitates direxerit. Si in vigilia Annunciationis, Natalis domini, in principio capituli, per negligentiam non fuerit pronunciatis Redemptoris noſtri primordijs, dicendo Deo gratias. ſe in terra nō proſtrauerit. Si quis de conuentu vadens, aut rediens, benedictionem accipere oblitus fuerit. Si quis ad lectionem in choro dormierit. Si quis alterius, vel eccleſiæ ornamenta, negligenter tractauerit. Si quis veſtes ei conceſſas, diruptas, non reſarcierit. Si quis aliquid vtenſilium fregerit, vel perdiderit. Si quis cibum, vel potum effuderit, vel ſine benedictione ſumpſerit. Si liber in quo legendum eſt, cuiuſquam neglectu defuerit. Si quis in conuentu, vel ad capitulum, ſeu ad collationem, vel ad communem refectionem, non interfuerit. Si quis aliquem à quo clamatus fuerit, eodem die quaſi ſe vindicando, accuſare[a] præſumpſerit. Si quis cum iuramento aliquid negauerit, uel affirmauerit. Si quis turpem ſermonem, uel uaniloquium dixerit. Si quis eorum, qui in officijs deputati ſunt, in aliquo negligens repertus fuerit.

a ¶Arg. in c. neganda eſt accuſatio. 5. q. 2.

1 Pro ſupradictis, iniungitur pſalmus. Miſerere. cum diſciplina, uel amplius ſi Priori uidebitur expedire. Huic pœnæ ſubiacebit, qui ſilentium fregerit, uel pro uictu, aut ueſtitu, ſeu aliqua re murmurauerit.

Quæ ſit grauis culpa. Cap. 41.

GRAVIS culpa eſt, ſi quis inhoneſtæ, in audientia ſæcularium, cum aliquo ſæculari, uel fratre contenderit[a]. Si frater cum fratre intus, uel foris, lites habuerit. Si quis alicui fratri, uel ſæculari, opprobrium[b] dixerit, uel dixiſſe deprehēſus fuerit. Si

a ¶Arg. in c. hoc habet. §. ecce. di. 46. c. perlatis. diſt. 90. ex 8. Syno. c. ſi qs monacus. c. Greg. c. conſuetudo. 16. q. 6.

b ¶Arg. ex Con. Cartagin. 4. c. clericus maledicus. diſ. 46.

Si quis fratri præteritam culpam, pro qua ſatisfecit, improperauerit[c]. Si quis ſilentium non tenere in conſuetudinem [d]duxerit. Si quis in cameris priuatis, ipſum ſilentium fregerit. Si quis culpam ſuam, vel aliorum, ſedendo defenderit. Si quis inter fratres, diſcordiam[e] ſeminauerit. Si quis clamans, in clamatione ſua, iurgium[f] fecerit. Si quis in illum, à quo clamatus eſt, vel in quemlibet alium minas, vel maledicta[g], ſeu verba inordinata, & irreligioſa, protuliſſe, deprehenſus fuerit. Si quis malè[h] de fratribus, vel Prioribus, ſeu conuentualibus ſuis, malitioſè euomerit, quæ teſtimonio fratrum ſuorum, probare nequiuerit. Si quis procedens vbi fœminæ ſunt, oculum fixerit[i], ſi tamen hoc in vſu non habuerit, vel cum fœmina ſolus, non de confeſſione locutus fuerit, niſi breuiter interrogans, vel interrogatus reſponderit. Si quis ieiunia[k], ab eccleſia inſtituta fregerit.

2 Pro huiuſmodi culpis, & his ſimilibus, veniam petentibus, & non clamatis, tres diſciplinæ dentur in capitulo, & tres dies in pane, & aqua ieiunet. Clamatis verò vna dies, & vna diſciplina addatur, & præter hæc, ſecundùm quòd diſcretioni Prioris viſum fuerit, pro qualitate culparum iniungatur plus, & minus. Eadem pœna digni ſunt, qui poſtquam ali quo miſſi fuerint, in contemptum[l] obedientiæ ſine licentia, ante terminum reuerti præſumpſerint, vel vltra terminum ſibi aſſignatùm, moram fecerint.

Quæ ſit grauior culpa. *Cap. 42.*

GRAVIOR culpa eſt, ſi quis per contumaciã[a], vel manifeſtam rebellionem, Priori ſuo, per

c ¶ Arg. c. ſi illic. 23. q. 4. cap diuina. in fi. de pœni. diſt. 4. c. ethemium. § notandum. 2. q. 3.

d ¶ Arg. in c. tanto. de conſuet. ca. mala. 8. di. c. conſuetudo. diſt. 12.

e ¶ Arg. ex Con. Cartag. 4. c. ſeditionarios. diſ. 46. ex eo. Con. c. diſcordantes. & ex eo. c. diſſidentes. diſt. 90. ex eo. Con. c. oblationes. ex Con. Agat. ca placuit. ea. ſi quis contriſtatus. & c. neque ad Cain. ead. diſt.

f ¶ Argum. ex Con. Tolet. 11. ca. in loco. 5. q. 4.

g ¶ Arg. ex Con. Cartagin. 4. d. cap. clericus maledicus. diſt. 46.

h ¶ Arg. ex Con. Cartagin. 4. cap. accuſatores. diſt. 46.

i ¶ Aug. in regula & in cap. nec ſolo. 32. q. 5. Grego. ca. qui viderit. ea. ca. non ſolum. 32. q. 7. c. hinc, & enim. § ponderoſus. diſtin. 49. Augu. c. ſi cui. de pœn. di. 2.

k ¶ Argu. in ca. præceptis. diſt. 12. cap. ſcit ſancta. ea. ex Con. Caroli Imperat. c. in memoriam. diſt. 19. Auguſt. ca. in canonicis Greg. cap nulli faſ. c. enimuerò. c. ſic omnes. ea.

l ¶ Arg ex Con. Antiochen c. ſi quis presbyter. 7. q. 1. ex Con. Agat. c. contumaces. diſt. 50. ex Con. Cartag. 4 c. ſi quis presbyter. 11. q. 3. c. quorundam. in fi. diſt. 34. ex Con. Cartag 4. c. petimus. 11. q. 1.

a ¶ Arg. ex Con. Milleuit. c. quiſquis. 2. q. 6. ex Con. Agat. c. contumaces. diſt. 50. c. quorundam. diſt. 34.

diem integrum inobediens extiterit, vel cum eoj intus, vel foris, proteruæ, ideſt peruerſæ, perſiſtens in ſua duritia, ſaltem per diem, non acquieſcens veritati, poſtpoſita omni reuerentia, & paternali timore, quaſi de pari contendere auſus fuerit. Si quis mortale peccatum, manifeſtè commiſerit. Si quis procurauerit[b], quòd ipſe, vel alius, ab obedientia Vicarij congregationis recedat. Si quis rem ſibi collatam celauerit. Quod beatus Auguſtinus dicit, furti[c] iudicio eſſe damnandum.

b ¶ Arg. ex Con. Tolet. 7. c. proclinus. 20. q. 3. ex Cō. Calced. c. eos qui. ca. propoſitum. ea. q. & cauſa.

c ¶ Augu. in regula. Aug. c. ſi ꝓpterea. de pœni. diſt. 1. ex Con. Tribur. c. fures. in text. & glo. prima. de furt.

1 Si quis pro huiuſmodi clamatus, conuictus fuerit, ſpontè ſurgat, & crimen ſuum publicè confiteatur, & denudatus cucula, vapulet quantum Priori videbitur expedire, ad pedes ſingulorum in capitulo, primo Prioris, deinde vtriuſq; lateris ſeſſorum, & ſit omnium nouiſſimus in cōuentu. In refectorio, & ad communem menſam cum cæteris nō ſedebit, ſed in medio refectorij in terram ſedens ſuper nudam tabulam comedet, & prouidebitur ei groſſior panis, & potus aquæ, niſi Prior ei per miſericordiam aliquid impendat. Nec reliquiæ prandij eius, cum alijs admiſceantur. Ad canonicas horas, & ad gratias poſt refectionem ante hoſtium eccleſiæ tranſeuntibus fratribus iaceat, dum intrant, & exeunt. Nullus itaque audeat ſe coniungere illi, vel aliquid mandare. Prior tamen ne in deſperationem[d] poſſet labi, mittat ad eum ſeniores[e], qui commoneāt eum ad pœnitentiam, hortentur ad patientiam, & ſatiſfactionem. Et ſi viderint in eo cordis humilitatem, tunc totus conuentus roget pro eo, & non renuat Prior cum eo facere miſericordiam. Et ſi videbitur, denuò vapulet ad pedes ſingulorum primo Prioris, deinde vtriuſq; lateris ſeſſorum. Talis enim, quamdiu erit in hac pœnitentia non communicet, nec ve-

d ¶ Arg. Hiero. c. recedite. diſt. 45.

e ¶ Non tam ætate, quàm ſapiētia. vt exponitur. c. porrò. diſt. 84. & c. de quibus. diſt. 20.

niat

niat ad oſculum pacis, nec vocetur, nec ſcribatur ad aliquod officium in eccleſia, licèt ad officium ſtare poſſit, nec vlla ei niſi ſeruitutis committatur obedientia, nec habitum religionis portet, ante plenariam ſatisfactionem. Si fuerit ſacerdos, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel prædicator, his officijs non fungatur, niſi poſtmodum religioſè[f] fuerit conuerſatus.

2 Si quis per conſpirationem[g], vel coniurationem, vel malitioſam concordiam, aduerſus Priorem ſuum, manifeſtè ſe erexerit, modo ſupradicto pœniteat, & vocem in capitulo non habeat, donec per capitulum congregationis cum eo fuerit diſpenſatum.

3 Quicunque verò pœnitentiam grauioris culpæ portat, iuxta ordinis inſtituta, donec pœnitentiam ipſam compleat, à prima die, vſque ad vltimam habitu careat profeſſorum.

4 Fratres, qui in medio refectorio, ſuper nudam tabulam in terra ad manducandum ſedere debent, ita de ſero ſicut de mane, quando conuentus in die bis reficitur, ſedeant.

f ¶ Arg. in c. quia diligentia. de elect.

g ¶ Arg. ex Con. Calced. c. ſi qui clerici. 11. q. 1. ex Cõ. Tolet. c. ſi clerici, aut monaci. ex Cõ. Calced. c. coniurationũ. & c. ſtatuimus. c. cõſpirationum ea. cã. ca. conſpiratores. 3. q. 4.

Quæ ſit grauiſſima culpa. Cap. 43.

GRAVISSIMA culpa eſt, incorrigibilitas illius, qui nec culpas timet committere, & pœnas ferre recuſat. De quo dicitur in regula, vt ſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur. Secundùm etiam Apoſtolum. Qui hominem hæreticum poſt trinam admonitionem adhibitam, incorrigibilitate patefacta deuitari iubet, tanquam peccantem peccatum ad mortem, quoniam ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt.

Hic

a ¶ Aug. in regul. & c. relatum. ne cle. vel mona. ca. cum in eccleſiis, in fi. de maio. & obed.

1 Hic quidem licentiandus a eſt de congregatione, & ad Reuerendiſſimum patrem Priorem generalem cum literis tranſmittendus, alibi collocandus.

Finis Conſtitutionum.

DEFINITIONES

[illegible]

PROOEMIUM

[illegible]

Digitized by Google

DIFFINITIONES

REFORMATAE CONGREGATIO-nis Obſeruantiæ Lombardiæ vulgariter nuncupatę, ordinis fratrum Eremi-tarum S.Auguſtini.

PROOEMIVM.

SICVT poſt illud naturale[a] dictamen, quod ſcriptum eſt in cordibus hominum, non ſolùm decalogi præcepta, verumetiam immutatæ, cum venit plenitudo temporis, iudiciorum, ac cerimoniarum leges, ad coercendā[b] humanæ temeritatis audaciam Dei pręcepto ſcripta ſunt, & poſt euangelicæ legis ſummā, quæ omni homini ſufficeret ad ſalutem, etiam apoſtolorum dogmata[c]. Conciliorum[d] decreta, ac ſummorum pontificum ſanctiones, & ſtatuta plurima[e], homines per modum iuriſditionis, ad ſalutem impellentia, facta ſunt, ac noua indies etiam nonnunquam Prioribus oppoſita[f] ſalubriter fiunt. Sic in ſpeciali reelecto ſtatu religionis, poſt regularium votorum profeſſionem, ordinis, & ſubinde reformatę congregationis. Conſtitutiones, ac ſtatuta edita, aliæque nihilominus in capitulis generalibus Diffinitiones eiuſdem profeſſionis vota, & regulæ mentem ſpecialius, & clarius exponentes, & conſeruare ſatagentes inuentæ ſunt. Verum, quia lex clara[g] eſſe debet, poſſibilis, vtilis, loco, temporiq; conueniens, non debet[h] reprehenſibile iudicari, ſi ſecundùm varietates temporum ſtatuta, quoque mutentur[i] humana.

a ¶Ca. ius naturale. & c. 1 diſt. 1. i tex. & glo. magna.

b ¶Ca. factæ ſunt leges. ca. erit autem lex. diſt. 4. ca. non fruſtra. & ca. ad fidem. 23. q. 5.

c ¶Augu. c. apoſtolus. diſt. 81. ex cano. apoſtolorū. c. presbyter. ead. ex Con. Gangren. ca. presbyter. diſt. 82. ca. ſint manifeſtæ. 12. q. 1.

d ¶C. canones. diſt. 15. & per totū ferè decreto. librū. & extra.

e ¶Argu. diſt. 7. per totum.

f ¶Arg. in cap. quia ſancta. §. verum. in fi. diſt. 63. ca. 1. de conſtit. in 6.

g ¶In c. erit autem lex. diſt. 4.

h ¶De conſang. ca. non debet.

i ¶Ex Con. apud Merech. c. priſcis. 10. q. 3. ex Con. Tole. c. vnio. ea. c. catolica. diſt. 11.

1 Ea propter omnium capitulorum generaliũ noſtræ congregationis Diffinitiones, licèt iuxta temporum, & caſuum exigentiam, annis fermè ſeptuaginta prouidè[k] ſatis, & conſultè editas, confuſas im primis, & abſque alicuius continuationis ordine in capitularibus ipſis inſpicientes, deſuetudine[l] præterea, ac nouarum compilatione oppoſitarum, plures abrogatas, quaſdam verò ſæpius diuerſo ſtilo replicatas, alias rurſus ea quæ tum in Regula, tum in Conſtitutionibus habentur, nimia prolixitate retexentes, nonnullas etiam declaratione indigentes agnouimus.

k ¶Arg. in c. hoc ipſum. 33. q. 2.

l ¶Arg. in cap. fi. de conſuetu.

2 Quare fratrum noſtrorum ſaluti, ex crediti nobis officij debito[m], conſulentes medium inter vtrũque eligentes, tum abolitas, & replicatas omittendo, tum obſcuras exponendo, plerunque etiam, pro ſubiectæ materiæ exigentia, plures ex vna, nonnunquam verò, ex pluribus vnam conflantes, nonnullas in libro Conſtitutionum inſerentes, cæteras ſub certis rubricis, ad clarum, non tam temporũ, quàm ſubiectæ materiæ ordinem redactas, in vnum colligentes, eas retractare, declarare, moderari, ac reformare[n] curauimus, ſacrorum conciliorum, & canonum concordantias, ac Sanctorum patrum decreta, pro potiori roboris argumento in marginibus connotantes: volentes, ac etiam decernentes, quòd hac tantum Diffinitionum compilatione, vnà cum Regula, & Conſtitutionibus reformatis fratres noſtræ congregationis vtantur, & eaſdem, ſub pœnis in eis contentis obſeruent.

m ¶Argu. ex regula Augu. & c. cum ad monaſteriũ. §. abbas. de ſta. reg.

n ¶Arg. in ca. leges. 2. q. 6.

DE

INDEX RVBRICARVM DIFFINITIONVM.

DE modo, & hora, ac cerimonijs celebrationis diuinorum officiorum. Rubrica 1.
De officio fratrum illiteratorum, et quorumlibet conuerſorum, ac operibus ipſorum. Rub. 2.
De fratribus à noſtra congregatione extraneis, & ab eadem licentiatis, & alias egreſſis, in illa nunquã recipiendis. Rub. 3.
De ætate, & qualitate: modo, & locis ad ordinẽ, & ad profeſſionem recipiẽdorũ, ac ad ſacros ordines promouẽdorũ. Rub. 4.
Quomodo fratres ad audientiam confeſſionum, & ad prædicandum promoueantur. Rub. 5.
Quomodo prædicatores ad prædicandum mittantur, & ad ſua loca reducantur. Rub. 6.
De literis miſſiuis fratrũ, et ab alijs recipiẽdis, et pcuratis. Ru. 7.
De cibis, ieiunijs, & abſtinẽtijs fratrũ, ac lectione mẽſæ. Rub. 8.
De rebus ad vſum fratrũ cõcedẽdis, et modo tenẽdi eas. Rub. 9.
Quomodo noua loca acceptari, ac ædificia fieri, & capellæ concedi debeant. Rub. 10.
Quomodo eligatur Procurator cõgregationis in curia Romana, & de officio, & auctoritate ipſius. Rub. 11.
Quomodo fratres extra mitti debeant, & ad loca ſua pergere non differant. Rub. 12.
Quomodo hoſpites tam extranei, quàm noſtræ congregationis fratres ad loca noſtra venientes, recipiantur. Rub. 13.
Q̃uo fratres noſtræ congr. ſtudio literarũ ĩtẽdere debeãt. Ru. 14.
De moribus componendis, & modeſtia fratrum. Rub. 15.
De modo celebratiõis capituli generalis noſtræ cõgreg. Rub. 16.
De officio, & auctoritate Reuerendi patris Vicarij generalis, ſocij ſui, ac patrum Viſitatorum noſtræ congregationis. Rub. 17.
De officio, et auctoritate Prioris localis, et Vicarij ipſius. Ru. 18.
De cura, & regimine monialiũ, mantellatarũ, ac corrigiatarum, vtriuſq; ſexus perſonarum noſtræ congreg. & moderata fratrum conuerſatione cum illis, ac alijs quibuſcunque. Rub. 19.
De intentione, & obligatione diffinitionum, & eiſdem ſcribẽdis, & legendis ad menſam, & obſeruandis. Rub. 20.
Epilogus, ſeu repertorium omnium cenſurarum, & grauiorum pœnarum, quæ in Conſtitutionibus, & Diffinitionibus ipſarum tranſgreſſoribus aſſignantur. Rub. 21.

¶ Ex primo capitulo congregationis Mediol. celebrato 1450. Capitulum primum.

QVIA in Regula dicitur. Orationibus inſtate horis, & temporibus conſtitutis. Declarantes dicimus, & ordinamus, ꝙ fratres, quã maximè in nocte ad ſurgẽdum pro Matutinis, ſic tempora moderentur[a] noctium breuium, & longarum, ꝙ fratres ſurgentes ad Matutinum, potuerint ad minus, quinque horis dormiuiſſe, aut ſeptem ad plus. Aliæ uerò horæ[b], ſcilicet Prima, Tertia, Sexta, & Nona, poſſint citius, & tardius collectiuè, aut diuiſim dici, prout Priori habita ratione loci, & fratrum uidebitur expedire. Veſperæ uerò hora competenti, ſecundùm temporum uarietatem, & patriæ conſuetudinem. Completorium autem, ſemper ante collationem dicatur in diebus ieiunij. Quando autem fratres cœnant, ante cœnam. Eſtiuo autem tempore poſt cœnam dicatur. Hunc tamen Completorij ordinem, Prior pro rationabili cauſa, aliquando mutare[c], ſed non ſemper relinquere poterit.

a ¶ Arg. Hiero. c. nõ mediocriter. de conſe. diſt. 5.

b ¶ Arg. ex Con. Agat. ca. presbyter. de celeb. miſſ.

c ¶ Arg. ex Conc. Agat. c. 1. de celeb. miſſ.

¶ Ex capitulis Mediol. 1450. Brixien. 1470. alio Mediol. 1471. & Alexan. 1473. Cap. 2.

ET quia ſequitur in Regula. Nolite cantare, niſi quod legitis eſſe cantandum. Volumus, & ordinamus, ꝙ in eccleſijs noſtris, fratres non cantent niſi cantum firmum[d], ſub pœna priuationis actiuæ uocis, & paſſiuæ.

d ¶ Augu. in regula. Hiero. c. cantãtes. diſt. 92. Greg. c. in ſancta. ca. argu. in d. c. non mediocriter. ver. nõ verbis. de conſec. diſt. 5.

1 Et quia in Regula nõ exprimitur, quid, aut quando cantari debeat, licèt in ordinario, quid generaliter, & quando ſit cantandum exprimatur. Quia tamen ordinarium ad literam obſeruare, impoſſibile,

vel ſaltem difficilè admodum eſſet, nec diu perſeuerare poſſent, vt in officijs vniformitas[e] obſeruetur, quid in nota, & quid in voce ſine nota, more noſtro cantandum ſit, declaramus, & ordinamus. Igitur officium diuinum nocturnum pariter, & diurnum totum ſemper, & vbique ſiue in nota, ſiue ſine nota dicatur, diſtinctè, moroſè, pariter, & deuotè dicatur, quatenus iuxta regulam: Hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.

e ¶ Argu. ex Con. Agat. ca. presbyter. de cele. miſſ. c. dolentes. de eo. Hiero. d. c. cantantes. di. 92. c. quoniam. in fi. diſt. 61. & d. c. non mediocriter.

2 In diebus ferialibus, & feſtis ſimplicibus horæ canonicæ, dicantur ſine nota, & tono, ſed noſtro modo conſueto, nec nimis[f] altæ, nec nimis depreſſæ, voce æquali, & fiat pauſa in medio verſiculi, ſic ꝙ percipiatur ſilentium in choro, omnes æqualiter finientes, & æqualiter incipientes.

f ¶ Arg. in d. c. non mediocriter. de conſec. diſt. 5.

3 Inter officium autem beatiſſimæ Virginis, & aliud officium, ſit differentia vocis[g], & pſalmodiæ, vocis quidem, vt ſit depreſſior in tertia nota, & ad plus in quarta. Pſalmodiæ verò, vt non ſit tam moroſa, nec pauſa tam longa. Veſperæ autem dicantur eodem modo, niſi ꝙ à capitulo[h], in antea, in nota, & tono omni tempore cantentur, & Magnificat cum Antiphona in tono occurrenti. Et antiphona feſti præcedentis cum debitis orationibus. Aliæ verò commemorationes dicantur ſine nota. Semper autem. Benedicamus domino, dicatur cum nota. Ad Completorium verò, ſemper cãtetur Antiphona beatæ Virginis ſecũdùm diuerſitatem temporum. Pſalmodia fiat, vt ſuperius eſt expreſſum, ſine nota, & tono.

g ¶ Arg. in ca. perlectis. §. ad primicerium. diſt. 25.

h ¶ Ex Con Agat. c. couenit. de conſ. diſt. 5.

4 Diebus verò dominicis[i], & feſtis ſemiduplicibus horæ dicantur, vt ſupra. Si tamen videbitur Priori, poterit dicere cum nota, & in tono. Veſperæ præcipuè dicantur, ſi fieri poteſt, in nota, & tono ſuarum Antiphonarum.

i ¶ Arg. ex generali Syno. ca. in die. de conſ diſ. 5. c. perlectis. §. ad primicerium. diſt. 25.

5 In ſeſtiuitatibus verò Apoſtolorum, & duplicibus, eodem modo[K] dicatur, ſicut in Dominicis diebus. Sed in maioribus duplicibus, hymni, antiphonæ, & pſalmi dicantur per omnes horas in nota, & tono.

K ¶ Arg. ex Con. Agat. d. c. conuenit. de conſ. diſt. 5. ex Con. Brachar. cap. placuit. diſt. 12.

6 Officium autem nocturnum, ſic diſponatur, quòd diebus ferialibus, ac ſimplicibus, ſemper hymni nocturnorum, & laudum cantentur in tono ſuo, antiphonæ verò nocturnorum non cantentur. Ad laudes verò, cantetur Benedictus, cum ſua antiphona.

7 Diebus verò dominicis, ſemiduplicibus, & in feſtis Apoſtolorum, & alijs duplicibus maioribus, & minoribus, matutinæ dicantur, & cantentur, ſecundùm quòd diſcretioni ſuperioris, qui in choro fuerit videbitur expedire. Quandocunq; cantatur. Te Deum laudamus. vltima lectio cantetur in tono. Et ſi videbitur Priori, etiam cantetur vltimum reſponſorium in nota.

¶ *In capitulo Mediolan.* 1450. *Cap.* 3.

QVIA conuentus Cremæ, à quo hæc noſtra congregatio habuit principiũ, ædificatus fuit ſub uocabulo, & inuocatione Annunciationis beatæ Virginis, & beati patris Auguſtini. In quo pro cõmemoratione Virginis, ad Veſperas dicitur antiphona. Spiritus ſanctus &c. Et ad Maturinum antiphona. Quomodo fiet iſtud &c. Cum ver. Aue Maria. Dominus. In ſingulis conuentibus huius noſtræ congregationis eodem modo dicatur, non obſtante conſuetudine ueteri aliquorum conuentuum ſi qui cœpti, uel in poſterum capientur.

1 Cæterum de ſanctis Auguſtino, Nicolao de Tollentino, Monica, ac titulis eccleſiarum reſpectiuè, commemorationes ad Magnificat, & Benedictus, fiant ſingulis diebus anni, quibus iuxta ritum Ro-

manæ

manæ curiæ, cæteræ commemorationes, De apoſto lis,& de Pace, fieri conſueuerunt.

¶ *In capitulo Mediolan.* 1450. *Cap.* 4.

MISSAM quotidiè cantare non imponimus, ſed dominicis diebus, & alijs feſtis duplicibus, uel quando in loco, feſtum celebræ haberetur. Si tamen in conuentu ſint fratres numero,& ſufficientia ad id idonei, non prohibemus, quin quotidiè conuentualis[l] miſſa cantetur, ac etiam plures. Siue autem miſſa cantetur, ſiue non, quotidiè tamẽ miſſa una conuentualis celebretur, cuius ſeruitor, ſe cum cotta præparet,& duo cerei in eleuatione Corporis Chriſti accendantur, ac ſi miſſa ipſa cantaretur. Ad quam ſecundùm Conſtitutiones, omnes fratres cõueniant præcipuè uerò, qui non ſunt ſacerdotes, & ſacerdotes qui eo die non celebrant. Si qui tamen ad primam miſſam conuenerint, præcipuè conuerſi, qui alias per obedientiam in corporalibus exercitijs occupantur, ad ipſam miſſam non teneantur.

l ¶ Arg. in c. cũ creatura. de cele. miſſ.

¶ *In capitulo Ferrarien.* 1494. *Cap.*5.

FRATRES celebraturi uadant ad altare, capite cum amito cooperto, eodemq; modo redeant ad ſacriſtiam, & ut uniformitas ſeruetur ubiq; omnibus fratribus noſtræ congregationis præcipimus, quòd in eleuatione calicis omnes eleuent ipſum calicem diſcopertum.

¶ *In capitulo Mediolan.* 1471. *Cap.*6.

FRATRES idiotę[m], & ad legendum minus apti caueãt celebrare in præſentia multitudinis auditorum, maximè peritorum, & eorum præcipuè, qui ex eorum ineptitudine ſcandali occaſionẽ probabiliter ſumere poſſunt.

m ¶ Arg. Hiero. c. hi quoſcunq;. 1. q. 1.

¶ *In capitulo Bergomen.* 1474. *Cap.*7.

ORDINAMVS, quòd de cętero fiant officia de

 ſanctis

ſanctis occurrentibus, eo die quo occurrunt in Calendario[n]. Quando verò nullum occurrit, accipiatur de relictis, in dominicis autem ſolennibus diebus, aut octauis, aut vbi duplicata ſunt.

[n] ¶ Arg. in Con. Brachar. c. fi. diſt. 12. ex Con. Agaten. c. conuenit. de conſec. diſt. 5.

¶ *In capitulo Mantuano.* 1483. *Cap.* 8.

VBIQVE locorum noſtræ congregationis celebretur feſtum Præſentationis beatæ Mariæ Virginis, ſub officio Natiuitatis eiuſdem, mutato nomine Natiuitatis in nomen Præſentationis, & fiat officium maius duplex. Similiter de ſancto Ioſeph, & fiat officium commune de vno confeſſore non pontifice. Item fiant octauæ omnium ſanctorum ſolennes, & de ſanctis infra octauam occurrentibus, nihil tunc fiat. Octaua verò ſub duplici officio celebretur. Fiat etiam octaua ſancti Auguſtini, ſub minori duplici. Et in Dominica, quæ in octaua, vel infra octauam venerit, fiat de Dominica cum commemoratione octauæ, ſine officio Virginis. De octaua etiam ſancti Nicolai de Tollentino, & ſanctæ Monicæ, fiat ſicut de octaua ſancti Ioannis Baptiſtæ.

1 Fiant etiam feſta ſanctorum Pauli primi Eremitæ, Gulielmi, Simpliciani, Conuerſionis ſancti Auguſtini, & vtriuſque tranſlationis eiuſdem, ac etiam tranſlationis ſanctæ Monicæ, & canonizationis ſancti Nicolai de Tollentino, omnia ſub duplici officio. Galli autem, & Columbani, ſub officio ſimplici.

¶ *In capitulo Mediolan.* 1457. *Cap.* 9.

ORDINAMVS, quòd in confeſſione generali, tam in prima, quàm in completorio, à ſuperiore tantum, qui in choro fuerit, primo alta voce dicatur,

dicatur, & à ſuperiore alterius chori ſimiliter ſolo reſpondeatur; cæteris omnibus ſub ſilentio dicentibus.

¶ *In capitulo Mediolan.* 1450. *Cremen.* 1521. *& communi conſuetudine congregationis noſtræ. Cap.* 10.

QVOTIDIE in ſero, poſt Aue Maria, hora, quę Priori videbitur competere, ad ſignum campanellæ, fratres genuflexi conueniant coram altari maiore, & ibi Prior faciat recomendationem benefactorum, & afflictorum, & aſpergat fratres aqua° benedicta, & det eis benedictionem. Poſtea in communi dicatur. Pſalm. Exaudiat. cum oratione. Deus omnium fidelium paſtor &c. pro felici conſeruatione ſtatus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & ſummi pontificis, pro tempore exiſtentis. Et tunc ex apoſtolicæ ſedis conceſſione, centum annos indulgentiarum: Per Leonem Papam X. quotiens id fecerint ſinguli conſequentur.

° ¶ Argu. c. aquam. de conſec. diſt. 3.

1 Prior autem tunc non corrigat fratres, nec dicat culpas ſuas, nec in longum ſermonem protrahat, ſed expeditè Prior fratres ad cellas remittat, niſi aliquis arduus caſus occurreret.

2 Omnes fratres noſtræ congregationis, tam nouitij, quàm profeſſi, in ſingulis decem, & ſeptem diebus ad communionem generalem per Conſtitutiones noſtras deputatis, celebrent, vel communicent, & poſt celebrationem, ſeu communionem, genibus flexis dicant orationem. Deus omnium fidelium paſtor &c. aut orationem dominicam, qui prædictam neſcirent, pro cõſeruatione ſtatus ſanctæ matris eccleſiæ, ac Romani pontificis pro tempore exiſtẽtis. Et tunc ex gratia, & conceſſione ſedis Apoſtolicæ, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, ſingulis diebus prædictis conſequentur.

De

¶ *In capitulo Annunciatæ heremi.* 1507. *& Forliuien.* 1510. *Cap.* 1.

STATVIMVS, & ordinamus, ꝙ de cætero noſtrę congregationis fratres laici, ſeu conuerſi, quanquam literati, ad clericatus dignitatem non promoueantur, nec ad Sacriſtę[a], vel Procuratoris[b] officium eligantur, vel deputentur, nec ipſe pater Vicarius congregationis eos ad aliquod præmiſſorum habilitare, aut Prioribus ſuper hoc licentiam valeat impartiri: volentes, ꝙ huiuſmodi fratres conuerſi, cum omni caritate, & humilitate Prioribus ſuis obediãt in exercitijs, & operibus corporalibus ad quæ vocati ſunt, & in religione recepti quantum ſingulorum facultas, & valitudo permiſerit, præcipuè verò in ſeruitio coquinæ, & horti. Id verò facere contemnentes, Priores ad Reuerendum patrem Vicarium noſtræ congregationis cum ſuis literis mittant. Qui eoſdem velut ea indignos, à noſtra congregatione licentiabit[c].

a ¶ Arg. de offic. ſacriſt. c. 1.
b ¶ Arg. ex Con. Calced. c. quia. di. 89.
c ¶ Arg. Aug. in reg.

¶ *In capitulo generali Montis Speculi omnium obſeruantiarum Italiæ.* 1449. *& Brixien.* 1470. *Cap.* 2.

LICET laici, ſiue conuerſi, quanquam literati, & profeſſi, vocem in capitulo non habeant, in electione Priorum[d], vel quorumcunq; aliorum officiorum curam animarum habẽtium, in electione tamen diſcreti, & alijs[e] quibuſcunque electionibus, & capitulis curam animarũ non concernentibus, poſt expletum in congregatione triennium, ex gratia, vocem habere permittimus.

d ¶ De elect. in 6. ca. ex eo. §. in eccleſiis.
e ¶ Arg. à cont. ſent. ex Conc. generali. ca. quia propter. de elect. & d. c. ex eo. §. in eccleſiis. eo. tit. in 6.

¶ *In capitulo Bononien.* 1476. *Cap.* 3.

FRATRES conuerſi officio veſperorum in eccleſia, diebus feſtiuis deuotè interſint.

De

De fratribus à noſtra congregatione extraneis, & ab eadem licentiatis, & alias egreſſis, in illa nunquam recipiẽdis. Rub. 3.

¶ *In capitulo Terdonen.* 1455. *Cap. 1.*

QVONIAM ſæpè compertum eſt, quoſdã noſtræ congregationis conuerſos ſpiritu ſuperbiæ actos, contra ordinis inſtituta, literas edoceri, & clericos fieri importunè petijſſe, & alios etiã fratres, ſub velamine, ac falſo prætextu ſtudij literarũ petijſſe licentiam à congregatione, vt inter conuentuales laxatis habenis, in grauem diuinæ maieſtatis offenſionem, animarum ſuarum periculum, & iacturam, ac ſcandalum ordinis licentiosè viuerent, animarum langoribus occurrentes[a], Reuerendo patri Vicario noſtræ congregationis, qui pro tẽpore fuerit, iniungimus, & mandamus, ꝙ tales importunè, & ſine cauſa à congregatione licentiari petentes, per octo dies prout diſcretioni ſuæ viſum ſuerit in pœnitentia teneat, & vt ad ſanam mentem reuertãtur, & in vocatione qua vocati ſunt à Deo permaneant inducat. Qui ſi obſtinato animo in ſua peruerſitate durauerint, eos à congregatione licentiet, & cũ ſuis literis cauſam eorum continẽtibus, ad Reuerendiſſimum patrem Priorem generalem ordinis, vel ad eius locumtenentem dirigat, qui eos pro ſuæ prouidentiæ arbitrio corrigat, & caſtiget.

a ¶ Arg. in c. error. diſt. 83. Aug. c. nõ omnis. 5. q. 5.

¶ *In capitulo Mediolan.* 1511. *Cap. 2.*

AD abundãtem litium, cautelam: ordinamus, ꝙ in omnibus licẽtijs, tam per Diffinitorium, quàm per Reuerendũ petrem Vicarium dandis fratribus à congregatione ſegregãdis, iſta clauſula inſeratur, videlicet. Omnia nihilominus iura[b], actiones, & ſucceſſiones, tam de iure cõmuni, quàm ex priuilegijs, vel ſtatutis noſtræ congregationis, occaſione ingreſſus, aut profeſſionis tuæ, dictæ congregationi in

b ¶ De probat. ca. in pſentia. de teſtam. c. 1. in fi. c. cum in officiis. eo. tit. ca. quia ingredientibus. 19. q. 3. c. perlatũ. ca. ſi qua mulier, aut vir. ea. q. & ca. c. quicunq;. 12. q. 5.

in genere, aut alicui loco ipſius in ſpecie qualitercunque pertinentia, eiſdem reſeruamus, & in nullo pœnitus derogamus.

¶ *Ex capitulis Mediolan. 1456. & Brixien. 1460. & alio Mediolan. 1464. & Cremen. 1521.* *Cap.3.*

STATVIMVS, & ordinamus, quod nullus frater, qui non fuerit in congregatione noſtra receptus à ſæculo, & in illa educatus, aut qui extra eandē congregationem per annum ſteterit, ad aliquod officiū cui annexa ſit animarum cura, in ipſa congregatione poſſit aſſumi, cum his dumtaxat diſpenſantes, quibus animarum cura in noſtra congregatione contra præſcriptę diffinitionis tenorem hactenus[c], ab anno ſcilicet 1520. & retro commiſſa fuit.

c ¶ Argu. ad hoc. de conſtit. ca. ſi. c. cognoſcentes. eo. ti.

¶ *Ex capitulis Montis Speculi omnium obſeruantiarum Italiæ 1449. & Cremen. 1452. & Terdon. 1455. & Mediolan. 1457. & alio Mediolan. 1471. & Mantuano 1497. & Cremon. 1499.* *Cap.4.*

NVLLVS frater noſtri ordinis, conuentualis, vel alterius congregationis, in noſtra congregatione recipiatur, & incorporetur. Quicunq; verò à noſtra congregatione, ſiue cum licentia, ſiue abſq; illa receſſerit, nunquam amplius in ea recipiatur, ſicut in Conſtitutionibus noſtris cautum eſt. Nulluſque frater noſtræ congregationis pro aliquo ex huiuſmodi fratribus, vlterius in noſtra congregatione recipiendo intercedere, vel quoquomodo verbum facere pręſumat, nec ipſe quidē pater Vicarius congregationis aliquem huiuſmodi recipere poſſit, nec in aliquo loco ipſius cōgregationis eo prætextu admittere, vt mores ipſius ad tempus experiatur, neq; de receptione ſpes vlla detur eidem, quouis modo.
1 Et nihilominus ſi quādo aliquem huiuſmodi fratrum, quauis ex cauſa ineuitabili, in noſtra congregatione

gatione recipi contingeret, ſit actiua paſſiuaq; voce priuatus in perpetuũ, & nouiſſimum[d] locum teneat in conuentu, ac ſi tunc veniret à ſæculo, & in probatione[e] ſicut nouitij, vſq; ad futurum capitulum permaneat, & tunc iuxta teſtimonium patrum cũ quibus vixerit, & ipſius Diffinitorij arbitrium in congregatione confirmetur, vel ab ea expellatur, cuiuſcunque gradus, aut conditionis exiſtat.

d ¶Arg. in c. mãdamus. in fi. 19 q. 3. c. intelleximus. §. ne igitur. de ætat. & qual.

e ¶Arg. c. legem. di. 53. c. multos. diſt. 54. c. ſi quis incognitus. 17. q. 2.

De ætate, & qualitate, modo, & locis ad ordinem, & ad profeſſionem recipiendorum, ac ad ſacros ordines promouendorum. Rub. 4.

¶ *Ex capitulo Mediolan.* 1489. *Cap.* 1.

COMMISSI non induantur habitu fratrum, etiam pro conuerſis.

¶ *In capitulo Taurin.* 1508. *& Cremen.* 1517. *Cap.* 2.

QVONIAM proba liberorum educatio[a], inſtituendæ Reipublicæ permaximè noſcitur neceſſaria ſtatuimus: ac etiam Prioribus infraſcriptorum noſtræ congregationis locorum, præſentibus, & qui pro tempore fuerint, quouſq; commodioris facultatis formam receperint, quod etiam Diffinitorij arbitrio decernimus relinquendũ, ſub pœna priuationis officij, quam ipſo facto incurrant, diſtrictè præcipimus, & mandamus. Ne cuiuſcunque conditionis nouitium pro clerico recipiant, aut alias receptum retineant. Sed ſi qui alias idonei inibi ad ordinem recipi petierint, probata eorum perſeuerantia, ad Priores conuentuum proximorum aliorũ ab infraſcriptis, cum literis ſuis, eos mittant, in capitulo recipiẽdos. Deinde ſic recepti, in locis etiam infraſcriptis, ad habitum nouitiorum, alias tamen ordinationũ forma ſeruata, recipi poſſint, ſed infra tres dies naturales ab huiuſmodi receptione immediatè

a ¶Arg. ex Con. Tolet. c. omnis ætas. 12. q. 1.

ueatur, nec aliquis etiam annoſus[d] ad ſacerdotium admittatur, niſi ſaltem tres in noſtra congregatione compleuerit annos.

d ¶ Arg. Greg. c. ſicut. di 48. ex Con. Nicæno. c. quoniã multa. & c. prohibentur. ea.

Quomodo fratres ad audientiam confeſſionum, & ad prædicandum promoueantur. Rub. 5.

¶ *Ex capitulis Brixien.* 1498. *Cremon.* 1499. *Forliuien.* 1510. *& Mutin.* 1514. *Cap. 1.*

VOLVMVS, & ordinamus, quòd pater Vicarius, & Viſitatores, noſtræ congregationis in ſingulis conuentibus diligenter inquirant de fratribus, ad audientiam confeſſionum, & ad prædicationem promouendis, ac etiam promotis, eoſque diligenter examinent. Quatenus eorum informatione, Præſidens, Vicarius, ac Diffinitores capituli generalis noſtræ congregationis, doctis in ſacra pagina, examinatis (vt præfertur) & à ſe approbatis prædicationis, & tam ipſis, quàm alijs ad id idoneis audiendi confeſſiones, abſoluendi confitentes, & iniungendi eis pœnitentias ſalutares officia, iuxta formam[a] iuris, & priuilegiorum noſtrorum tenores committere valeant, ac indignos deponere. Nulluſque aliter quam præuia examinatione præfata aliquem promouere, ſeu promouendum Diffinitorio proponere præſumat.

a ¶ Cle. dudum. de ſepul. & in priuilegiis ordinum.

¶ *Ex capitulis Mutin.* 1496. *& Forliuien.* 1510. *Cap. 2.*

STATVIMVS, & declaramus, necnon per ſalutarem obedientiã præcipimus, quòd nullus frater noſtræ congregationis, qui non ſit per Diffinitorium capituli generalis congregationis eiuſdem iuxta priuilegiorum formam ad audientiam confeſſionum electus[b], & deputatus, ſæcularium, aut monialium quarumcunq; confeſſiones audire præſumat, etiam ſi à proprio Priore cum auctoritate ordinarij Epiſcopi de facto ad huiuſmodi officium promo-

b ¶ Arg. in c. adiicimus. 16. q. 1.

promoueretur, ac etiam ſi ſæculares, vel moniales, huiuſmodi eligendi ſibi confeſſorem facultatem haberent. Contrafacientem verò ſuperiorem Prioratus, ac officij ſui ſuſpenſione mulctamus, irritam nihilominus promotionem huiuſmodi decernentes, fratrem verò ſubditum contra præſentem ordinationem, imò verius contra iuris diſpoſitionē ad audientiam confeſſionum huiuſmodi temerè ſe ingerentem, vſque ad tres annos tunc futuros, & donec cum eo fuerit diſpenſatum, ad huiuſmodi officium ſuſpenſum, & inhabilem eſſe decernimus, & declaramus.

¶ *In capitulo Mantuano.* 1483. *Cap* 3.

MANDAMVS ne confeſſores apud ſe pecunias teneant, quæ confeſſionū occaſione, vel alias quauis ex cauſa dantur eis, ſed eodem die, uel ſequenti Priori conſignent, & Prior Procuratori iuxta formam Conſtitutionum, niſi Prioris diſcretio aliter duxerit concedendum.

Quomodo prædicatores ad prædicandum mittătur, & ad ſua loca reducantur. *Rub.6.*

¶ *Ex capitulo Bergomen.* 1500. *& Cremon.* 1517. *Cap.*1.

QVONIAM iuxta apoſtolicam doctrinā prædicatores uerbi Dei non rectè prædicabunt, niſi per obedientiam mittantur[a]: ſtatuimus, & ordinamus, ꝙ prædicatores noſtri per literas obedientiæ Reuerendi patris Vicarij noſtrę congregationis præcipuè pro quadrageſima de conſilio patrū Viſitatorum, ſi commodè haberi poterunt deſtinentur, cui abſq; contradictione aliqua humiliter obediāt[b]. Alijs autem temporibus infra annum ab aliquo ſuperiore loci noſtræ congregationis requiſiti ire, & in locis, & quæſtis ſuis ſi Priores erunt, ac de Prioris licentia

a ¶ Ad Rom.c.10.

b ¶ Aug.in reg.arg. in c. cū ad monaſterium. §. abbas. de ſta.reg.ex Con. Aurel.ca.abbates. el 1.18 q.2. cap.a ſubdiacono. in fi. diſ.93.c.ad aures. de temp.ord c.cū in eccleſiis. de maio & obed. Greg. a.ſciendū.8.q.1.

licentia ſubditi prædicare poterunt, niſi Reuerendus[c] pater Vicarius congregationis aliter ordinauerit, aut illos miſſos duxerit reuocandos.

1 Ea propter diſtrictè prohibemus, ne quis abſque Reuerendi patris Vicarij generalis noſtræ congregationis licentia ſpeciali in ſcriptis habita, ſeipſum, aut alium noſtrę congregationis prædicatorem pro Aduentu, aut Quadrageſima, alicui eccleſiæ, vel loco extra loca noſtræ congregationis ſpecialiter ꝑmittat[d]. Contrafacientes autem voce careant per quinquennium, & per vnum menſem, pœnæ ſubiaceant culpæ grauioris. Eandem pœnam extẽdimus ad quoſcunque ſuperiores locorum, per ſe, vel per alium, directè, vel indirectè procurantes, aut admittentes prædicatores à noſtra congregatione extraneos, in locis noſtris, aut quæſta locorum noſtrorũ, noſtræ congregationis nomine prædicare. Quod ſi de aliquo probabiliter prçſumeretur, quòd aliquod prædictorum fecerit, vel procurauerit, ſi ipſe negauerit, ad ſuam purgationem[e] canonicam per cenſuram eccleſiaſticam compellatur. In qua ſi defecerit, pœnæ ſubiaceat[f] ſupradictæ.

¶ *In capitulo Annunciatæ heremi.* 1495. *Cap.* 2.

STATVIMVS, & ordinamus, ꝙ prædicatores noſtræ congregationis expenſis[g] cõuentus in quo, vel cuius eccleſia, vel quæſta, & cuius nomine prædicauerint conducantur, & ad locum ſuæ conuentualis obedientiæ reducantur, perfunctoq; prædicationis officio, prouideatur eis à Priore loci, in quo, vel cuius quæſta, aut nomine prædicauerunt, de capa, vel tunica, vel ſcapulari, iuxta formam Conſtitutionum cõgregationis noſtræ, ſi eguerint. Si autem ipſi prædicatores libris indiguerint, & pretiũ indumentorum huiuſmodi, in emptionem librorum ad eo-

L rum

c ¶ Argu. & ex Con. Toler. c. quanquã. in ſi. diſt. 23.

d ¶ Quia nec ꝑmittere, nec velle poteſt. arg. ĩ c. quod quibuſdam. de fideiuſſ. c. monaco, 20. q. 4. c. quia ingredientibus. ca. prælatum. 19. q. 3. c. ſi qua. c. non liceat. ea. q. & cã.

e ¶ Arg. ex Con. Triburien. c. nobilis. de purga. cano. ex Con. Melden. ca. ſi quis. §. & ſi. & ca. quotiens. c. inter. c. accedens. de eo. c. presbyter. & ca. omnibus. 2. q. 4. c. accuſator. in ſi. 6. q. 5.

f ¶ De purg. cano. c. cum p. §. deficientem. de coha. cler. c. tua nos. de ſimo. c. de hoc. & c. inſinuatum. eo. tit.

g ¶ Arg. ex Con. Gabilõ. c. cauendum. 10. q. 3. cap. ſacerdos. 1. q. 2.

Digitized by Google

rum vſum deputandorũ conuerti prælegerint non dentur illis pecuniæ, ſed libri ipſi emantur. Aut ſi tunc commodè haberi non poterunt, Priori ſuo cõuentuali, pro illis emendis, mittantur.

1 Quicunque verò, ſiue in locis noſtris, ſiue extra loca congregationis prædicauerint, omnes elemoſinas, quauis occaſione, tam in pecunijs, quàm alijs quibuſcunq; rebus habitas Priori loci pro quo prędicauerint, aut Priori ſuo cõuentuali, ſi omnino extra quæſtas locorum noſtræ congregationis prædicauerint, deductis expenſis interim factis, fideliter, & integrè conſignent. Contrafaciẽtes verò, vel fraudantes, vt proprietarij habeantur, & furti[h] iudicio puniantur.

h ¶ Aug. in reg. & c. nõ dicatis. 12. q. 1.

¶ *In capitulo Alexandrino.* 1473. *Cap 3.*

QVANDOCVNQVE prædicatores iuniores ad prædicandum extra cõuentum mittuntur, de maturo, ac diſcreto ſocio eis prouideatur.

De literis miſſiuis fratrum, & ab alijs recipiendis, & procuratis. *Rub. 7.*

¶ *Ex capitulo Bonon.* 1491. *& Mantuano.* 1497. *& alio Mantuano.* 1509. *& Forliuien.* 1510. *Cap. 1.*

DIFFINIMVS, ne quis frater ſubditus noſtræ congregationis Viſitatoribus, qui Priores nõ fuerint, & procuratore cõgregationis, ac ſocio Reuerendi patris Vicarij cõgregationis dumtaxat exceptis, literas[a] clauſas, vel apertas quas Prior ſuus prius non totaliter perlegerit, & conceſſerit, ac ſigillo ipſius Prioris ſigillatæ, aut manu propria eiuſdem ſubſcriptæ fuerint, quibuſuis ſiue de noſtra cõgregatione, ſiue extraneis, ſuperioribus ipſius Prioris dumtaxat exceptis mittere, præſumat. Receptas verò ab alijs huiuſmodi ſtatim Priori ſuo aperiendas, & perlegendas præſentet. Contrafacientes autem

a ¶ Arg. Aug. in reg. & ca. non dicatis. 12. q. 1.

tem

tem Priores Reuerendus pater Vicarius noſtræ congregationis ab officio ſuſpendat, aut aliter puniat, ſubditos verò actiua, paſſiuaque voce priuatos eſſe declaramus per annum. Addentes, quòd pro qualibet vice ter diſciplinam faciant, & totiens in pane, & aqua ſolùm in medio refectorij ſine diſpenſatione ieiunare cogantur.

¶ *In capitulo Terdon.* 1455. *Cap.*2.

SVB excommunicationis, ac priuationis officij pœna præcipimus, vniuerſis, & ſingulis noſtræ congregationis fratribus cuiuſcunque conditionis exiſtant, tam prælatis, quàm ſubditis, ne abſque Reuerendi patris Vicarij noſtræ congregationis certa notitia, ac licentia ſpeciali, literas, aut occultas ambaſiatas mittant[b] fratribus à noſtra congregatione egreſſis, vel ab eis recipiant, & ſi caſu aliquo recipere eos contigerit, Vicario congregationis, aut Viſitatoribus ſtatim voce, aut ſcripto inſinuent.

b ¶ Arg. ex doctr. S. Petri. ca. ſi inimicus. diſt. 93. c. quibus. 11. q. 3. c. ſcire debes. 7. q. 1.

¶ *In capitulo Mantuano.* 1472. *Cap.*3.

LITERAE fratrum, quæ ſi ad extraneorum manus deuenirent ſcandalum generare veriſimiliter poſſent, ſi quo caſu ad manus cuiuſcunque fratris noſtræ congregationis peruenerint reſeruētur, & Reuerēdo patri Vicario, aut Viſitatoribus noſtræ congregationis diſcutiendæ tradantur. Contrafacientes eandem pœnam arbitrio Reuerendi patris Vicarij, aut Viſitatorum noſtræ congregationis ſuſtinere cogantur, qua literas huiuſmodi mittentes puniendi forent.

¶ *In capitulo Bergomen.* 1500. *Cap.*4.

CONSTITVTIONEM antiquam in additionibus poſitam infraſcripti tenoris innouantes approbamus, videlicet.

1 Statuimus, quòd quicunq; procurauerit literas,

vel preces importunas Principum, Prælatorum, vel curialium, aut aliarum quarumcunque perſonarum pro quacunq; promotione[c], vel confirmatione, ſeu abſolutione alicuius officij, in ordine obtinendi, vel obtenti, vel pœnitentia ſubterfugienda, quominus diſpoſitio noſtræ congregationis liberè valeat obſeruari, eo ipſo ſua petitione fruſtretur, & voce careat per quinquennium. Et nihilominus per vnum menſem pœnæ ſubiaceat culpę grauioris. Et ſi de aliquo probabiliter præſumeretur, quòd tale quid fecerit, & ipſe negauerit, ad ſuam purgationem[d] per cenſuram canonicam compellatur. In qua ſi defecerit, pœnæ ſubiaceat[e] ſupraſcriptæ.

De cibis, ieiunijs, & abſtinentijs fratrum, ac lectione menſæ. Rub. 8.

¶ *In capitulo generali Montis Speculi omnium obſeruantiarum Italiæ. 1449. ac noſtræ congregationis primo Mediolan. 1450. & Cremon. 1469. & alio Mediolan. 1471. & Alexandrino. 1473.* *Cap. 1.*

IN Regula dicitur. Carnem veſtram domate ieiunijs, & abſtinentia eſce, & potus, quantum valitudo permittit. Quod verbum, ita conſcientias quorundam ſcrupuloſè perturbat, vt ſibi propterea videatur, ad extremum abſtinentiæ poſſibilis, obligare. Cum tamen vir ſanctus, & doctiſſimus Vgo, in expoſitione ſuper hoc verbo, dicat. Hic virtus diſcretionis commendatur, & pereunt[a] ipſe virtutes, ſi abſque diſcretione fiant. Ideò in Conſtitutionibus noſtris diſcretè ſatis, ieiuniorum, & abſtinentiarum vltra[b], ea quæ ab eccleſia præcipiuntur[c], modus exprimitur.

1 Quare diffinimus, & ordinamus, quòd vltra ieiunia, & abſtinentias ab eccleſia, & Conſtitutionibus noſtris

c ¶ Quia à cõgregatione liberè ꝓmouendi ſunt. ex Cõ. Tolet. c. congregatio. 16. q. 7. ex Cõ. Magunti. c. abbas. Greg. c. abbatem. el 1. & 2. & c. quã ſit neceſſarium §. defuncto. 18. q. 2. de elect. c. 1. de cõſtit. c. cũ dilectus.

d ¶ Arg. ex Con. Melden. c. ſi quis. § & ſi. de purg. canon. ex Con. Triburin. c. nobilis. c. quotiens. c. accedens. de eo. c. accuſator. in fi. 6. q. 5. c. presbyter. el 1. & 2. c. omnibus. 2. q. 4.

e ¶ De cohab. cle. c. tua nos. de ſimon. c. de hoc. & c. inſinuatum. de eo. de purg. cano. c. cum p. §. deficientem.

a ¶ Hiero. c. nõ mediocriter. de conſec. diſt. 5.

b ¶ Arg. in c. ſtatuimus. diſt. 4. Ambr. ca. quadrageſima. Greg. c. deniq;. ea.

c ¶ Videlicet quadrageſimæ. ex Cõ. Agat. c. placuit. de conſ. di. 3. ex Con. Martini. c. non liceat. ex Con. Laodicen. c. non oportet. ex Con. Cæſar Auguſt. c. ne quis. ea. Item quatuor temporũ. ex Con. Magon. ca. conſtituimus. diſt. 76. ex Conc. Soleguſtan. c. de ieiunio. c. ieiunium. ca. ſtatuimus. ea. Item vigiliarum Nat. Dñi. Aſſumptionis B. Marię. & apoſtolorũ. de obſer. ieiun. per to: ũ. Item Pẽ teco. de eo. lib. 6.

noſtris inſtitutas, etiam in vigilijs Aſcenſionis domini, Corporis Chriſti, ſancti patris noſtri Auguſtini, Natiuitatis beatæ virginis Mariæ, ſancti Nicolai de Tollentino, & cuiuſlibet ſolennitatis ad communionem generalem deputatæ, fratres noſtræ congregationis ieiunent. In paraſceue, pane tantum, & aqua cum lactucis[d], & aliarum herbarum inſalatutijs reficiantur.

d ¶Argum. ex libro Exodi. c. 12.

2 Declaramus nihilominus, ꝙ itinerantes, & alijs exercitijs corporalibus ex obedientia multum laborantes, ac alijs caſibus in quibus ad ieiunia, & abſtinentias eccleſiæ non tenentur, neq; nos ad ieiunia, & abſtinentias noſtras obligare intendimus. Ea tamen ſine[e] ſuperioris licentia nemo violare præſumat. Itinerantes verò, qui eodem die ad locum noſtræ congregationis accedere, vel redire non poſſunt, in ipſo itinere de appoſitis[f], etiã carnibus, diebus ab eccleſia non prohibitis, iuxta regulam apoſtolicam licitè comedere poſſint, præterquã in Aduentu domini.

e ¶Aug. in regula.

f ¶Arg. Aug. c. quiſquis. & ex Conci. Cartag. cap. clericus. diſt 41.

3 Quicunque verò alias poſt feſtum omnium Sanctorum, vſq; ad Natiuitatem domini excluſiuè, carnes, oua, aut lacticinia, præterquam infirmitatis articulo comederint, vltra pœnitentiam in Conſtitutionibus noſtris, eis qui tam honeſtã, & religioſam inſtitutionem violare præſumunt impoſitam, actiua paſſiuaq; voce careant per annum.

4 Et nihilominus iuxta Regulæ tenorem prohibemus, ne quis in conuentu aliquid alimẽtorum cibi, aut potus, etiam potum aquæ, extra horas[g] conſtitutas, nec extra commune refectorium[h], abſq; ſuperioris licentia ſpeciali, ſumat niſi cum ęgrotat. Bibendi tñ in communi refectorio licentiam Prior petentibus faciliter concedat, niſi ducant in conſuetudinẽ.

g ¶Aug. in reg. arg. ex Conci. Martini papæ. c. nõ liceat. di. 44. ex Con. Nanaten. c. qñ. ea.

h ¶Argu. in c. cũ ad monaſteriũ. §. in refectorio. de ſtat. reg. c. pernitioſã. 18. q. 2. ca præter. §. prçcipiẽtes. diſ. 32. ex lib. capit. c. in omnibus. de cõſec. diſt. 5.

¶ *Ex capitulis Mediolan.* 1453. *& Brixien.* 1470, *& alio Mediolan.* 1471. *Cap.* 2.

ANTIQVAM noſtri ordinis Conſtitutionem innouantes diffinimus, & ordinamus, ꝙ nullus frater noſtræ congregationis in ciuitatibus, terris, & locis, vel ſuburbijs in quibus ſunt noſtri conuentus, extra[i] conuentum in domibus ſæcularium, niſi neceſſitate[K] magna id exigente, comedere audeat, aut bibere. Contrafacientes ad ieiunandũ tribus diebus immediatè ſequentibus in pane, & aqua ſolùm pro qualibet vice condemnamus. Neq; Priores ſuper hoc licentiam alicui valeant impartiri.

i ¶ Argu. in iuribus prox. allegatis.

K ¶ Quia legem nõ habet. ca. ſicut. de conſe. di. 1. c. quãto. de conſuet. de conſ. di. 5. c. diſcipulos. ex Con. Çartag. 4. ca. cum omnibus. diſtin. 8. c. ſi quis propter neceſſitatem. de ſur.

¶ *Ex capitulo Terdonen.* 1455. *Cap.* 3.

INHIBEMVS, ne quæuis perſona ſæcularis in communi refectorio cum fratribus comedat, niſi ſint Reuerendi prælati eccleſiaſtici, aut illuſtres domini temporales, aut in die ſolennitatis loci, aut celebrationis nouæ miſſæ, vbi eſt conſuetudo. Quæ tamen diminuatur, & ſi abſq; ſcandalo fieri poteſt, in totum amoueatur.

¶ *Ex capitulo Mediolan.* 1450. *Cap.* 4.

QVIA in Regula dicitur. Cũ acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, ꝙ vobis ſecundùm conſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite. Diſcretam legendi[l] in menſa conſuetudinem approbamus, ꝙ vbi fuerint octo fratres ad minus in menſã ſedentes, & duo extra mẽſam, vnus videlicet legens, alter ſeruiens, per totum prandiũ, & cęnam, donec inde ſurgatur, primo in latino, poſtea in fine in vulgari ad arbitrium Prioris, de Biblia maximè, ſiue alijs libris ſanctorum ſemper legatur. Cui lectioni omnes cum ſummo ſilentio intendant. Vbi autem non fuerint octo fratres huiuſmodi, ſufficiat legere parum in principio, & parum circa finẽ, ſicut

l ¶ Aug. in regul. ex Con. Tolet. 3. c. ꝓ reuerentia. di. 44. ex Con. Nanaten. c. qñ autẽ. Grego. c. conuiuia. ea. ca. in omnibus. de cõſec. diſt. 5.

ſicut diſcretioni Prioris videbitur expedire, ſemper tamen ſilentium[m] in menſa ſeruetur, niſi(iuxta formam Conſtitutionum) aliquando ſuperioris arbitrio, rationabiliter ſuper hoc fuerit diſpenſatum.

m ¶Aug. in regu. & c. cum ad monaſterium. §. in oratorio verò, & refectorio. de ſta. reg.

De rebus ad vſum fratrum concedendis, & modo tenendi eas. *Rub. 9.*

¶ *Ex capitulo Cremon.* 1480. *Cap.* 1.

QVIA in Regula legitur. Veſtes veſtras in vnũ habeatis, ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere poſſint ad eas excutiendas, ne à tinea lædantur.

1 Declaramus, quòd de ſcitu, & licentia Prioris, quilibet frater in cella ſua abſq; tamen alicuius clauis, vel ſeraturę proprię incluſione, veſtes, & libros, & alia ad priuatum vſum ſibi cõceſſa tenere poteſt. Superflua tamen, & paupertati ordinis contradicentia, Priores ad vſum ſuum non teneant, nec fratribus concedant.

¶ *Ex capitulo Mediolan.* 1453. *& Mantuano.* 1483. *& Cremon.* 1499. *& Taurin.* 1508. *Cap.* 2.

CVM in Regula dicatur. Non dicatis aliquid proprium. Et qui rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

1 Nulli fratri cõcedatur, apud ſe tenere pecunias[a], niſi pro communi adminiſtratione conuentus, aut cauſa neceſſitatis, vt in itinere, vel alia cauſa certa, Priori notificata, expendendas. Sed ſi quis à parentibus, vel amicis, pro libris emendis, vel alia cauſa rationabili aliquid receperit, id cũ ſpeciali ſui Prioris licentia fiat, & apud Procuratorem, vel Priorem deponatur, nec ſine ſpeciali Prioris licentia, quem pro tempore habuerit, expendatur.

a ¶Arg. ex Con. Lateran. c. monachi. §. qui verò. de ſtatu reg.

1 Priores autem locorum, ſi quid huiuſmodi depoſitorum habuerint, de Reuerendi patris Vicarij, aut

Viſitatorum licentia ſpeciali, ſimiliter teneantur. Contrafacientes rebus ipſis priuentur,& in rem cōmunem loci in quo conuentuales fuerint, redigantur, & iuxta Regulam puniantur.

¶ *Ex capitulo Vitellian.* 1516. *Cap.3.*

VNIVERSIS, ac ſingulis noſtræ congregationis fratribus,ſubditis,ac ſuperioribus,pręſentibus,& futuris,in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna furti,& priuationis officiorum ſuorum præcipimus,ne bona ſibi ab affinibus,aut alijs quibuſcunque donata,legata, aut quæ ipſi in teſtamento reſeruauerint,ſiue pro ſemel, ſiue pluries, vel annuatim exigenda,& ad quemcunq; vſum,apud ſe retineāt[b], neque abſque licentia ſpeciali ſui ſuperioris, quem pro tempore habuerint, eiſdem vtantur. Sed iuxta Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum tenores in rem communem redacta, in libro conuentus recepta,& expenſa,ſicut bona cætera conuentus ſcribantur,arbitrio ſuperioris diſtribuenda. Contra quam formam, nullam generalem licentiam dari, aut datam valere volumus. Pia tamen,& laudabilis diſcretio,ita à ſuperioribus obſeruetur, quòd vltimæ voluntates hominum quantum Deo propitio (& religionis norma, decoreque ſeruatis) fieri poteſt, obſeruentur.

b ¶Arg. in ca. cū ad monaſteriū. in fi. & d. ca. monachi. de ſta. reg. c.6.

¶ *In capitulo Vitellian.* 1516. *Cap.4.*

SVPERIORIBVS locorum noſtræ cōgregationis ſub pœna ſuſpēſionis ab officio eorum præcipimus, ne dent pecunias fratribus pro veſtibus, ſed veſtes ipſas iuxta Regulā beati patris noſtri Auguſtini,& formam,& laudabilem ritum noſtræ congregationis faciant. Aut ſi tunc commodè fieri non poſſunt,quando à conuentu recedunt,Prioribus eorum pecunias mittant, ſcribentes cui, quid,quantū,

per

per quem, & pro quibus veſtibus mittant. Et niſi Prioribus cõſignent veſtes, & pecunias huiuſmodi, cum cedula[c], ſeu liſta ſuperioris loci à quo recedũt, vt alias diffinitum eſt, non fiant illis veſtes aliæ.

¶ *In capitulo Vitellian.* 1516. *Cap.5.*

REVERENDIS patribus Vicario generali, & Viſitatoribus noſtræ congregationis iniungimus, vt in actibus viſitationum ſuarum trina canonica monitione præmiſſa in ſcriptis, fulminent ſententiam excõmunicationis in forma canonica contra fratres proprietarios[d] noſtræ congregationis, ſi qui fortè (quod Deus auertat) inuenirentur. Et depoſita pecuniaria, tam ſuperiorum, quàm ſubditorum, ſi quæ fuerint, iuxta formam Diffinitionum ſeruari faciant, & expendi.

¶ *In capitulo Vitellian.* 1516. *Cap.6.*

AD quamlibet ſuſpitionis nebulam auferendam, quæ de Procuratorum conuentuum noſtrorum fideli adminiſtratione exoriri, & perturbationis occaſionem præſtare poſſet: ſtatuimus, & ordinamus, ꝙ quandocunque pecunias mutuo[e] accipi contigerit, Procurator conuentus pecuniarum huiuſmodi ſummã, & ſibi mutuantis nomen, & cognomen, eodem die Priori notificet, & in libro creditorum conuentus ſcribat. Subinde verò è regione, & ex aduerſo mutui reſtitutionem, eiſdem diebus, quibus, vel in totũ, vel in partem fiet, ſimiliter ſcribat. Et ſi quid huiuſmodi fecerit, ſingulo menſe, quando rationes introituum, & expenſarum leguntur, Priori, & fratribus, in capitulo legat, & declaret.

¶ *In capitulo Vercellen.* 1512. *Cap.7.*

QVILIBET Prior ſingulo anno, faciat inuentarium[f] omnium librorum, veſtimentorum, ac aliorum, ad vſum fratrum ſuorum, tam receden-

tium,

c ¶ Argu. ex cano. apoſtolorũ. ca. ſine manifeſtæ res. 12. q. 1.

d ¶ Arg. ex Con. Lateran. d. ca. monachi. §. qui verò peculiũ. de ſta. regu. & c. ſuper quodã canonico. ca. cum ad monaſterium. §. fi. eo. tit.

e ¶ Arg. in ca. quod quibuſdam. de fideiuſſ.

f ¶ Arg. ex Con. Triburicen. c. quicunque. 12. q. 5. & Gregor. ca. caritatem. ead. q. 2.

tium,quàm remanentium,& aduentantium,& illud Reuerendo patri Vicario,& Viſitatoribus oſtēdat.

¶ *In capitulo Comen.* 1463. *Cap.*8.

QVILIBET frater noſtræ congregationis,omnes, & ſingulos libros ſibi ad vſum concedendos,ſub pœna priuationis ipſorum, in fronte primi folij ipſius libri,manu propria patris Vicarij cōgregationis inſcribi faciat, cuius[g] videlicet conuentus ſit ille liber,& ad cuius vſum ſit conceſſus. Et in libro illius conuentus ſimiliter ſcribantur.

g ¶Arg. ex cano.apoſtolorum.c.ſint manifeſtæ res. 12. q.1.

¶ *Ex capitulo Mantuano.* 1497. *& Caſalen.* 1501. *Cap.*9.

VNIVERSIS, & ſingulis noſtræ congregationis fratribus,tam præſentibus, quàm futuris, ſubditis,& prælatis,cuiuſcunq; gradus,& dignitatis extiterint,ſub pœna carceris, & priuationis omniū librorum ſibi ad vſum conceſſorum,præcipimus,ne libros[h] à ſe editos, aut alios quoſcunque, abſq; Diffinitorij licentia ſpeciali in ſcriptis habita imprimi faciant.

h ¶Aug. in reg.& c. nō dicatis.12.q.i.

¶ *In capitulo Cremon.* 1499. *Cap.*10.

NVLLVS frater,ſiue prꝧlatus,ſiue ſubditus exiſtat,de loco ad locum trāsferat forcerios, aut capſas ornatas[i], & humilitati, ac paupertati ordinis non congruentes.

i ¶Arg.in regul.ibi nihil fiat.& exCō. Cartag.4.ca.clericus.diſt.41.

¶ *Ex capitulo Mediolan.* 1471. *Cap.*11.

PRIORES non concedant[K] licentiam confeſſoribus, aut alijs fratribus, veſtes, aut quodlibet aliud ad proprium vſum procurandi, niſi iuxta numerum, & qualitatem per Cōſtitutiones definitam. Si autem in pecunia id receperint,Priori ſicut cætera fideliter conſignent,ipſius arbitrio expendendū.

K ¶Arg.in regu.ibi diſtribuatur vobis à ꝓpoſito veſtro.

¶ *In capitulo Forliuien.* 1510. *Cap.*12.

STATVIMVS, & ordinamus, ne quis frater noſtræ congregationis,ſiue ſubditus,ſiue Prior, cu

iuſcunq;

iuſcunq; gradus, aut conditionis exiſtat, æquum, aut iumentum aliud per ſe, vel per interpoſitam perſonam ad priuatum[l] vſum ſuum teneat ſine ſpeciali, & expreſſa licentia Reuerēdi patris Vicarij in ſcriptis habita, in qua rationabili, ac euidens cauſa exprimatur. Contrafacientes verò eis priuentur, quos proprietatis vitium incurriſſe declaramus, ac per hoc ſicut proprietarios, iuxta ſacros canones, ac noſtræ congregationis inſtituta, puniendos eſſe decernimus. Super quibus Vicarius generalis, ac Viſitatores diligenter inquirant, & reos puniant, etiam excommunicationis ſententiam, & alia iuris remedia contra tales, ſi opus fuerit adhibendo.

l ¶ Arg. in regul. ibi ſint vobis omnia communia.

¶ *In capitulo Cremon.* 1469. *Cap.* 13.

STATVIMVS, & ordinamus, necnon omnibus, & ſingulis noſtræ congregationis fratribus, præſentibus, & futuris, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam trina canonica monitione præmiſſa ferimus in his ſcriptis, diſtrictè præcipimus, & mandamus, ne quis aliquas omnino pecuniarū, vel aliarum rerum quæſtas, ſub prætextu, & occaſione eundi[m] Hieroſolymam, per ſe, vel per interpoſitam perſonam facere præſumat, niſi duorum capitulorū congregationis in ſcriptis habita licentia ſpeciali. Quo caſu etiam ſub eiuſdem ſententię pœna præcipimus, vt omnes pecunias, ac res alias inde collectas, Diffinitorio, aut patri Vicario congregationis fideliter, & integrè præſentet, & conſignet. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

m ¶ Arg. ex Cō. Laodicen. c. non oportet. de conſ. diſ. 5.

Quomodo noua loca acceptari, ac ædificia fieri, & capellæ concedi debeant. *Rub.* 10.

¶ *In capitulo Montis Speculi omnium obſeruantiarum Italiæ.* 1449. *& Mantuano.* 1509. *Cap.* 1.

TAMETSI acceptandi noua loca nobis, & ordini

dini noſtro ſit ab apoſtolica ſede conceſſum, ne conceſſa nobis facultate abuti[a] videamur, vniuerſis, & ſingulis noſtræ congregationis fratribus, tam prælatis, quàm ſubditis, cuiuſcunq; gradus, aut conditionis exiſtant, diſtrictius inhibemus, ne locum nouum pro conuentu, aut membro conuentus noſtræ congregationis, abſque Diffinitorij licentia ſpeciali in ſcriptis habita acceptare præſumant. Nec etiam ipſe pater Vicarius congregationis id faciat, niſi fortè locus aliquis notabilis dignitatis, cuius receptio commodè ad capitulum vſque differri non poſſet occurreret. Et tunc etiam nō niſi de patrum Diffinitorum capituli tunc proximè celebrati, ac anni tunc currentis Viſitatorum, & aliquorum aliorum patrū circumadiacentium locorum, quos commodè habere poterit, conſilio[aa] poterit acceptari.

a ¶Greg. c. priuilegium. 11. q. 3. & ca. vbi iſta didiciſti. diſt. 74.

aa ¶Quia facilius inuenitur quod à pluribus ſenioribus, quæritur. ca. de quibus cauſis. diſt. 20.

¶ *Ex capitulo Florentino.* 1515. *Cap.* 2.

OMNES, & ſingulos fratres noſtræ congregationis, tam ſubditos, quàm prælatos, præſentes, & qui pro tempore fuerint: primo, ſecundo, & tertio: requirimus, & monemus, & eiſdem in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam hac trina canonica monitione præmiſſa ferimus in his ſcriptis, præcipimus, & mandamus, ne bona aliqua immobilia[b] noſtræ congregationis in genere, aut alicuius domus, ſeu loci noſtri in ſpecie: præſentia, vel futura, vendere, commutare, impignorare, aut infeudari, vel in emphyteoſim, ſiue affictum, vltra triennium dare, aut alicuius alienationis titulo obligare, vel contractui obligationis huiuſmodi, publicè votum ſuum præſtare, abſque Reuerendi patris Vicarij, aut Viſitatorum eiuſdem congregationis pro tempore exiſtentium, licentia in ſcriptis habita, etiam cuiuſcunque priui-

b ¶Ex Con. apud Siluanum. c. nulli liceat. de reb. eccle. non alie. ex Con. generali. c. ſi. eod. tit. ca. hoc conſultiſſimo. eod. tit. in 6. ca. non liceat. & ca. idignè. 12. q. 2. Paul. papa 2. in cōſtitut. de eo.

legij,

legij, ſeu indulti apoſtolici generalis, aut ſpecialis prætextu, quouiſmodo præſumant.

¶ *Ex capitulo Brixien.* 1485. *Cap.3.*

CAPELLAE[c] in eccleſijs noſtris, nemini concedantur, abſque Diffinitorij licentia ſpeciali in ſcriptis habita.

c ¶ Argu. in iuribus prox. allegatis.

¶ *Ex capitulo Caſalen.* 1501. *Cap.4.*

NVLLA fiant organa de nouo, neque facta mutentur, aut deſtruantur, vel alienentur, abſque Diffinitorij licentia ſpeciali in ſcriptis habita. Contrafacientes autem ex nunc, pœnæ grauioris culpæ adiudicamus per quindenam.

¶ *In capitulo Cremon.* 1469. *& Ferrarien.* 1494. *& Mantuano.* 1497. *& alio Cremon.* 1499. *Cap.5.*

VNIVERSIS Prioribus localibus, noſtræ congregationis, tam præſentibus, quàm futuris, ſub pœna priuationis officij mandamus, quatenus infra ſex menſes, poſtquam ad loca peruenerint, fieri faciãt bonos, & tutos carceres, cum compedibus, & alijs ad fugitiuorum[d] cuſtodiam neceſſarijs, pariter, & opportunis.

d ¶ Arg. ex Con. Bracharen. c. cum beatus. diſt. 45. c. à nobis. de apoſta. ex Con. Aurel. c. abbates. in fi. 18. q. 2. c. ſi in qualibet. 20. q. 2. Greg. c. ſi cuſtos. c. ſi homo eſſes. 27. q. 1. ex Cõ. Tribur. c. impudicas. ea. q. & cã.

Quomodo eligatur Procurator cõgregationis in curia Romana, & de officio, & auctoritate ipſius. *Rub.11.*

¶ *In capitulo Bonon.* 1491. *& Cremon.* 1492. *& Florentino.* 1493. *& Mantuano.* 1497. *& Cremon.* 1499. *& alio Cremon.* 1517. *Cap.1.*

STATVIMVS, & ordinamus, ꝙ Diffinitorium noſtræ congregationis ſingulo anno, Procuratorem[a] vnum congregationis in curia Romana inſtituat. Qui eam ſuper congregationem noſtram locaque, ac perſonas ipſius, & monaſteria monialiũ noſtrarum habeat auctoritatem, quæ hac Diffinitionũ compilatione exprimitur, & quam in mandato ſpeciali, quod eidem publico inſtrumento per Diffinitorium,

a ¶ In cap. ſaluator poſt med. 1. q. 3.

torium,aut Vicarium congregationis annuatim fieri ordinamus, ac etiam per ſpeciales literas prædictorum,necnon quæ per ſpecialia mandata,& commiſſiones capitulorum,conuentuum,ac monaſteriorum monialium noſtrarum, ac Priorum, Prioriſſarumq; eorundem,dari,& committi continget.Cauſas tamen congregationis generales,& ſpeciales,de cõſilio Prioris,de populo vrbis,pertractabit,& primum locum in conuentu,& in vrbe teneat poſt Priorem ſuum de populo.In alijs verò locis noſtræ congregationis,poſt Priorem loci,& ſuum ſi fortè affuerit.In capitulo autem generali noſtræ congregationis immediatè poſt patres omnes Diffinitorio aſſiſtentes, & vocem habeat in capitulo ipſo congregationis.

1 Ea propter vniuerſis, & ſingulis noſtræ congregationis fratribus,præſentibus,& futuris,tam ſubditis,quàm ſuperioribus diſtrictè præcipimus,ne quis abſque Reuerendi patris Vicarij congregationis licentia ſpeciali in ſcriptis obtenta, Romam accedere quouis quæſito colore præſumat.Et nihilominus cum huiuſmodi licentia accedentes,vel alias mittẽtes, quæuis negocia, vel cauſas, aut ſupplicationes congregationis,aut ſpecialium locorum,vel perſonarum,in curia Romana abſq; ſcitu conſenſu, & voluntate præfati Procuratoris,qui pro tempore fuerit,non audeat pertractare. Contrafacientes verò à Priore de populo vrbis, aut Procuratore præfato, vel alicuius ipſorum locumtenente, incarcerentur, aut alia pœna ipſorum arbitrio infligenda, prout caſus, aut ſcãdali materia exigere videretur, puniañ.

2 Volumus quoq;, quod ipſe Procurator per ſe, & Prior de vrbe etiam per ſe qui pro tempore erunt, poſſint apoſtatas[b] quoſcunque ad vrbem declinan-

b ¶Argu.in iuribus in ver.fugitiuorũ ſupra allegatis.

tes,

tes, ab excommunicatione quam propterea incurriſſent abſoluere,& alios fratres congregationis noſtræ etiam cũ licentia Reuerendi patris Vicarij congregationis diſcolos, & ſcandaloſos ſecundùm cõgregationis inſtituta carceribus[c] tradere,ac de ipſis extrahere,ſecundùm quòd diſcretioni eorum videbitur expedire.

c ¶Arg. in c. quamuis. de pœnis. in 6. & in c. ſi clericos. de ſent. excõ. li. 6.

¶ *In capitulo Mantuano.* 1509. *Cap.*2.

PROCVRATOR congregationis in curia Romana librum habeat, in quo computum,& rationẽ teneat,& ſcribat introituum, & expenſarum noſtræ congregationis in genere, quæ ad manus ipſius deuenient,ſimiliter de pecunijs,quas recipere eũ contigerit,pro generalibus, aut ſpecialibus cauſis, aut litibus conuentuum, vel perſonarum, quas in curia tractabit,ſcribendo nomina, & cognomina eorum, & cauſarum pro quibus receperit, & quibus, quantumve, ac cuius rei gratia dederit. Et de omnibus rationem reddat annuatim Reuerendo patri Vicario, ac Viſitatoribus congregationis, & annuatim ad Diffinitorium mittat ſummas introituum, & expenſarum, quas nomine congregationis in genere habuerit eo anno.

Quomodo fratres extra mitti debeant, & ad loca ſua pergere non differant. *Rub.*12.

¶ *Ex capitulis Mediolan.* 1471. *Cremon.* 1481. *Bonon.* 1491. *& alio Cremon.* 1492. *Floren.* 1493. *Ferrar.* 1494. *Annunciatæ heremi.* 1495. *Mantuano.* 1497. *Brixien.* 1498. *& alio Cremon.* 1499. *Cap.*1.

DIFFINIMVS, vt facto generali capitulo congregationis: fratres ad ſua loca pergere non differant[a] infra terminum de decem miliaribus pro dieta per Conſtitutiones aſſignatum. Neq; Priores, aut alij locorum ſuperiores aliquem fratrem de ipſorum

a ¶Sed in conuentu ſuo reſideant. ex Con. Later. c. quia nonnulli. de cler. non reſi. c. cõquerente. c. inter. c. cũ ad hoc. eo. tit. cle. ne i agro. §. eoſ ſ. in ver. prælatis eorum. de ſta. reg.

ſorum familia nō deputatum vltra tres dies retinere[b], nec frater aliquis ultra tres dies in aliquo loco remanere abſque ſui Prioris licentia ſpeciali præſumat. Contrafacientem uerò loci ſuperiorem, ab executione ſacerdotalis officij ſuſpēdimus[c], niſi coram fratribus capitulariter congregatis ſub pœna rebellionis præcipiat immoranti, ne immoretur. Rebellem uerò fratrem huiuſmodi actiua, paſſiuaq; uoce priuamus, & ab executione cuiuſlibet ordinis, & officij ex nunc ſuſpenſum eſſe pronunciamus, ac fratrum colloquio, & conuerſatione priuamus. Fratribus uerò ne rebelli communicent, per obedientiam præcipimus, & mandamus.

b ¶Ex Con. Agat. c. monacū. §. in monachis. 20. q. 4. ca. fraternitati. de cle. nō reſi. c. alienū. 19. q. 2. ex Cō. Cartag. 1. c. primatus. ex Con. Antiochen. c. nullū. diſ. 71. c. quā ſic. §. pariter. 18. q. 2. ex Con. Cartag. 4. ca. clericum alienū. diſt. 72.

c ¶Arg. ex Con. Calcedon. c. clericos. diſt. 71.

1 Et hāc diffinitionem cum cenſuris, & pœnis prædictis, ad quemcunque fratrem, qui quouis tempore extra locum ſibi per obedientiam deſignatū immorari, & ſuperiorem qui eum retinere præſumpſerit extendimus, niſi proprij ſuperioris habeat in ſcriptis pro legitima cauſa immorandi conceſſionem, aut caſus ægritudinis, aut magnæ, & euidentis neceſſitatis ratio eum excuſauerit.

Quomodo hoſpites tam extranei, quàm noſtræ congregationis fratres ad loca noſtra venientes, recipiantur. Rub. 13.

¶ *Ex capitulis Brixien. 1470. & Bonon. 1491. Cap. 1.*

HOSPITES noſtri ordinis, & alij religioſi domum ſui ordinis in loco non habentes, maximè autem monachi congregationis Caſſinen. alias ſanctæ Iuſtinæ, & Canonici regulares, iuxta facultatem locorum, & Conſtitutionum noſtræ congregationis formam, cum omni caritate, & humanitate ad hoſpitium recipiantur[a].

a ¶Arg. ex Con. Gangren. di. 42. c. quieſcamus. & ca. ſi qs. Greg. c. quia. §. ſi. 12. q. 1. August. c. nos eſt. 12. q. 2.

1 Hoſpitibus tamen præcipuè conuentualibus, nullus (portario, & foreſtarijs exceptis) ſine ſuperioris licentia, ſe iungat, uel loquatur, niſi fortè caſu obuiantes

uiantes ad interrogata breuiter reſpõdendo. Conuentuales autem non comedant in refectorio, cum fratribus noſtris, ſed in hoſpitio.

¶ *Ex capitulo Mantuano.* 1483. *Cap.2.*

VNIVERSIS noſtræ congregationis Prioribus, ac fratribus mandamus, ne fratres ſcandaloſos, in locis noſtris recipiant. Sed data eis refectione apud portam, ſi videbitur, eos ad ſuperiores remittant.

¶ *Ex capitulis Papien.* 1487. *Cremonen.* 1499. *& Bergomen.* 1500. *Cap.3.*

FRATRES noſtræ congregationis ad loca noſtra venientes, ſecundũ clauſtrum non intrent, nec ab aliquo introducantur, nec aliquis (portario excepto) cum eis loquatur, niſi prius obediẽtiæ ſuæ literas[b], vel licentiam oſtenderint, & ſuperior loci eam perlegerit. Prior autem loci de huiuſmodi fratrum vagatione memoriam in ſcriptis teneat, & Reuerendo patri Vicario, ac Viſitatoribus, aut Diffinitorio, ſi poſt viſitationem venerint, oſtendat.

b ¶ Argu. in iuribus in ver. retinere. ſupra allegatis.

1 Quicunq; verò ſuperior loci fratres ſine licentia venientes, retinere præſumpſerit, in pane, & aqua ſolùm, quamdiu eos retinebit, ieiunet.

¶ *Ex noſtræ congregationis conſuetudine, à ſede apoſtolica indulgentiarum priuilegijs decorata.* *Cap.4.*

HOSPITIBVS, præcipuè verò noſtræ congregationis fratribus, ac aliorum ordinũ religioſis, ſi de longè venerint, aut alias feſſi fuerint, foreſtarij, caritatiuè pedes[c] lauent, dicentes pſal. Miſerere. aut De profundis. cum Gloria patri. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſ. Kyrie eleiſ. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Saluos fac ſeruos tuos. Deus meus ſperantes in te. Mitte eis dñe aux. Et dé Sion. Dñe exaudi orationẽ meã. Et clamor me. Oremus.

c ¶ Arg. ab exemplo Gene. c.18. & 19. Ioan. c.13.

M Om-

OMnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulis tuis, & quicquid eis in via ſurripuit viſus, auditus, vel cogitatus malæ rei, aut ocioſi ſermonis, totum ineffabili pietate abſterge. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.

¶ Et tunc omnes lotioni huiuſmodi, vt præfertur, tam actiuæ, quàm paſſiuæ intereſſentes, ſeptem annos, & totidem quadragenas indulgentiarum quotiens id fecerint, ex conceſſione ſedis Apoſtolicæ ſinguli conſequentur.

Quomodo fratres noſtræ congregationis, ſtudio literarum intendere debeant. *Rub.* 14.

¶ *Ex capitulis Mediolan.* 1461. *Vitelliã.* 1462. *& alio Mediol.* 1466. *Cremon.* 1469. *& Bergomen.* 1488. *Cap.* 1.

QVONIAM ignorantia[a] cunctorum errorum mater eſt, ex quibuſlibet bonarum literarum ſtudijs fructus eligentes, diffinimus, & ordinamus, quod in ſingulis noſtræ congregationis locis, quantum locorum diſpoſitio, & fratrum idoneitas valebit, fratres ſtudio[b] literarum cõpendioſè intendant, & circa illius facultatis ſtudiũ ſe exerceant, ad quod Dei dono fuerint magis idonei. Ad quod etiam Priores eos cum effectu inducere non omittant, Grammaticæ[c] præſertim, & caſibus conſcientiæ adipiſcendis generaliter inuigilantes, maximè verò ſummis, ac doctrinarum compendijs quantum expediat inhærentes, iuxta literarum recolendæ memoriæ Reuerendiſſimi D.D. Alexandri de Saxoferratæ S.Rom. Eccl. Cardinalis tituli ſanctæ Suſanæ tenorem, quas venerandæ memoriæ patres in Chriſto fratres Auguſtinus de Crema, & Paulus de Bergomo, pro forma ſtudiorum in noſtra congregatione introducendorum, ad Reuerendiſſimam dominationem ſuam, ſpecialiter miſſi portauerunt, quæ etiam in communi

a ¶ In Cõ. Tolet. diſ. 38. c. ignorantia.

b ¶ Arg in c. qui eccleſiaſticis. diſ. 36. Ambro. in c. turbatur. 1. q. 4. Hieron. cap. nunquam. de conſ. diſt. 5.

c ¶ Arg. in c. ſi quis artem. diſt. 37. ca. qui de menſa. ea.

nī cōgregationis archiuo in conuentu noſtro Cremæ ſeruantur.

1 In conuentu autem Cremæ, primo noſtræ congregationis loco, tum Grammaticæ, tum Logicæ, tum Philoſophiæ, ac Teologiæ[d], aut plurium, vel aliquarum huiuſmodi facultatum, iuxta fratrum idoneitatem, ſtudium vigeat[e] in perpetuum. Similiter vbi ſunt ſtudia generalia Romæ videlicet, Bononiæ, Ferrariæ, Papiæ, Taurini, Mediolani, quoque Ianuæ, Mantuæ, Cremonæ, Brixiæ, Bergomi, & in cæteris noſtræ cōgregationis ad id aptioribus locis.

2 Verum virtutibus humiliter ſtudentes, & fratres noſtros doctos potius, quàm doctores fieri præoptantes, nolumus, imò præſenti diffinitione prohibemus ne quis, quacunque doctrina fulgeat, magiſterij[f], aut baccalariatus gradum recipiat. Quod ſi quis, vt aliquo huiuſmodi gradu decoraretur, congregationem noſtram egrederetur, is etiam ita graduatus, à nullo vnquam Diffinitorio in eadem amplius recipiatur.

d ¶Arg. in ca. ſuper Specula. de magi.

e ¶Arg. in regu. ibi codices certa hora. arg ex Con. generali. c quia nōnulli. de magi. cle. ne ī agro. § ad amplia tionē. de ſtat. reg. ca de quibuſdam. ca relatum. diſ. 37. exemplum in Aug. in c. ſi habes. ante mediū. 24. q. 3.

f ¶Argum. ex dicto Chriſti. Nolite vocari rabbi. Matth. 24.

¶ *In capitulo Cremen.* 1452. *Cap.* 2.

NVLLVS frater noſtræ congregationis ſtudio alicuius ſcientiæ intendere, & vacare poſſit, niſi prius totum officium diurnum pariter, & nocturnum, cum cantu eccleſiaſtico, ſecundùm vſum curiæ Romanæ, & noſtræ congregationis mores, opportunè didicerit.

1 Eum autem, qui vigintiquinque annos ætatis exceſſerit, ad adiſcenda Grammaticæ rudimenta, ineptum pœnitus iudicamus.

¶ *In capitulo Ferrarien.* 1451. *Cap.* 3.

AD ſtudium illi dumtaxat mittantur, quorum humilitas, & ſufficientia, à Priore, & fratribus

conuentus ſui laudata fuerit, & per Diffinitorium, aut patrem Vicarium congregationis approbata.

¶ *In capitulo Ferrarien.* 1502. *Cap.* 4.

SI ad lectionem in conuentibus noſtris aliquando ſæculares de gratia ſpeciali admitti contingat, finita lectione remittantur, nec diſputationibus fratrum interſint, nec illis fiant circuli vllo modo.

¶ *Ex capitulis Bonon.* 1476. *& Cremon.* 1499. *Cap.* 5.

NEMO cuiuſcunque gradus, aut dignitatis fuerit, ſine patris Vicarij congregationis licentia ſpeciali in ſcriptis habita, alicuius litigioſæ cauſæ in foro exteriori decidendæ cõmiſſionem accipiat.

g ¶ Arg. ex Con. Cartag. 1. c. peruenit. 21. q. 3. ex Cõ. Cartag. 4. ca. placuit. & 4. c. ſeq. ead. ex Con. Tarracon. c. monachi. el 2. 16. q. 1.

De moribus componendis, & modeſtia fratrum. Rub. 15.

¶ *Ex capitulis Cremon.* 1469. *& Bonon.* 1491. *Cap.* 1.

FRATRES omnes iuxta regulam, & noſtræ congregationis mores, & inſtituta inuita, & bonis moribus[a], intus, & foris, ſint conformes[b].

a ¶ Aug. in regu. ibi in iceſſu &c. & c. his igitur. diſt. 23.
b ¶ Arg. ex Con. Bracharen. c. placuit. diſ. 12. ex Con. Toletan. 11. c. de his. ea. ex Conc. Agat. c. conuenit. de cõſec. diſt. 5.

¶ *Ex capitulis Brixien.* 1470. *& Cremon.* 1477. *Cap.* 2.

FRATER fratrem non nocet, niſi proprio nomine, nec alicui dicat tu, ſed vos. Contrafacientes verò ſtatim manum ponant in terra, pectuſque percutiant, dicentes meam culpam.

¶ *Ex capitulis Mediol.* 1450. *& Mantuano.* 1472. *Cap.* 3.

QVILIBET frater etiã ſacerdos quandocunque à ſuperiore corripitur etiam, ſiue in culpa illa fuerit de qua corripitur, ſiue non, ſtatim humiliter genuaflectat nihil dicendo. Si autem quid reprehenſibile propter quod corripitur fecerit, ſtatim pectus ſuum percutiens, dicat. Dico meam culpam. Et ſi interrogatus à ſuperiore fuerit, reſpondeat veritatem. Similiter quando ſe inuicem inuenientes viſitant fratres, genuaflectant ſe inuicem

religioſè

religioſè amplexantes, & minores maioribus præcipuè ſi prælati, aut ſacerdotes exiſtant, manus deoſculantes.

De modo celebrationis capituli generalis noſtræ congregationis. Rub. 16.

¶ *Ex capitulo Caſalenſi.* 1519. *Cap.* 1.

SVMPTIBVS immoderatis[a], qui ꝑ celebratione capituli generalis noſtrę congregationis importabiles contingunt prouidere volentes, diffinimus, & ordinamus, ꝙ infraſcripti tantum poſſint ad capitulum congregationis venire ſingulo anno, & in loco capituli ſuſtentari expenſis loci, & quicunq; aliter venerit, non pernoctet in loco, niſi prius ſoluat ducatum auri largum pro ſingula perſona, & ſingula æquitatura, videlicet.

a ¶ Arg. in Con. generali. c. in ſingulis. in prin. de ſta. reg. & c. felicis. §. verum. de cenſur. in 6.

1 Reuerendus pater Præſidens capituli, cum vna æquitatura, & ſocio pedeſtri. Reuerendus pater Vicarius congregationis cum patre ſocio, & vno ſeruitore, & tribus æquitaturis. Quatuor patres Viſitatores, ſi tunc Priores non erunt cum quatuor æquitaturis, & duobus ſeruitoribus pedeſtribus. Procurator congregationis in curia Romana, cum vna æquitatura, & vno ſeruitore pedeſtri.

2 Priores omnes, cum ſuis diſcretis quibus non eſt prohibitum, ex forma Conſtitutionum, vel Diffinitionum ducere diſcretos, cum ſingulis ipſorum æquitaturis.

3 Item prædicatores, & viri docti, licet alias vocales non eſſent, qui pro prædicatione, & diſputatione, ac miniſtri pro expeditione capituli, qui de man dato Reuerendi patris Vicarij generalis in ſcriptis habito, ad capitulum acceſſerint cum ſingulis ipſorum æquitaturis.

4 Item, quòd quicunq; prædictorum, à loco capi-

tuli non fuerint diſtantes vltra quinquaginta miliaria, poſt diem quietis in loco capituli, remittant æquos, & ſeruitores ad domos ſuas, in fine capituli reuerſuros. Aliter ſoluant ducatum, vt præfertur.

5 Prior autem loci capituli generalis, de idoneo, & ſufficienti numero prouideat[b] ſeruitorum, qui æquitaturas prędictas commodè valeant gubernare. Cęteris nihilominus ordinationibus circa acceſſum ad capitulum alias editis, cum ſuis pœnis, & cenſuris in ſuo robore permanentibus.

[b] ¶Arg. in c. qm. §. porrò. diſt. 18.

¶ *Ex capitulis Floren. 1493. & Cremon. 1499.* *Cap. 2.*

DIFFINIMVS, & ordinamus, quòd loca noſtræ congregationis non habentia decem fratres profeſſos, diſcretum non mittāt ad capitulum. Neque fratres de familia non deſignati per capitulum, aut per patrem Vicarium congregationis, vel per Viſitatores. Neque illi qui deſignati forent, niſi pro maiori parte anni de familia loci fuerint, vocem habeant in electione diſcreti, aut Vicarij, aut Prioris loci illius anno illo. Prædicatoribus ordinariè deputatis dumtaxat exceptis, quos in omni capitulo conuentuali loci, in quo, vel cuius quæſta, aut nomine prædicabunt, vocem habere volumus quamdiu ibi erunt, ita tamen ꝙ in electionibus diſcreti, & Priorum in altero tantum, ſuæ videlicet conuentualitatis, aut prędicationis, quo ipſi maluerint loco, vocem eo anno habeant actiuā, non autē in pluribus[c].

[c] ¶Arg ex Cō. generali. ca. ne nimia. § fi. de reli. domi. ex eod. Conc. c. de multa. de præben. c. cū noſtris. & ca. literas de conceſ. præbē. ex 7. Syno. c. clericus. 21. q. i. ex Con. Calced. c. clericum. ca. c. cōſtitutis. in fin. de elect.

¶ *Ex capitulo Mantuano. 1497.* *Cap. 3.*

ELECTIONES Priorum, & aliorum officialium noſtræ congregationis, iuxta Conſtitutionum noſtræ congregationis formam per ſecretum ſcrutinium ita fiant, ꝙ nullus alta[d] voce, ſed ſolis Scrutatoribus audientibus, & intelligentibus, & per vota certa, & non alternatiua, aut conditionata fiant.

[d] ¶Ex Con. generali. c. quia propter. de elect. ca. in electionibus. eod. tit. in 6.

Con-

Contrafacientes verò actiua voce, ea vice priuatos eſſe declaramus.

¶ *Ex capitulis Papien. 1506. & Mediolan. 1511. Cap. 4.*

VNIVERSIS noſtræ congregationis fratribus, præſentibus, & futuris, ſub pœna carceris præcipimus, & mandamus, ne quis[e] (dumtaxat exceptis, quos pro tempore, vocales eſſe contigerit) ſine ſpeciali Reuerendi patris Vicarij, aut Viſitatorũ licẽtia in ſcriptis habita (quã ſine cauſa rationabili in ea expreſſa non concedant) ad capitulũ noſtræ congregationis generale accedere præſumat. Et nihilo minus aliter accedentes, actiua, paſſiuaq; voce priuamus per annum, & alias, ad Reuerendi Diffinitorij arbitrium circunſtantijs attentis, puniantur.

e ¶ Arg. à cont. ſenſ. ex Con. generali. c. in ſingulis. in prin. de ſta. reg.

¶ *In capitulo Mediolan. 1511. Cap. 5.*

VNIVERSIS Prioribus locorum noſtræ congregationis, quæ Reuerendiſſimo patri Priori generali noſtri ordinis collectam ſoluere tenentur, tam præſentibus, quàm futuris, præcipimus, & mandamus, vt ſingulo anno, totam pecuniæ quantitatẽ, quam pro collecta ſoluere tenentur, ad capitulum portent, aut mittant. Alias autem priuentur officio Prioratus.

¶ *Ex capitulis Mediolan. 1511. Vercell. 1512. Sauilian. 1513. Floren. 1515. Caſalen. 1519. & Bon. 1491. Cap. 6.*

NVLLI duo fratres eiuſdem diœceſis ſimul, quibuſuis titulis Diffinitorio capituli generalis noſtræ congregationis adeſſe poſſint, excepto, ꝙ tam de diœceſi loci in quo capitulum ipſum celebraretur, quàm de diœceſi Prioris loci ipſius, etiam ſi de aliena diœceſi à loco ipſo, Prior eſſet, Diffinitorem elegi poſſe, non prohibemus, licèt de eadem diœceſi Vicarius, aut Viceuicarius congregationis, aut Præſidens eiuſdem capituli, vel aliquis Viſita-

tor eidem Diffinitorio adeſſe haberet.

1 Cæterum electionem Reuerendi patris Vicarij noſtræ congregationis ab hac diffinitione, adeò liberam[f] eſſe volumus, ꝙ de quacunq; diœceſi, eũ eligi poſſe non prohibemus, ſiue de eadem diœceſi alter quiſpiam pro Præſidente, aut Vicario, vel Viceuicario cõgregationis abſoluto, aut Viſitatore Diffinitorio affuerit, ſiue non. Vicarium tamen cõgregationis abſolutum, ad huiuſmodi Vicariatus officium vſq; ad quinquennium ex tũc proximè futurum excluſiuè, ineligibilem volumus permanere.

f ¶ Sicut ſponſi carnalis c cum locũ. de ſponſa.

¶ *Ex capitulis Mediolan. 1406. & Mutinen. 1514. Cap. 7.*

NVLLVS in Priorem eiuſdem conuentus ſucceſſiuè, immediatè vltra triennium[g] eligi poſſit, aut inſtitui, vel confirmari. Quod declarantes ſic duximus intelligendum, ꝙ quicúnq; etiam infra annum, alicuius loci noſtrę cõgregationis Prior fuerit inſtitutus, poſt trinam eius abſolutionem, ab huiuſmodi officio in capitulo generali factam, triennium ipſum compleſſe intelligatur. Quæ omnia de Vicarijs conuentualibus ſimiliter volumus obſeruari.

g ¶ Quia regulares ſunt amouibiles. c. qualiter, & qñ. el 2. §. fi. de accu. arg. in cap. ad noſtram. & ca. porrecta. de cõfir. vtili. c. cum ad monaſterium. §. abbas. de ſta. reg. ex Con. Lateran. c. monachi. §. priores. eo. tit.

¶ *Ex capitulo Mediolan. 1511. Cap. 8.*

NVLLI duo Priores eiuſdem diœceſis, in eodẽ conuentu alienæ diœceſis à ſua ſucceſſiuè immediatè in Priorem eligi poſſint à conuentu, nec à Diffinitorio, vel alias inſtitui, vel confirmari.

¶ *Ex capitulis Mediolan. 1450. & Brixien. 1498. Cap. 9.*

FRATRVM mutationes[h] in capitulo generali noſtræ congregationis ſine cauſa rationabili aſſignata, & à Diffinitorio approbata non fiant.

¶ *Ex capitulis Cremen. 1504. & præſenti. 1521. Cap. 10.*

PRAECIPIMVS, vt literæ Reuerendiſſimi D. D. Pauli Heleapolitani Epiſcopi tenoris infraſcripti perpetuò obſeruentur[i], vt ſonant, videlicet.

h ¶ Arg. in c. ne religioſi. in princi. de reg. & tranſ. ca. vt periculoſa ne cle. vel mona li. 6. cle. ne ĩ agro. § eorũ. ver. prælatis eorũ. de ſta. regu. c. epiſcopi. diſt. 72.

i ¶ Arg. Greg. in ca. vltima voluntas. 13. q. 2.

Tanta

TAnta antiquos patres veſtros ornatiſſimę veſtræ cõgregationis fundatores, ob religioſam eorum conuerſationem, ac ſingularium virtutum ſplendorem amplexus ſum caritate (Reuerendi patres) vt eorum adueniente obitu dimidium animæ meæ, ſublatum cognouerim. Attamen illos cœleſtibus fruentes epulis nõ ambigens, eorũ lætitia lętus, & pro illis conceſſa gloria iucundus efficior. Vtque eorum interuentu dignus fierem, me meaq; omnia digniſſimæ per illos plantatæ cõgregationi iampridem ingenti gaudio dedicaui, iugi mẽtis meæ cogitatu reuoluens, qualiter pro ſuis de me meritis, gratum repẽdere poſſem obſequium. Et ſi multum ſingulis dare conuentibus nequiuerim, aliquid tamen dare decreui, vt per humanitatem multis exhibitã, multorum valeã precibus adiuuari. Quare inter cætera de anno 1490. de pecunijs meis aſcendentibus ad ſummam librarum mille datis, & donatis congregationi veſtræ in titulo venditionis, ad liuellũ perpetuum, in territorio Cremonenſi, à nobili dño Petro de Regio empta fuit quædam proprietas, & poſſeſſio perticarum ſeptuaginta, per fratres Teophilum, & Seraphinum de Cremona procuratores, vt patet Inſtrumento rogato per Philippum de Crotis notarium Cremon.

1 Item ex denarijs meis, ſcilicet mille alijs libris exburſatis de anno 1502. empta fuit alia proprietas in territorio Cremon. à ſpectabili viro dño Galeatio de Ponzonibus per fratres &c. videãtur Inſtrumenta notariorũ. Nam in illis duabus emptionibus clarè habetur, ꝙ centum libræ omni anno per Priorem conuentus Cremonæ ad capitulum portẽtur, & exburſentur in Diffinitorio librę centũ, ſine aliqua exceptione. Quibus exburſatis, voluntatis meæ eſt, vt in-

incipiendo proximo ſequenti capitulo, & deinceps ſingulis annis per Diffinitorium, ſic diſtribuantur, videlicet. Primò in loco vbi capitulũ celebrari contigerit, libræ quinque imperialiũ. Priori, vel diſcreto conuentus Cremonæ, libræ quinque. Priori, vel diſcreto conuentus Tollentini dentur libræ quinq;. Item eidem Priori, vel diſcreto conuentus Tollentini dentur aliæ libræ quinq;: vt aſſignent ipſas Priori, & conuentui ſancti Geneſij vnde ſum oriundus. Itaq; ex iſtis cẽtum libris dentur in perpetuum iſtis quatuor cõuentibus, vt ſupra. Reſiduum, quod ſunt octoginta libræ, diſtribuatur per Reuerendos dominos Vicarium, & Diffinitores, per omnes alios conuentus congregationis per rotulum, ideſt cum ſint quinquagintaocto conuentus, excluſis iſtis duobus, ſcilicet Cremonæ, & Tollentini, dentur decem conuentibus libræ octo imperialium ſingulo anno. Nec volo locum Enzaghi ab hoc excludi rotulo, cui loco valdè afficior, aliaque gratis dedi. Et cum omnes conuentus ſecũdùm portionem ſupraſcriptam, elemoſinam ipſam habuerint, reincipiatur à capite, nec habeatur reſpectus ad paruos, vel magnos conuentus, ſed æqualiter detur. Cum autem in conuentu, qui in rotulo acciderit, capitulum celebrabitur, dentur octo libræ, & non quinque. Hoc igitur anno elemoſyna ipſa per Diffinitorium dabitur infraſcriptis conuentibus, & locis, ſcilicet. Conuentui S. Mariæ Coronatæ Mediolani. Conuentui Rhaudæ, loco Enzaghi, Papiæ, Terdonæ, Alexandriæ, Bergomi, Rumani, Nimbrij, & Leminis conuentibus.

2 Quare obſecro vos Reuerendos patres Diffinitores, & qui pro tẽpore fuerint, imponatis Prioribus, & conuentibus, qui elemoſynam, vt ſupra dixi, receperint ſecundùm rotulum, vt ex ſui caritate, vnum

an-

annuale faciant in eccleſijs ſuorum conuentuum,& miſſas triginta ſancti Gregorij celebrent dũ vixero pro anima mea, & pro defunctis meis, & benefactoribus, dicendo orationes conſuetas, ſcilicet pro me. Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere. vel. Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo. Et pro defunctis meis, & benefactoribus. Deus veniæ largitor. Poſt mortem autem meam annuale faciant pro me, & dies obitus mei notetur in tabula cuiuſcunque conuentus, & celebrent pro me miſſas ſancti Gregorij triginta.

3 Si autem aliquis caſus magnæ neceſſitatis aduenerit, pro vniuerſali totius cõgregationis bono, volo congregationem ipſam dictis pecunijs poſſe vti, imponendo tamen fratribus ex ſui caritate, dictas miſſas, & annuale, vt ſupra. Quos etiam fratres, nolo latere caſum, & indigentiam ipſius congregationis, pro quo ſiue quibus pecuniæ iam dictæ expendendæ erunt.

4 Et ne deuotio mea, quam ad ſocietatem, & congregationem veſtram habeo: ſpe, & deſiderio ſuo priuetur, ſupplico, & exoro Reuerẽdos patres Diffinitorij, qui pro tempore erunt, vt ſi qui conuentus (quod tamen euenire non credo) recepta elemoſyna, annualia, & miſſas non fecerint, nec dixerint, data elemoſyna priuentur, quæ alijs conuentibus, qui quod voluntatis meæ extitit adimpleant, diſtribuatur. Valete patres Reuerẽdi eumq; qui ſe, & ſua omnia vobis dedit, iugi veſtra prece apud Deum, fouete. Mediolani decima Aprilis 1504.

Ego Paulus Eps̃ ſuperius nominatus licèt indignus, & confrater, & dictę congregationis deuotus, rogo, & humiliter deprecor patres Reuerendos Vicarium, & Diffinitores, vt hæc ſupraſcripta, executioni

tioni mandare velint,& ad cautelam,cum impreſſione ſigilli propria manu ſubſcripſi.

De officio,& auctoritate Reuerendi patris Vicarij generalis,ſocij ſui, ac patrum Viſitatorum noſtræ congregationis. Rub. 17.

¶ *Ex capitulo Cremen.* 1521. *Cap.*1.

a¶De elec.c.vbi periculum. §.præterea.de ita.reg.lib. 6. c.periculoſo.§. fi.in prin.

QVONIAM vanum[a] eſſet condere leges, niſi ſit qui eas faciat obſeruari, Conſtitutionem, quæ de officio, & auctoritate patris Vicarij noſtræ congregationis dicit.

1 Qui de obſeruandis ordinationibus in omnibus, & ſingulis plenam auctoritatem habeat diſpēſandi. Vnde, & illud quotidianū in fine Diffinitionum cuiuſlibet capituli generalis ſumitur, videlicet.

2 Omnia demum,& ſingula ponimus in pectore,arbitrio,& voluntate Reuerendi patris Vicarij noſtrę congregationis. Declaramus,& pronunciamus expreſsè,non eſſe intentionem legiſlatorū,quòd propterea Vicario congregationis data ſit effrenis, ac licentioſa libertas ad ea omnia,aut illorum ſingula, quæ tanta patrum maturitate digeſta ſunt,& diffinita facillimè,& ſine cauſa,ac ſola libidine voluntatis deſtruenda.Quia ſi vnus[b] eſſet ędificans,& alter deſtruens,non prodeſſet,niſi labor.Sed hac potius diſtinctione Conſtitutionem huiuſmodi intelligimus, quòd vbi Vicario cōgregationis ſpecialiter aliquid prohibetur,vt eſt illud in Conſtitutionibus.

b¶Eccleſiaſt.ca.34.

3 Fratrem aliquem de loco ad locū ſine manifeſta, & euidenti neceſſitate nō mutet, nec eundi ad capitulum congregationis ſine manifeſta cauſa, licentiā alicui concedat. Et illud. quòd nullum à congregatione noſtra extraneum præſertim eorum qui à congregatione quauis ex cauſa receſſerunt in eadem recipiat.

Et

4 Et ſimiliter vbi in Conſtitutionibus, aut Diffinitionibus, qualiter aliquid facere debeat certa, & determinata illi forma præfigitur, ſicut eſt illud in Cõſtitutionibus.

5 Quòd quando Vicariũ congregationis extra ipſam congregationem, aut vltra montes Apenninos ire contigerit, fratrem vnum diſcretum, & expertũ, ac ſcientem ſufficienter loqui latinum, in congregatione ipſa in Lombardia Vicarium, ſeu locumtenentem relinquat.

6 In his, & ſimilibus nihil ſibi ſpecialiter prohibitum facere, vel attentare, aut formam[c] ſibi in agendis præfixam excedere, vel mutare, aut ab illa recedere, præſumat.

7 Vbi verò in Conſtitutionibus, aut Diffinitionibus aliquid generaliter ſtatutum, vel diffinitum, prohibitum, ordinatum, vel mandatum exiſtit, licèt oppoſitum generaliter ſtatuere[d], vel præcipere, aut mandare non poſſit, in particularibus tamen caſibus, & cum priuatis perſonis, collegijs, & conuentibus ex cauſa[e] rationabili, quæ ſcilicet, magis, vel æquæ benè in intentum finem Conſtitutionis, uel Diffinitionis illius duceret, quæ ſemper in dubio præſumenda eſt in prælato, pro publico, uel priuato congregationis bono iuxta mentem[f] legiſlatorum, qui ſi caſum huiuſmodi præuidiſſent, à generali utiq; Conſtitutione, & Diffinitione ueriſimiliter excepiſſent per uirtutem epicheam, quæ alias bona æquitas, & legis interpretatio, ac diſpenſatio dicitur, prouidè diſpenſare poterit, & debebit.

8 Et hanc declarationem prædictę Conſtitutionis. De officio, & auctoritate Vicarij congregationis, tenor ſatis innuit pro eo, quòd poſt præmiſſa uerba ſtatim ſequitur ſic.

c ¶Arg. in c. cũ dilecta. de reſcrip.

d ¶Arg. in c. ridiculum eſt. diſt. 12. & in cap. priſcis. in prin. diſt. 55.

e ¶Arg. in c. fraternitatis. & c. lector. diſt. 34. c. cenomanenſem. in princ. diſ. 56. c. & ſi illa. § prin. 1. q. 7. c. ordinationes. §. qui verò. 19. q. 1. & c. peruenit & c. preſbyteros. diſt. 95.

f ¶Arg. Greg. in ca. humanæ. in prin. & §. 1. 22. q. 5. ca. marchion. 1. q. 1. Aug. c. ſedulo. diſ. 38. Aug. cap. paratus. 23. q. 2. c. propterea. de ver. ſig. c. intelligentia. de eo.

9 Faciat tamen Conſtitutiones, quæ diſpenſationem prohibent inuiolabiliter ab omnibus obſeruari, & infra. Habeat quoque Vicarius generalis Conſtitutiones, quas obſeruet &c. Et ferè omnia per ipſum agenda ad formam referat Conſtitutionum. Et quæ de Cōſtitutionibus dicta ſunt, ſimiliter de Diffinitionibus ſuo modo intelligimus, & uolumus obſeruari. Cui declarationi, quam etiam in ſtatutum redigimus omnes uolumus aſſentire.

¶ *Ex capitulo Cremenſi.* 1521. *Cap.2.*

ITEM conſtitutionem, quæ in 28. capitulo Conſtitutionum cōgregationis habetur. Quod quocunq; caſu, officio Prioratus uacante, niſi fratres loci infra menſem Prioris electionem celebrauerint, aut ſi perſonam ſecundùm iudicium Vicarij congregationis non idoneam, licèt ſecundùm eorum iudicium idonea uideretur, aut perſonam quam habere non poſſent elegerint, tunc, & eo caſu auctoritas, & poteſtas prouidēdi de Priore loci huiuſmodi, ad ipſum Vicarium congregationis deuoluatur. taliter duximus declarandam, uidelicet.

1 Quòd eo caſu, de cōſilio patrum Viſitatorum, ac etiā maioris partis, ſi cōmodè haberi poterunt, aut ſaltem duorū, uel trium de ſenioribus patribus, qui fuerunt in Diffinitorio capituli cōgregationis tunc proximè celebrati, idem Vicarius generalis de huiuſmodi Priore debeat prouidere. Et quia ſalus[g] eſt, ubi multa cōſilia plurium etiam patrum Diffinitorij eiuſdem, ac aliorum quos cōmodè habere poterit, conſilium Vicarius ipſe requirat, qūcunq; locis noſtris, qui maioris ponderis eſſent prouidendū foret.

g ¶Prouerb.c.11.

¶ *In capitulo Comen.* 1463. *Cap.3.*

DIFFINIMVS, quòd Reuerendo patri Vicario congregationis ſocius, & ſcriba aſſignetur à Diffi-

à Diffinitorio, qui uocem habeat in capitulo generali,& ubiq; primum locum teneat poſt Priores.

¶ *In capitulo Annunciatæ heremi.* 1478. *Cap.4.*

DIFFINIMVS, quòd conuentus Cremæ primus noſtræ congregationis locus, præcipua ſit habitatio Vicarij congregationis, niſi Diffinitorium alium ſibi ſpecialiter aſſignauerit, aut ipſe ſibi alium elegerit.

¶ *Ex capitulis Terdonen.* 1455. *Sauonen.* 1466. *& Bergomen.* 1500. *Cap.5.*

VOLVMVS, ꝙ Reuerendus pater Vicarius cõgregationis, vnà cum patribus Viſitatoribus collectam[h] diſcretam ab omnibus locis noſtrę congregationis caritatiuè exigere poſſint, ſicut diſcretioni eorum opus eſſe videbitur, quando ex cauſa rationabili, & manifeſta, expenſæ aliquæ pro ipſa congregatione in genere neceſſarię faciendę erunt. Et tunc in libro congregationis diſtinctè ſcribant, quid, quantum, à quibus, & propter quã cauſam receperint,& expenderint. Et in ſequenti capitulo, omnium receptorum, & expenſarum huiuſmodi, & de quibuſcunque alijs infra annum eorum tempore viſitationis ſibi datis, & expenſis idem Vicarius, & Viſitatores, rationem reddant Diffinitorio.

h ¶ Arg. ex Con. Gabilon. c. cauendũ. 10.q.3. cap. ſacerdos. 1.q.2.

¶ *In capitulo Florentino.* 1515. *Cap.6.*

SACRORVM canonum[i] veſtigijs inhærẽtes, diffinimus, & mandamus Reuerendis patribus Vicario,& Viſitatoribus noſtræ congregationis, ac ſocijs eorum, præſentibus, & qui pro tempore fuerint, vt officijs eorum durantibus, nihil omnino muneris à fratribus, aut monialibus noſtrę cõgregationis exigant, vel recipiant, pręter procurationẽ,& conſueta ſubſidia, quę conuentus fratrum,& monaſteria monialium, peracta viſitationę dare conſueuerunt.

i ¶ In Cõ. generali. c. exigit peruerſorũ audacia. §. conſtitutionẽ. de cẽſi. in 6. c. romana. §. procurationes. ad dito §. fi. eo. tit. & lib.

De

¶ *In capitulo Vitellian.* 1516. *Cap.* 1.

STATVIMVS, & ordinamus, quod ſi quis fratrũ noſtrorũ pertinaciter aſſerere præſumpſerit, Priores, vel alios ſuperiores religionis non poſſe præcipiẽdo prohibere, & imperare ſubditis ſuis, ita quòd ſubditi honeſtis, & rationabilibus ſuperiorum ſuorum præceptis de neceſſitate[a] ſalutis obedire teneãtur, tanquam de hæreſi, aut pernitioſo ſciſmate ſuſpecti, per Priores ſuos incarcerentur, & ſancto Officio denuncientur. Si verò ſuperiores fuerint, eo ipſo ſint officio priuati. Et poſt dignam correptionem ad arbitrium Vicarij generalis noſtræ congregationis expletam, ne cõtagione peſtifera plurimos perdant, de noſtra congregatione proijciantur[b].

a ¶ Aug. in regu. ibi præpoſito tanquã patri. de maior. & obe. c. in eccleſiis. de ſta. regu. c. cum ad monaſteriũ. §. abbas. Greg. c. ſciẽdum. 8. q. 1. ex Cõ. Aurel. ca. abbates. el 1. & 2. 18. q. 2. c. ad aures. de tempo. ordin.

b ¶ Aug. in reg. & ĩ d. c. cũ ĩ eccleſiis. de maio. & obed.

¶ *Ex capitulis Cremen.* 1452. *& Alexandrino.* 1473. *Cap.* 2.

OMNIA officia[c] conuentus (Vicario, Procuratore, & Sacriſta, dumtaxat exceptis) in arbitrio Prioris ad nutum committenda relinquimus, & auferenda.

c ¶ De ſta. reg. c. cũ ad monaſteriũ. §. tales. & §. abbas.

¶ *Ex capitulis Cremen.* 1452. *Terdonen.* 1455. *& Mediolan.* 1456. *Cap.* 3.

PRIOR loci cuiuſcunque noſtræ congregationis, vbi monaſteria monialium noſtrarum eſſe contigerit, confeſſore ipſarum abſente, aut alias infirmitate, vel alio canonico impedimento detento, in abſentia patris Vicarij congregationis eiuſdem, niſi ipſe pater Vicarius aliter ordinauerit, per ſe, vel per alium, ex confeſſoribus ſibi de familia deputatis de ſpirituali patre, qui eiſdem monialibus interim ſacramenta miniſtret, poteſtatem habeat prouidendi. Similiter, & vtriuſque ſexus mantellatis, niſi per capitulum generale prouiſum fuerit, necnõ lai-

cis mulieribus, quæ monialium, aut mantellatarum noſtrarum habitum perſeueranter deſiderarent, ſi cum fratribus noſtris interim ſua peccata confiteri voluerint. Prior loci aliquem prouidum, & maturũ patrem, & confeſſorem aſſignet, qui etiam ipſas de his quæ ad ſtatum quem affectauerint pertinẽt, cum omni integritate, & modeſtia informabit.

¶ *Ex capitulis Mediolan.* 1475. *& Caſalen.* 1501. *& ex additionibus Thomæ de Argentina. c.*29. *Cap.*4.

QVILIBET Prior inuentarium[d] faciat omniũ, & ſingulorum librorum ſui conuentus, fratribus ad priuatum vſum, pro tempore conceſſorum in vno libro ad id in conuentu ſuo ſpecialiter deputato, nomina fratrum ad quorum vſus conceſſi ſunt reſpectiuè notando.

d ¶ Arg. Greg. c. caritatem. diſt. 12. & ex Con. Triburië. c. quicunque. ca.

1 Similiter, & omnium librorum non ad priuatum vſum, ſed ad communem bibliotechæ vſum deputatorum, in alio libro.

2 Item profeſſionis fratrum, & quorumcunq; aliorum contractuum, & publica inſtrumenta ius, aut facultatem perpetuam, vel longi temporis conuentus ſui concernentia, cum inuentario omnium bonorũ immobilium conuentus in alio ſpeciali libro faciat regiſtrari. Contrafacientes per biennium ad Prioratum ſint ineligibiles, de quibus pater Vicarius, & Viſitatores diligenter inquirant.

¶ *In capitulo Mantuano.* 1509. *Cap.*5.

VNIVERSIS, ac ſingulis cõuentuum noſtrorum Prioribus præſentibus, & qui pro tempore fuerint, iniungimus, & mandamus, quatenus omnium, & ſingularum literarum apoſtolicarũ, & aliorum Prælatorum, ac Principum, quæ gratiam, aut facultatem perpetuam, vel longi temporis concernunt, & in conuentibus eorum reſpectiuè inueniuntur,

tur, aut inueniri pro tempore contigerit in futurum publica, & auctentica tranſumpta confici faciãt, eaque ad capitulum portent. Quæ omnia in depoſito communis archiui congregationis in conuentu noſtro Cremæ deponantur, & conſeruentur.

¶ *In capitulo Bergomen.* 1500. *Cap.6.*

SI quis Prior, aut Vicarius localis inuentus fuerit ſuſtinuiſſe fratres, ne pœnitentias à Diffinitorio, vel patre Vicario congregationis, aut Viſitatoribus eis impoſitas facerent, Priores ipſi in capitulo generali, Vicarij in conuentu ſuo diſciplinam faciant in refectorio. Et nihilominus fratres huiuſmodi ne ex delicto commodum reportare videantur, ad iniunctas ſibi pœnitentias ſine diminutione peragendas compellantur.

¶ *Ex capitulis Cremonen.* 1480. *& alio Cremonen.* 1499. *& Cremen.* 1521. *Cap.7.*

QVONIAM tẽpore celebrationis capituli generalis noſtræ congregationis, aut prædicationis, vel alterius obedientiæ, aut negocij occaſione, abſente Priore loci, & eodem die non reuerſuro de ipſius Vicarij localis poteſtate, ac debito, & obligatione, tam in his, quæ circa curam, & regimen fratrum, quàm monialium iuxta formam Diffinitionũ, Prioribus localibus, conceſſa, commiſſa, præcepta, & mandata, prohibitaq; ſunt, ac diffinita, ſæpè dubitatum eſt, præſenti Diffinitione declaramus, ac diffinimus, ꝙ Vicarius conuentualis in huiuſmodi Prioris abſentia, tam circa moniales, & earum monaſteria, quàm fratres noſtræ congregationis, ac loca noſtra, ita ſui Prioris vices (quò ad ea quæ ex officio Prioratus Priorem conſequuntur dumtaxat) gerat, quòd exceptis his quæ Vicario conuentuali in abſentia Prioris, in Conſtitutionibus, ac Diffinitio-

nibus

nibus prohibentur, quocunque caſu contingente, quo Prioris ipſius reditus rationabiliter nequeat expectari: omnia, & ſingula, tam in ſoro conſcientiæ, quàm exteriori interim ſub eiſdem, conceſſionum, commiſſionum, præceptorum, mandatorum, & prohibitionum formis, ac cenſuris, & pœnis facere, & obſeruare, concedere, committere, prohibere, præcipere, & mandare poſſit: teneatur, & debeat, quæ Prior ipſe iuxta Conſtitutionum, & Diffinitionum noſtrarum formam, & tenorem poſſet, teneretur, & deberet, Reuerendi patris Vicarij congregationis, ac ipſius Prioris localis prouiſionibus, & diſpoſitionibus, ſi quas in huiuſmodi caſibus ante, vel ex poſtea fecerint, in omnibus ſemper ſaluis, & obſeruatis.

De cura, & regimine monialium, mantellatarum, ac corrigiatarum, vtriuſq; ſexus perſonarum noſtræ congregationis, & moderata fratrum conuerſatione cum illis, ac alijs quibuſcunq;. Rub. 19.

¶ *Ex capitulis Mediolan.* 1457. *Bergomen.* 1458. *& alio Mediolan.* 1461. *Vitellian.* 1462. *Annunciatæ heremi.* 1478. *& alio Bergomen.* 1500. *& ex additionibus Thomæ de Argentina.* *Cap.* 1.

DIFFINIMVS, & ordinamus, quòd (monaſterio diuæ Claræ apud oppidum Montisfalconis ob reuerentiam reliquiarum ipſius beatæ Claræ virginis dumtaxat excepto) nullarum monialium[a] curam habeant fratres noſtræ congregationis vllo modo, niſi earum dumtaxat, quæ curæ regimini viſitationi, & correctioni Reuerendi patris Vicarij eiuſdem noſtræ congregationis, pro tempore exiſtẽtis apoſtolica ſunt auctoritate ſubiectæ. Nec aliquis fratrum noſtrorum, nec ipſe quidem pater Vicarius congregationis de alio monaſterio monialium ad

[a] ¶ Arg. Greg. ca. cognouimus. 18. q. 2. ex Con. Cartag. c. qui religioſis. ex Con. Arelat. c. monaſteria. ead. q. & cauſa.

curam noſtræ congregationis vlterius acceptando, verbum facere præſumat.

1 Procurantes verò directè, vel indirectè, aut dantes auxilium, conſilium, vel fauorem, ꝙ aliquæ moniales curæ, aut regimini noſtrę cõgregationis quouiſmodo ſubdantur, vel committãtur, actiua, paſſiuaq; voce priuamus per quinquennium, ac per menſem, pœnæ ſubijcimus culpæ grauioris. Et ſi de aliquo probabiliter præſumeretur, ꝙ aliquid huiuſmodi fecerit, & ipſe negauerit, ad purgationem[b] ſuam per canonicam cenſuram compellatur. In qua ſi defecerit, pœnæ ſubiaceat[c] ſupradictæ.

b ¶Arg. ex Con. Melden. c. ſi quis. §. & fi. de purga. cano. ex Con. Triburiẽ. c. nobilis. ca. quotiens. c. accedens. de eo. ca. ꝓsbyter. ca. in omnibus. 2. q. 4. ca. accuſator. in fi. 6. q. 5.

c ¶De cohab. cle. c. tua nos. de purga. cano. c. cum p. §. deficientem. de ſimo. c. de hoc. & c. inſinuatum. eo. ti.

2 Quæ aũt curæ, & regimini Reuerendi patris Vicarij noſtrę cõgregationis ſubiecta ſunt monaſteria (vt præfertur) iuxta ſacros canones, & apoſtolica indulta, ac laudabiles ritus, & reformatas Cõſtitutiones, ac Diffinitiones noſtræ congregationis, cũ omni integritate, & ſanctimonia regantur, & gubernentur.

¶ *Ex capitulis Mediolan. 1457. Mutinen. 1496. Cremon. 1499. & Forliuien. 1510. Cap. 2.*

DIFFINIMVS, quin potius declaramus, quòd nullus frater noſtræ congregationis, ſiue ſubditus, ſiue prælatus, quacunq; doctrina præfulgeat, & cuiuſuis gradus, aut officij exiſtat, alicuius monialis noſtræ congregationis, aut aliarum quarumcunque confeſſiones[d] audiat, aut ſacramẽtum aliud eis adminiſtret, tametſi moniales huiuſmodi eligẽdi ſibi confeſſorem, qui eiſdem ſacramenta huiuſmodi miniſtrare valeat, apoſtolica, aut alia quauis auctoritate facultatem haberent, exceptis confeſſoribus monaſteriorum noſtræ congregationis per Diffinitorium, aut per literas Reuerendi patris Vicarij deputatis, & eiſdem ſecundùm formam Diffinitionum ſubſtitutis, ac Prioribus locorum ipſorũ reſpectiuè, & his,

d ¶Arg. à con. ſent. ex Con. generali. ca. omnis vtriuſq; ſexus. poſt princ. de pœn. & remi. c. placuit. de pœni. di. 6. & arg. Greg. in c. cognouimus. 18. q. 2.

&his, qui ab eodem Reuerendo patre Vicario congregationis ſpecialem ſuper hoc licentiam, aut cõmiſſionem haberent. Contrafacientem, ab audientia confeſſionum ſuſpendimus per tres annos.

¶ *In capitulo Bononien.* 1491. *Mutinen.* 1514. *& Florentino.* 1515. *Cap.3.*

DIFFINIMVS, quòd nullus confeſſor ad audientiam confeſſionum monialium eiuſdem monaſterij ultra annum ſucceſſiuè immediatè inſtituatur, uel confirmetur.

¶ *In capitulo Caſalen.* 1501. *Cap.4.*

CONFESSORES monialium non poſſint alicui committere[e] uices ſuas, ſeu aliquem ad audientiam confeſſionum earum, uel alicuius ipſarum ſubdelegare. Nec aliquem (ſocijs ſibi per ſuperiorẽ loci ſpecialiter aſſignatis dumtaxat exceptis) ad monaſteria huiuſmodi ducere audeat, uel introducere.

e ¶ Arg. in ca. ſuper quonum. §. ſi verò. & in gl. in ver. cõmittentib. de offi. deleg. c. clericos. de offi Vicarij. ca. cum cauſã. §. mandamus. in text. & gl. in ver. delegatus. de appellat. c. cum bertoldus. de ſent. & re iud.

¶ *Ex capitulis Alexandrino.* 1473. *Comen.* 1481. *Caſalen.* 1501. *& Ferrarien.* 1502. *Cap.5.*

CONFESSORES monialium tẽporibus ad earum confeſſiones generaliter deputatis, dumtaxat exceptis, & aliqua neceſſaria cauſa urgente, quam Priorum ſuorum conſcientijs relinquimus iudicandam, earum confeſſionibus nõ intendant, nec alias apud monaſteria ipſarum moram[f] trahant. Sed facta earum communione generali, eodem die ad conuentum fratrum reuertantur. Nec apud monaſteria ipſa, uel eorum eccleſias ſæcularium audiant confeſſiones, ſine ſui Prioris licentia ſpeciali. Quam Priores ipſi, non de facili concedant, aut aliquo imminente caſu neceſſitatis. Contrafacientibus uerò unius diei ieiunium in pane, & aqua, imponimus pro qualibet uice.

f ¶ Arg. ex 7. Syno. ca. diffinimus. 18. q. 11. ex Conc. Hiſpalen. ca. in decima. ea. diſt. ex Cõ. Later. c. monaſteria de vita, & honeſt.

¶ *Ex capitulis Terdon. 1455. Ferrarien. 1494. Cremonen. 1499. & Mantuano. 1509. Cap. 6.*

NVLLVS frater noſtræ congregationis, ſiue ſubditus, ſiue Prior aliquam perſonam ad habitum monialium, vel mantellatarum admittat, vel recipiat, vel ad profeſſionem, neque corrigiam ordinis alicui dare præſumat[g] abſque Reuerendi patris Vicarij noſtræ congregationis licentia ſpeciali in ſcriptis habita. Et quandocunque habitus mantellatarum, aut corrigia ordinis alicui perſonæ etiam cum huiuſmodi licentia dabitur, id in eccleſia corã altari, aut in capitulo coram fratribus publicè, & ſolenniter fieri mandamus, & publici notarij de actibus huiuſmodi confici publica inſtrumenta.

g ¶ Arg. in priuilegio Iulii papæ 2. & Leo papę 10. de quo videatur.

1 Neq; mantellatæ mulieres recipiantur vllæ, niſi fuerint bonæ famæ, & quadraginta[h] annorum ætatẽ habeant, nec ante trigeſimumquintum annum ætatis earum pater Vicarius congregationis ſuper hoc diſpenſandi habeat poteſtatem.

h ¶ Arg. ex Con. Cartag. 4. c. ſanctimoniales. 20. q. 1. ex Con. Calced. c. diaconiſſam. 27. q. 1. Grego. c. iuuenculas. ea. q. & ca.

2 Ipſarum verò mantellatarum vtriuſq; ſexus perſonarum ſpecialem curam alias Priori loci, cum poteſtate ſubſtituendi aliũ de confeſſoribus ſibi de familia pro tempore deputatis, committimus cum auctoritate quam iuxta apoſtolica indulta, & noſtræ congregationis inſtituta habere noſcitur ſuper fratres ſuos.

¶ *Ex capitulo Mantuano. 1509. & Cremen. 1521. Cap. 7.*

CORRIGIATIS noſtri ordinis perſonis, nullus frater noſtræ cõgregationis Eucariſtiæ, vel extremæ vnctionis ſacramenta, ſine ſacerdotis earũ parochialis[i] licentia ſpeciali miniſtrare præſumat, eo quòd Sanctiſſimus D. D. Leo Papa decimus, indulgentijs dumtaxat, nõ alio priuilegio exemptionis huiuſmodi corrigiatas perſonas gaudere declarauerit

i ¶ Clem. religioſi. in prin. de exceſſibus priuil.

rauerit per ſuas literas apoſtolicas in forma breuis ſub annulo piſcatoris.

¶ *Ex capitulis Comen.* 1481. *Cremon.* 1499. *& Ferrarien.* 1502. *Cap.*8.

NVLLVS frater noſtræ cōgregationis, ſine ſui ſuperioris licentia ſpeciali, cum monialibus, aut mantellatis noſtris, aut alijs quibuſcunq;, intus, aut foris loquatur[k], niſi fortè aliquando obuiantes, duo, vel tria verba ad interrogata reſpondendo. Neque literas aliquas clauſas, vel apertas, aut amba ſiatas, vel munera eis mittat, vel ab eis recipiat. Nec ad poſſeſſiones, aut loca forinſeca, vel alia, vbi ipſæ moniales, vel mantellatæ affuerint accedant. Nec tempore quæſtæ, aut alia quauis occaſione ſub eodē tecto cum illis (ſi rationabiliter vitare poterunt) hoſpitentur[l], niſi fortè mantellata huiuſmodi fratris, mater[m] fuerit, vel ſoror carnalis. Contrafacientes verò tribus diebus in pane, & aqua infra quindecim dies pro qualibet vice, ſine diſpenſatione ieiunent.

k ¶Ex Con. Hiſpal. ca in decima. 18. q. 2. ex 7. Syno. ca. diffinimus. ea. ca. clericus. diſt. 81. c. ſed ſi fortè. ca. ſi quiſpiam. ea.

l ¶Greg. in c. in nullo loco. 18 q. 2. ac gu ex Con. Hiſpalen. d. c. ī decima. ex 7. Syno. d. c. diffinimus. & c. peruenit. in ſi ea.

m ¶Arg. ex Cō. Cartag. 4. c. cū omnibus. 18. q. 2 ex Cō. Niczno. c. interdixit. diſt. 32. c. volumus. & c. ſed ſi fortè. ea. ca. à nobis. de cohab. cleri. c. cum in iuuētute. de p̄ſumptionib.

¶ *Ex capitulis Cremen.* 1452. *Terdonen.* 1455. *Mediolan.* 1461. *Sauon.* 1466. *Mutinen.* 1472. *& alio Cremen.* 1480. *Brixien.* 1485. *Caſalen.* 1501. *Ferrar.* 1502. *& Vercellen.* 1512. *Cap.* 9.

PROHIBEMVS, ne quis fratrum noſtræ congregationis, ſiue Prior, ſiue ſubditus, forenſis, ſiue de familia loci fuerit, ſiue non, ad monaſteria monialium noſtrarum, vel aliarum quarumcunq; ſine Prioris licētia ſpeciali in ſcriptis habita accedat[n], ſaltem manu propria ipſius Prioris ſubſcripta, aut proprij ſigilli ipſius impreſſione roborata, in qua eundi cauſa rationabilis exprimatur, & quam Priorisſæ monaſterij ad quod acceſſerit ſtatim præſentet. Huiuſmodi verò licentiarum tenores Priores qui eas cōceſſerint, apud ſe teneant regiſtratos, & Reuerendo pa

n De ſta. reg. in 6. c. periculoſo. poſt princ. ver. nulliq; aliquatenus. ex Conc. Hiſpalen. d. ca in decima. 18. q. 2. arg. ex Conc. Agat ca. monaſteria. & c pernitioſam. ea. & in Con. Latera. c. monaſteria. de vi. & hone.

tri Vicario, ac Viſitatoribus congregationis cum ad eos venerint oſtendant, qui ſi abſque cauſa rationabili, & neceſſaria eas conceſſerint, ipſos Priores puniant. Prioriſſæ etiam licentias huiuſmodi reſpectiuè ſeruent, & eidē patri Vicario ſimiliter oſtendant. Vniuerſis autem Prioribus locorum, qui pro tēpore fuerint, ſub pœna ſuſpenſionis, mandamus ne accedendi ad monaſteria monialium licentiam, contra præſcriptam formam alicui concedant.

1 Et nihilominus ad monaſteria ipſa etiam cum licentia eis, vt pfertur, conceſſa accedentes, ſine Prioriſſæ monaſterij huiuſmodi licentia ſpeciali ipſaque Prioriſſa principali, aut altera venerandę grauitatis moniali per ipſam Prioriſſam ad hoc ſpecialiter deputanda, ſemper præſente, audiente, & intelligente cum aliqua moniali non loquatur[o], illis dūtaxat exceptis, qui ad confeſſiones earū generaliter, vel priuatæ audiēdas iuxta formam Diffinitionum admiſſi eſſent. Contrafacientes verò, ad ieiunandum tribus ſextis ferijs in pane, & aqua, pro qualibet vice, qua contrafecerint condemnamus.

o ¶Ex Con. Hiſpal. d.c. in decima. in in ſi. 18. q. 2.

2 Præterea vniuerſis monaſteriorum noſtrorū Abbatiſſis, & Prioriſſis huiuſmodi, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio Prioratus, cæteris verò monaſteriorū eorundē monialibus ſub pœna priuationis officiorum ſuorū, & veli nigri, ſi id portauerint, & ieiunandi tribus ſextis ferijs in pane, & aqua, pro qualibet vice præcipimus, ne abſque licentia præfato modo ſibi præſentata, & lecta aliquem fratrem noſtræ congregationis, aut alium quemuis clericum, vel alias religioſum, in parlatorium introducāt, aut cum eo, niſi pro officij ſui exigentia, breuiter[p] reſpondendo loquantur, vel ad loquendum alicui moniali, aditum præſtent. Super quibus pœnitētijs aliter, quam per

p ¶Ex Con. Hiſpal. d.c. in decima. in ſi. & c. diffinimus. in ſi. 18. q. 2.

per Diffinitorium, aut patrem Vicarium congregationis cum ipſis nequeat diſpenſari.

¶ Ex capitulis Vitellian. 1 5 1 6. Cremon. 1 5 1 7. & Carignan. 1 5 1 8. Cap. 10.

FRATRVM noſtrorum, ac ſororum ſaluti, & bonæ famæ odoribus ex crediti nobis officij debito, prouidere volentes: vniuerſis, ac ſingulis noſtræ congregationis fratribus, tam ſubditis, quàm ſuperioribus, præſentibus, & futuris, præſenti ſtatuto diſtrictè prohibemus, eoſq; primo, ſecundo, & tertio monemus, necnon in virtute ſancti Spiritus, & ſub excommunicationis pœna, præcipimus, & mandamus, ne ad monaſteria monialium, quæ curæ noſtræ congregationis apoſtolica, vel alia quauis auctoritate commiſſa ſunt, aut committi contigerit in futurum, ſine licentia Vicarij generalis, aut Prioris noſtrę congregationis ad quem cura monaſterij huiuſmodi pertineret in ſcriptis habita, in qua accedendi cauſa exprimatur. Nec ad monaſteria aliarum quarumlibet monialium ſine licentia Vicarij generalis, vel Prioris loci noſtræ congregationis apud quem, vel cuius quæſtuatione monaſterium huiuſmodi ſitum foret, vel proprij Prioris ſi omnino extra quæſtas locorum noſtræ congregationis monaſterium illud exiſteret, ſimiliter in ſcriptis (vt prætertur) accedere[q], quouis quæſito colore præſumat, Vicario generali noſtræ congregationis ſemper excepto, quem ſub præſenti prohibitione, & ſententia minimè comprehendi volumus. Necnon exceptis confeſſoribus ad curam monialiũ deputatis, qui ad credita ſibi monaſteria cum ſocijs, eiſdem per Priorem ſuum de ſua familia, ad id ſpecialiter aſſignatis, ac Prioribus localibus, qui ad monaſteria locorum, & quæſtarum ſuarum reſpectiuè, tam quæ curę, & regimini

q ¶ Arg. in iuribus in ver. accedat. ſupra allegatis.

gimini congregationis ſubiecta eſſent, quàm alia p̄dicta, cum ſocio fratre noſtræ congregationis per ipſos eligendo, necnon venerando ſocio Reuerendi patris Vicarij generalis, qui cũ Priore loci, & quæſtæ huiuſmodi, & cum alio fratre ipſi per Vicarium generalem, vel per Priorem huiuſmodi aſſignando, ad monaſteria loci, & quæſtæ ſuæ, accedere poſſint. Si quis autem huic noſtro, tam honeſto præcepto (quod etiam in ſtatutum redigimus) contraire præſumpſerit hac trina canonica monitione præmiſſa, in his ſcriptis, eum vinculo excommunicationis innodamus.

1 Prioribus autem vniuerſis, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio Prioratus præcipimus, ne ſine cauſa rationabili, nec contra pręſcriptam formam accedendi ad monaſteria monialium licentiam alicui concedant, cæteris nihilominus diffinitionibus, prohibitionibus, & ordinationibus noſtræ congregationis circa acceſſum ad monaſteria, & conuerſationem, & collocutionem cum monialibus alias editis huic ſtatuto nõ contrarijs, cum omnibus cenſuris, & pœnis in eis contentis, in ſuo robore permanentibus.

¶ *Ex capitulis Alexandrino. 1473. Comen. 1481. & Ferrarien. 1502. Cap. 11.*

TELAE feneſtrarum parlatori monialium nunquam præſentibus fratribus noſtræ congregationis ſint apertæ[1]. Contrafacientem verò ſine cauſa rationabili Prioriſſam, Reuerendus pater Vicarius congregationis ab officio Prioratus abſoluat. Aperientes verò moniales ſine Prioriſſæ licẽtia ſpeciali, actiua, paſſiuaque voce priuatas eſſe declaret, & nihilominus iuxta caſuum exigentiam etiam aliter pro diſcretionis arbitrio puniat.

1 ¶ Arg. in d. c. periculoſo. poſt prin. ver. vt ſic à publicis. de ſta. reg. i 6.

In

¶ *In capitulo Vitellian.* 1516. *Cap.*12.

VNIVERSIS locorum noſtrę congregationis ſuperioribus modernis, & qui pro tempore erunt ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis,& alijs pœnis Reuerēdi patris Vicarij, & Viſitatorum arbitrio infligendis præcipimus,& mandamus,ne moniales aliquas cuiuſcunque ordinis,vel habitus fuerint,clauſuram locorum ſuorum reſpectiuè intrare[f] quouis quæſito colore permittant, abſq; Reuerendi patris Vicarij generalis licentia ſpeciali in ſcriptis habita.

f ¶ Arg.in c.peruenit.18.q 2.& c.in nullo loco.ea.

¶ *In capitulo Cremen.* 1521. *Cap.*13.

PROHIBEMVS, quin potius iure cautū eſſe declaramus,ne aliqua monialis monaſteriorū noſtræ congregationi ſubditorum tacitè, vel expreſsè profeſſa(cōuerſis dumtaxat exceptis) monaſterij ſui clauſuram exire[t] præſumat,niſi in caſibus in iure expreſſis: monaſterijs, ac monialibus, dumtaxat exceptis,quibus ex apoſtolicę ſedis indulto pro victu,ex incerta mendicitate quæritando exire cōceſſum eſt, quæ pcisè in caſibus in indultis huiuſmodi expreſſis,& illorum tenoribus ſtricto iure ſeruatis , & non aliter exire valeant,ſub cenſuris,& pœnis, tam iure communi, quàm in ordinationibus monaſteriorum ipſarum contentis.

t ¶ De ſta.reg.in 6. d.cap.periculoſo. poſt prin. ver.ita q nulli earum.

1 Et nihilominus Vicario generali noſtræ congregationis moderno, & qui pro tēpore fuerit expreſsè prohibemus, ne alicui monialium prædictarum quocunque alio caſu, vel cauſa alia à prædictis, de cætero exeundi clauſuram monaſterij,ſui licentiam vllo modo concedat.

¶ *Ex capitulis Alexan.*1573. *Comen.*1461. *Forliuien.*1482. *Brixien.*1485. *Mutin.*1496. *& Ferrarien.* 1502. *Cap.*14.

VNIVERSOS, ac ſingulos noſtræ congregationis fratres, ac monaſteriorum eiuſdē congre-

gregationis moniales, & mantellatas collegialiter viuentes, tam ſubditos, quàm ſuperiores pręſentes, ac futuros: primo, ſecundo, & tertio requirimus, & monemus eiſdemq; in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excõmunicationis pœna, quam hac trina canonica monitione præmiſſa ferimus in his ſcriptis, & quam eo ipſo contrafacientes incurrant, à qua non niſi à Reuerendo patre Vicario præfatæ congregationis, qui pro tempore fuerit, & pœnitentia ieiunij trium dierum in pane, & aqua infra quindecim dies explenda, pro qualibet vice eiſdem iniuncta abſolui poſſint, diſtrictè p̄cipimus, & mandamus, ne abſq; præfati Reuerendi patris Vicarij noſtræ congregationis licentia in ſcriptis habita, aliquis frater eiuſdem congregationis illis exceptis[u], quos ipſe pater Vicarius ſecum introduceret, vel ab aliquo illi ſubſtituto, in actu viſitationis monaſterij huiuſmodi aſſumerentur in ſocijs, monaſteria monialiũ, aut collegiales domos mantellatarum collegialiter viuentium, noſtræ congregationis, vel aliarum quarumcunque ingrediantur[x], nec aliqua monialis, vel mãtellata, collegiata noſtræ cõgregationis ſubdita, vel ſuperior, ad ingreſſum huiuſmodi fratrum noſtrorum, vel aliarum quorumcunq; cum effectu conſentiat, vel cooperetur, Prioribus[y] locorum, & confeſſoribus ipſarum monialium, & mãtellatarum dumtaxat exceptis, qui ſimul, ac diuiſim, cũ ſocio ipſius Prioris arbitrio de ſua familia deputando, monaſteria monialium, & collegiales domos, locorum ſuorum reſpectiuè pro viſitandis grauiter infirmantibus, ac ſacramentis, eiſdem miniſtrandis, ſepeliendis cadaueribus, ac funeralibus (iuxta loci conſuetudinem) celebrandis. Et proponendis in capitulo eis quę religionis habitum peterent, eiſdemq; acceptatis

u ¶ Arg. in c. indemnitatib. §. poſtremò. de elect. in 6.

x ¶ Argu. in d. c. in nullo loco. 18. q. 2. ex Con. Hiſpal. c. in decima. & c. diffinimus. & cap. peruenit. ea.

y ¶ Arg. in d. c. periculoſo. poſt prin. ver. niſi rationabilis. de ſtat. reg. i 6. c. viſitandi. c. non ſemel. 18. q. 2.

tis ad ordinem, & ad profeſſionem recipiendis, & correctionibus in capitulo fiendis, necnon ædificijs deſignandis, nō autem ſolicitandis operarijs, & pro alia rationabili, & iuridica vrgente neceſſitate ingredi poterunt, ac etiam in proceſſionibus, & officijs funeralibus iuxta loci conſuetudinem (vt præfertur) celebrandis, fratres noſtræ congregationis forenſes quos fortè adeſſe contingeret, ſecum ducere.

1 Quoſcunque verò, & quandocunque etiam cum licentia modo præfato conceſſa, & quauis ex cauſis prædictis monaſteria, vel collegiales domos præfatas ingredi contigerit: volumus, vt cum omnibus monialibus, ac mantellatis huiuſmodi ipſi ſilentium ſeruent. Abbatiſſa, & Prioriſſa loci, & eius Vicaria, ac duabus, vel tribus alijs venerandæ grauitatis ſororibus per Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, vel patrem Vicarium congregationis deputandis exceptis, quę ipſos fratres aſſociabunt, cum quibus de occurrentibus cum omni modeſtia, & grauitate loqui licebit, cæteris monialibus ſine ſpeciali Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ licentia, ad eos accedere, aut cum eis loqui non præſumentibus.

2 Cæterum, quia omnia noſtræ congregationis officia temporalia[a] eſſe volumus, vt debemus, ad tollendam omnem perpetuitatis ſuſpitionem, quę forſan poſſet in ſexu fragili ſuboriri: ſtatuimus, & ordinamus, quòd tam in electione, quàm in confirmatione Abbatiſſarum, & Prioriſſarum, tam monialium, quàm etiam mantellatarum noſtrę congregationis, hæc forma ſeruetur, videlicet. In nomine[b] domini noſtri Ieſu Chriſti benedicti. Amē. Anno eiuſdē &c. die &c. Ego A. nomine omniū ad quas præſens pertinet electio, eligo venerabilem in Chriſto ſororem B. de C. in Matrē, & Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam principalem,

a ¶Arg. ex Con. Lateran. c. monachi. §. priores. de ſtat. reg. c. qualiter, & qñ. el 2. in fin. de accuſ. c. innotuit. de elect. ca. ad noſtram. c. porrecta. de confir. vtil.

b ¶Arg. ad Coll. c. ſ

cipalem, temporalē, huius monaſterij ſancti D. vſq; ad proximè futuram eiuſdē monaſterij viſitationē.

3 Similiter de collegio mantellatarum, ſuo modo, & in confirmatione ipſarum reſpectiuè dicatur.

¶ *In capitulo Caſalen.* 1519. *Cap.* 15.

CONFESSORIBVS monialiū noſtræ congregationis præſentibus, & futuris prohibemus, ne abſq; Reuerendi patris Vicarij generalis, aut ſui Prioris licentia, vel commiſſione ſpeciali, de rebus cauſis[c], iuribus, & actionibus monaſteriorum, ac monialium, huiuſmodi vllo modo ſe intromittant, ſed ſimpliciter in foro conſcientiæ eiſdem ſacramenta miniſtrent cum omni auctoritate[d] quam Reuerēdus pater Vicarius congregationis priuilegiorum indultis habet ſuper eas, niſi ipſe ſibi aliqua generaliter, vel ſpecialiter reſeruet.

c ¶ Arg. Greg. in ca. cognouimus. 18. q. 2.

d ¶ Arg. in c. mulieres, de ſent. excō.

1 In foro autē exteriori non abſoluant ipſas ab aliqua cenſura quam publicè cōtraxiſſe conſtaret, excepta excommunicatione pro læui[e] percuſſione in ſororem facta. Ab alijs autem huiuſmodi cēſuris publicè incurſis à Vicario congregationis, aut eius locumtenente, vel à Priore loci abſoluantur, in foro exteriori.

e ¶ Arg. in c. cum illorum. de ſenten. excom.

¶ *Item in eodem capitulo.* *Cap.* 16.

STATVIMVS, quòd nulla mulier etiam cuiuſcunq; honeſtatis, vel ætatis, in habitu ſæculari[f], vel alterius ordinis in aliquo monaſterio monialiū curæ noſtræ congregationis commiſſo, aut in poſterum committendo, admittatur, ad habitandum, vel pernoctandum. Nullaq; puella, quæ quartumdecimum ætatis annum non attigerit, habitu religionis induatur, nec ea de cauſa in capitulo acceptetur.

f ¶ Arg. in d. c. periculoſo. poſt prin. de ſta. reg.

1 Si quas verò etiam hac forma ſeruata, in capitulo acceptari contigerit, nihilominus habitu religionis

non

non induantur, niſi prius quicquid pro eis monaſte rio promiſſum fuerit, integrè fuerit conſignatum.

De intentione, & obligatione Diffinitionum, & eiſdem ſcribẽdis, & legendis ad menſam, & obſeruandis. Rub. 20.

¶ *Ex capitulo Mediolan. 1450. Cap. 1.*

QVONIAM lex non captioſa[a], ſed clara, & vtilis eſſe debet: declaramus, & diffinimus, ꝙ ſicut Conſtitutiones, ita & Diffinitiones noſtrę nõ ad culpam, ſed ad pœnas in eis taxatas, aut ſuperiorum arbitrio iniungendas dumtaxat, niſi pro quanto alias, contra Dei, aut eccleſiæ, vel prælati præcepta[b] tranſgreſſio tendens, ex contemptu[c] culpam cõtraheret, tranſgreſſores illarum, in foro exteriori confeſſos, aut conuictos, obligare intendunt. Illud nihilominus attendentes, quod beatus pater noſter Auguſtinus in Regula dicit. Quod ſi quis tranſgreſſionem ſuam vltro confitetur, cum illo mitius agendo, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur, atque conuincitur, ſecundùm formam ſanctionis, & ſuperioris arbitrium, grauius emendetur.

a ¶ Iſido. in ca. erit autem lex. diſt. 4.

b ¶ Arg. Greg. cap. ſi qui ſunt presbyteri. diſt. 81. ca. præter hoc. §. porrò. in fi. diſt. 32. ca. ſi quis ſacerdotum. 11. q. 1. c. abſit. ea. q. 3.

c ¶ Ex Con. Milleuitan. c. quiſquis. 2. q. 6. ex Con. Agat. c. cõtumaces. diſt. 50. ex Con. Antiochen. c. ſi quis presbyter. 7. q. 1. ex Con. Cartag. ca. ſi qs presbyter. 11. q. 3. ex Conc. Cartag. 3. ca. petimus. ea. q. 1. c. quorundam. in fi. diſt. 44.

¶ *Ex eodem capitulo. Cap. 2.*

EXCEPTIONVM prolixitati parcentes, ac timoratis puſillorum conſcientijs in domino ſalubriter conſulentes diffinimus, ac declaramus, ꝙ in omnibus Diffinitionibus noſtris, licẽt nõnunquam ſimpliciter, & abſolutè, aliquid pręcipiant, mandẽt, ſanctiant, vel prohibeant, exceptiones[d] tamen legitimè, ac rationabiles excuſationes, exceptæ intelligantur.

d ¶ Arg. in c. quoniã frequenter. & gl. magna ibi. vt lit. non conteſt.

¶ *Ex capitulo Cremon. 1489. Cap. 3.*

VNIVERSIS Prioribus locorum noſtræ congregationis, præſentibus, & qui pro tempore fuerint, ſub pœna priuationis officij, præcipimus, & man-

mandamus,quatenus infra ſex menſes poſtquam ad loca ſua peruenerint,omnes Conſtitutiones,& Diſfinitiones noſtrę congregationis reformatas,in bona literarum forma ſcriptas, aut impreſſas,& ad exẽplar præſentiũ collationatas, & cõformes, ad vſum cõuentus ſui deputent,& de illis ſemel in hebdomoda ad menſam legi faciant,& ad ipſarum obſeruationem verbo,& exemplo vitæ inducere ſtudeant.

Finis Diffinitionum.

CVNCTIS præſentibus,ac poſteris innoteſcat. Qualiter anno Dñi 1518. de mandato Reuerendorum patrũ in Chriſto Præſidentis auctoritate apoſtolica, & Diffinitorij capituli generalis congregationis Obſeruantiæ Lombardiæ, vulgariter nuncupatæ, ordinis fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, in conuentu ſancti Nicolai Carignani Taurinen. diœceſis celebrati, omnes Diffinitiones præfatæ congregationis ab anno Domini 1449. vſque ad annum eiuſdem 1518. incluſiuè editæ,ex omnibus capitularibus libris congregationis eiuſdem collectæ, vnà cum Conſtitutionibus, tum abbreuiatæ, tum declaratæ, ac tenoribus priuilegiorũ ſedis apoſtolicæ conformatæ, ac reformatæ fuerũt, & ad ordinem rubricalem Conſtitutionum earundem (quãtum ſubiectæ materiæ ratio exigere videbatur) reductæ, & Reuerendis patribus in Chriſto Præſidenti auctoritate apoſtolica, ac Diffinitorio proximè tunc ſecuti capituli generalis, congregationis eiuſdem in conuentu ſanctæ Crucis Caſalis, ſancti Euaxij anno Domini 1519. celebrati,omnia per ordinem in ſcriptis præſentata fuere: qui,vt iterum,

iterum, ac ſæpius, matura patrum diligentia viderentur, decreuerunt.

Subinde ſpeciali mandato Reuerendorum patrum in Chriſto Præſidentis auctoritate apoſtolica, ac Diffinitorij capituli generalis congregationis huiuſmodi in conuentu ſancti Pauli Papiæ anno Domini 1520. celebrati, quinque venerandis, ac peritis patribus dictæ congregationis iniunctum fuit, quatenus Diffinitiones, & Conſtitutiones huiuſmodi abbreuiatæ, declaratæ, & reformatæ (vt præfertur) per ipſos iterata diligentia cum originalibus p̄fatæ congregationis capitularibus in conuentu ſancti Auguſtini Cremæ collationarentur, examinarentur, & (quatenus expedire viderent) expolirentur, & denuò reformarentur, ac Reuerendo Diffinitorio capituli generalis congregationis eiuſdem tunc proximè futuri, auctorizandę, & promulgandæ pręſentarentur. Quæ omnia debitæ fuerunt executioni mandata.

Demum Reuerendi patres in Chriſto Pręſidens auctoritate apoſtolica, & omnes, ac ſinguli Diffinitorio capituli generalis dictæ congregationis in cõuentu ſancti Auguſtini Cremæ Placentinæ diœceſis anno Domini 1521. celebrati aſſiſtentes, omnes, & ſingulas Conſtitutiones, ac Diffinitiones pręmiſſas (vt pręfertur) abbreuiatas, priuilegijs conformatas, examinatas, declaratas, & reformatas, repetito animi voluentes examine, & habita ſuper illis collatione debita, vnanimiter, & eorum nemine diſcrepante, reformauerunt, approbauerunt, & confirmauerunt, & auctoritatem, qua vigore priuilegiorum ſedis apoſtolicæ in ea parte fungebantur illis interponentes, pariter, & decretum promulgarunt, manu propria ſinguli ſubſcribentes.

Et nihilominus Reuerendi patres in Chriſto Prę-ſidens auctoritate apoſtolica, & Diffinitorium capituli generalis præfatæ congregationis anno Domini 1522. conuentu ſancti Barnabæ Brixiæ celebrati, Conſtitutiones, & Diffinitiones huiuſmodi (vt p̄fertur) examinatas, reformatas, & confirmatas, ac promulgatas, innouata lucubratione penſitatas, ac mentis igne decoctas, ſimiliter approbarunt, & confirmarunt, & communibus, ac priuatis dictæ congregationis profectibus prouidentes, eaſdem vnà cum Regula beatiſſimi patris noſtri Auguſtini Hipponēſis Epiſcopi, cum diuina expoſitione Domini Vgonis de ſancto Victore publicæ impreſſioni demandarunt. Vtque in tenoribus ſuis prædictis obſeruentur, decreuerunt perpetuò in futurum.

EPILOGVS, SEV REPERTORIVM OMNIVM CENSVrarum, & grauiorum pœnarum, quæ in Conſtitutionibus, & Diffinitionibus, ipſarum tranſgreſſoribus aſsignantur.

POSTREMO, quoniam patrum ſanctiones, non niſi inuitè ſubditos ſuos ligare intendunt, quandoquidem in vindictam malefactorum laudem verò bonorum factæ ſunt, nec ſapiens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur. Ideò cenſuras omnes, & pœnas tranſgreſſoribus Conſtitutionum, & Diffinitionum noſtræ congregationis præfixas, breuiori Epilogo duximus colligendas. Quatenus perquirentibus facilius occurrant, & cautius euitentur.

¶ *Priuandi officio ſecundùm Conſtitutiones.*

VIcarius, Sacriſta, ac Procurator conuentus, fines auctoritatis, quam in eorum officijs Prior commiſerit excedentes, & moniti ſemel, ſecundo, & tertio in capitulo coram conuentu vlterius id attentare præſumentes, à Priore propria auctoritate poterunt ab eorum officijs amoueri. Cap.7 §.1.

1 Recipiens aliquē ad ordinē, & non inquirens ab eo publicè, an aliquo defectu de inibi expreſsis detineatur. ca.15.§.2.

2 Prior, qui in aliquo de decem, & ſeptem inibi expreſsis caſibus deliquerit. cap.29.§.15.

3 Prior, qui non ſæpè viſitat infirmos, aut non ſolicitè eis ſeruiri facit, & prouideri, à Vicario congregationis priuetur officio. cap.13.in prin.

¶ *Priuati officio ſecundùm Conſtitutiones.*

SVperior recipiēs ad ordinem aliquem minorem decem, & ſeptem annis. cap.16.in prin.

1 Superior loci, vel etiam frater priuatus, qui aliquem ad ordinem ſimoniacæ receperit. cap.16 §.7.

2 Sacerdos, qui conuictus fuerit confeſsionem aliquo modo reuelaſſe, vltra pœnam carceris, officio, & auctoritate audiendi confeſsiones eſt priuatus. cap.36.§.11.

¶ Suſpendendi ab officio ſecundùm Conſtitutiones.

FRatres, qui ſine licentia ſuperioris, & cauſa rationabili, ac manifeſta omittunt communicare ſingulis diebus ad id deputatis ſpecialiter, ab omni officio, & adminiſtratione ſuſpendantur. cap. 10. §. 1.

1 Prior, qui non ſæpè viſitat infirmos, aut non ſolicitè eis ſeruiri facit, & ꝓuideri, ſuſpẽdatur à Viſitatoribus. c. 13. in prin.

2 Superior ſine cauſa euidenti vadens, aut ſine magna neceſſitate licentiam concedens eundi de loco ad locum per congregationem, vel extra illam, à Vicario, & Viſitatoribus ab officio ſuſpendatur. cap. 20. §. 1.

¶ Suſpenſi ab officio ſecundùm Conſtitutiones.

PRiores, & eorum Viceſgerentes, antiqua ædificia, aut alias facta, vel incepta deſtruentes, vel mutantes, aut noua erigentes contra formam inibi expreſſam, ſine licentia Reuerendi patris Vicarij, aut Viſitatorum loci ſui in ſcriptis habita, quæ prius in capitulo coram fratribus legatur, ſuſpenſus eſt ab officio ſuo. cap. 2. §. 6.

1 Prior abſoluens alienum ſubditum, vel ſubditus ſacerdos, abſoluens aliquem abſque ſui Prioris licentia à fornicatione, vel furto, aut lapſu carnis voluntario (excepto mortis articulo) ſuſpenſus eſt ab audientia confeſsionum, niſi in mortis articulo, donec per ſuperiorem ſuum cum eo fuerit diſpenſatum. cap. 8. in prin.

2 Sacerdos nouitius, licèt annoſus, & literatus, ſuſpenſus eſt ab audientia confeſsionum, niſi in mortis articulo. cap. 8. §. 8.

3 Sacerdos egreſſus ad audientiam confeſsionum mulierum, niſi formam inibi datam ſeruet, per annum ab audientia confeſsionum ſuſpenſus eſt. cap. 9. § 2.

4 Superior localis vadens extra conuentum, aut alius frater abſque ſocio fratre, vel commiſſo, profeſſo, vel nouitio congregationis, niſi in caſu arduo, vt ibi ſuſpenſus eſt ab officio ſuo. cap. 20. in prin.

5 Prior, & Vicarius localis ferens ſententiam excommunicationis ſine licentia Reuerendi patris Vicarij congregationis in ſcriptis habita, aut contra formam inibi datã, per dies triginta ab executione officij ſui ſuſpenſus eſt. cap. 29. §. 16.

Inha-

¶ *Inhabiles ad officia ſecundùm Conſtitutiones.*

SVperior loci, & etiam priuatus frater, qui aliquem ad ordinem ſimoniacæ receperit, ad curam animarum inhabilis permanebit, donec per duo Diffinitoria cum eo fuerit diſpenſatum. cap.16.§.7.

1 Prior, qui ex conſuetudine vltra tres dies extra locum ſine magna, & euidenti neceſsitate ſteterit, niſi ſuos diſcurſus moderatus fuerit, ad Prioratus officium eligi nō poſsit. c.29.§.5.

2 Prior, qui ad capitulum non iuerit, aut iuſtam habens excuſationem non eundi, ſigillum non miſerit, eo ipſo ad curā animarum per quinquenniū ineligibilis permanebit. c.29.§.14.

3 Prior inuentus per ſe, vel per alium procurare, vt ad Prioratum eligatur, vel confirmetur, ineligibilis eſt ad Prioratum per triennium. cap.29.§.15.

4 Vicarius congregationis, qui iuſtam excuſationem non habens, ad capitulum venire contempſerit, ex nunc, prout ex tunc, vſque ad decennium ad curam animarum, ineligibilis permanebit. cap.30.§.9.

5 Quatuor Diffinitores anno proximè ſequenti in eodem officio ſunt ineligibiles, ſimiliter, & quatuor Viſitatores. cap.30.§.32.

6 Duo Viſitatores à Diffinitorio electi, vſque ad quinquennium à Diffinitorio in eodem officio eligi non poſſunt, à vocalibus tamen eligi poſſunt poſt biennium. cap.30.§.63.

7 Diſcretus conuentus anno immediatè ſequenti in eodem conuentu in diſcretum eligi non poteſt. cap.30.§.32.

8 Nullus quouis titulo Diffinitorio aſsiſtens, eo anno in Viſitatorem à vocalibus, aut à Diffinitorio eligi non poteſt. cap.30.§.56.

9 Superior promouens, aut cōfirmans aliquem in Priorem, qui neſciat diſtinctè legere Breuiarium, & Miſſale, vſque ad quinquennium ad curam animarum inhabilis permanebit. cap.31.§.1.

10 Viſitatores munera ab aliquo conuentu, Priore, vel ſubdito ſuæ viſitationis, præter conſuetam procurationem recipientes, receptis priuentur, & vſque ad triennium ad curam animarum inhabiles erunt. cap.33.§.1.

11 Prior, vel ſubditus, qui aliquem à ſententia Diffinitorij,

aut Vicarij generalis, vel Viſitatorum de facto abſoluere attentauerit, aut ab alio, q̄ prælatis, & ipſorum ſuperioribus abſolutionem impetrare procurauerit, ad curam animarum per quinquennium, inhabilis permanebit. cap. 37. §. 4.

12 Deſtruentes, aut falſificantes, vel alienantes, aut occultantes priuilegia, vel inſtrumenta publica, in fauorem ordinis, aut noſtræ congregationis, vel alicuius loci, aut perſonæ facta, aut Regulam beati Auguſtini, aut Cōſtitutiones, vel Diffinitiones noſtræ congregationis, ad omne officium congregationis eiuſdem, per triennium inhabiles permanebunt. cap. 35. §. 2.

13 Qui vltra ter in fratrem manus iniecerit temerè violentas, etiam læui læſione, ad omne officium congregationis inhabilis permanebit, niſi per Diffinitorium cum eo fuerit diſpenſatum. cap. 36. §. 4.

14 Qui in ſuum Priorem, vel prælatum manus iniecerit temerè violētas, & qui iniectionis huiuſmodi ordinatores fuerint, aut complices, pręter alias pœnas ad omne officium, cum cura animarum inhabiles erunt. cap. 36. §. 5.

¶ *Inhabilis ad Vicariatum congregationis, ſecundùm Conſtitutiones.*

QVilibet frater; q apoſtatauerit, aut de aliquo vitio notabili in noſtra cōgregatione conuictus fuerit, aut cōfeſſus, qui neſciat congruè loqui latinum, adeò eſt inhabilis, quòd electio de tali viribus euacuatur. cap. 30. §. 10.

1 Qui bis quocunque tempore apoſtatauerit, ſine vlla diſpēſatione ad Vicariatum congregationis, ineligibilis permanebit. cap. 30. §. 10.

¶ *Quis pœnam talionis incurrat, ſecundùm Conſtitutiones.*

EX ſola ſuſpitione accuſans aliquem, aut in probatione deficiens, pœnam ſuſtinere cogatur, quam accuſatus (ſi de obiecta ſibi culpa conuictus fuiſſet) portare debuiſſet. cap. 4. §. 2.

2 Quicunque de Priore, vel fratre aliquo, ſciuerit aliquid, quod in animæ eius præiudicium, aut congregationis ſcandalum emergere poſsit (niſi eum monuerit, & ſi monitus non ſe correxerit) niſi indicauerit, pœnam quam culpa illa exigit ſuſtinere cogatur. cap. 33. §. 2.

Priuandi

¶ *Priuandi rebus ad vſum conceſſis, ſecundùm Conſtitutiones.*

QVi aliquid habuerit, quòd Priori loci à quo recedit nõ oſtenderit, aut ſcriptũ manu propria, aut ſigillo Prioris obſignatum, Priori ad quem vadit non pſẽtauerit, rei illius vſum amittit. cap.24.§.1.

¶ *Qui debent comedere in terra, ſecundùm Conſtitutiones.*

INtrans in cellam alterius, aut alium in ſuam intrare permittens ſine licentia Prioris, de die quindecim diebus in terra pœniteat: intrans verò de nocte, pœnitentiam prædictã ſuſtineat duplicatam. cap.23.§.15.

¶ *Remouendi de loco, ſecundùm Conſtitutiones.*

SI quis alicui crimen obijcit aſſerens ſe illud ſcire, vt qui fuerit conſcius, & particeps criminis, quod etiã iuramento ſe ingerat affirmare, ſi iſte obijciens, vſque tunc laudabilis, & ſanctæ conuerſationis extiterit, & de eo cui obijcitur crimen, ꝙ aliquod ſimile alias commiſerit, apud graues perſonas congregationis ſit opinio læſa, licèt non procedatur ad pœnam, nihilominus de loco vbi tale quid commiſiſſe dicitur remoueatur, & in alio loco collocetur. cap.4.§.3.

1 Pluries de nocte in cellam alterius ſine licẽtia intraſſe, aut alium in ſuam admiſiſſe conuictus, aut confeſſus, de loco illo remoueatur. cap.23.§.15.

2 Qui ſciſmata ſuſcitauerit inter fratres, aut contra Priorem malitiosè ſe erexerit, aut extraneis ſecreta capituli reuelauerit, vel alicui perſonæ familiaritate coniunctus eſt, quam ipſe non vult deſerere, & ſine ſcandalo tenere non poteſt, ſeu crimen aliquod graue commiſit per quod ſcandalum generauerit, aut generare poſſet in populo ſui conuentus, aut fratrum loci turbare, vel impedire quietem. cap.32.§.6.

¶ *Qui debet ſtare in cella cum ſilentio, ſecundùm Conſtitutiones.*

QVilibet frater clericus, vel conuerſus, aut commiſſus, qui abſque licentia ſpeciali, & cauſa rationabili non communicauerit ſingulis diebus ad id ſpecialiter deputatis, teneat ſilentium morando in cella donec ſatisfecerit. cap.10.§.1.

De

¶ *De pœnitentia ieiunij in pane, & aqua, ſecundùm Conſtitutiones.*

CONuerſi, qui pſalterium legere neſciunt, in eo, vel alio libro legere præſumētes, & fratres, qui eos docuerint, tres dies pro qualibet vice in pane, & aqua ieiunare cogantur. cap.2.§.3.

1 Frater repertus in priuata locutione cum muliere, niſi vt ibi, tribus diebus ieiunet in pane, & aqua coram fratribus de conuentu. cap.9.§.2.

2 Quilibet frater clericus, aut cōuerſus, vel commiſſus, profeſſus, vel nouitius, qui abſque ſpeciali Prioris licentia, & cauſa rationabili, non communicauerit ſingulis diebus ad id generaliter deputatis, quotidiè in terra ſedeat ſecunda, quarta, & ſexta feria in pane, & aqua ſolùm, ſeptimanis ſingulis ieiunans donec ſatisfecerit. cap.10.§.1.

3 Superior recipiens ad ordinem aliquem minorem decem, & ſeptē annis, viginti dies in pane, & aqua ieiunet. c.16.ī prī.

4 Recipiens aliquem ad ordinem, qui non ſit perſona nota, aut ſit de vitio notabili infamatus, aut pro clerico, qui neſciat legere competenter, aut qui non ſit docibilis, niſi ſit de notabili genere, vigintiquinque dies infra tres menſes in pane, & aqua ieiunare compellatur. cap.16.§.1.

5 Veniens ad loca vbi ſunt domus noſtræ congregationis, & comedens, aut pernoctans, vel moram trahens in domo ſæcularium antequam ſuperiori loci noſtri ſe prẹſentet, & ab eo licentiam habeat, tribus diebus in pane, & aqua in medio refectorij ieiunet. cap.20.§.8.

6 Deferens aliquid ſpeciale in refectorio, vt ipſe, vel alius comedat ſine licentia Prioris, ſi ſtatim poſt gratias culpam ſuam cognouerit, vnam diem in pane, & aqua ieiunet, ſi autē (vt præfertur) ſe non recognouerit, quadraginta diebus ab eſu illius rei abſtineat. cap.21.§.4.

7 Frangens ieiunium à feſto omnium Sanctorum, vſque ad Natiuitatem Domini, tribus diebus in pane, & aqua ieiunet infra duas hebdomodas. cap.22.§.1.

8 Procurans vocem pro ſe, vel alio fratre ad curam animarum, vel aliquod officium congregationis eligendo, vigintiquinque diebus ieiunet in pane, & aqua ſedendo in medio refectorij, & qualibet die recipiat diſciplinam. cap.28.§.6.

Prior

9 Prior localis,qui vltra tres dies ſine magna,& euidenti neceſsitate extra conuentum ſuum ſteterit, tribus diebus in pane,& aqua ieiunet ſine diſpenſatione. cap.29.§.5.
10 Superior loci promouens aliquem ad ſacros ordines, ſine licentia Vicarij congregationis, per octo dies infra menſem in pane,& aqua ieiunet. cap.29.§.7.
11 Prior, & Vicarius localis ferens ſententiam excommunicationis ſine licentia Vicarij congregationis in ſcriptis, aut contra formam inibi datam ſecundas,quartas, & ſextas ferias vnius menſis in pane,& aqua ieiunet. cap.29.§.16.
12 Superior promouens fratrem ad ſacros ordines, qui pſalterium diſtinctè legere neſciat, à die promotionis huiuſmodi vſq; ad annũ ſextis ferijs in pane,& aqua ieiunet.ca.31.§.1.
13 Superior cõfirmans aliquem in Priorem localem, qui neſciat diſtinctè legere Breuiarium,& Miſſale, ſextis ferijs,vſq; ad capitulum in pane,& aqua ieiunet. cap.31.§.1.
14 Vicarius congregationis, vel ipſius locumtenens fratrem de loco ad locum ſine manifeſta, & euidenti neceſsitate mutans,aut mittens,ſex diebus infra menſem in pane,& aqua ieiunet. cap.31.§.3.
15 Diffamans aliquem per ritmos, aut cãtilenas,vel libellos, aut cedulas,ſiue deſcriptiones in quouis loco,etiam in parietibus deſcriptas, vltra excommunicationem, & vocis priuationem per annum ſecũdis,quartis,& ſextis ferijs anni in terra ſedens in pane,& aqua ieiunet,& à Priore loci recipiat diſciplinam. cap.37.§.2.
16 Rem aliquam vendens, donans,impignorans,alienans,vel recipiens, aut emens ſine licentia Prioris, octo diebus infra menſem in pane,& aqua ieiunet. cap.38.in prin.
17 Qui aliquid de contentis in capitulo, quæ ſit grauis culpa commiſerit,veniam petens,tribus diebus in pane, & aqua ieiunet,& tres diſciplinæ dentur eidem in capitulo, proclamatis verò vna dies,& vna diſciplina addatur. cap.41.§.1.

¶ *Priuandi voce, ſecundùm Conſtitutiones.*

SVperior localis dans licentiam fratri eundi de loco ad locum per congregationem,aut extra, ſine magna neceſsitate, aut ſine literis teſtimonialibus, & ipſe ſuperior vadens ſine

ſine cauſa euidenti, voce priuentur à Vicario, & Viſitatoribus congregationis. cap.20.§.1.

¶ *Priuati voce, ſecundùm Conſtitutiones.*

FRatres, qui ad antiqua ædificia, vel alias facta, vel incepta, deſtruenda, vel mutanda, aut noua erigenda, contra formam inibi expreſſam dederint auxilium, conſilium, vel fauorem, actiua, paſsiuaque voce priuati ſint per triennium. cap.2.§.6.

1 Frater clericus, vel conuerſus repertus in priuata locutione cum muliere, niſi vt ibi, voce careat per annum. c.9.§.2.B.

2 Scribens literas in quibus nomen ſuum, & cognomen, aut ſaltem patriæ, vel loci ſuæ natiuitatis non ſit clarè deſcriptũ, ſine licentia ſui ſuperioris, voce careat per annum. ca.37.§.3.

3 Euntes ad balnea, vel ſtuffas, quæ ſint extra congregationẽ ſine licentia Reuerendi patris Vicarij congregationis in ſcriptis, & de conſilio medicorum voce priuati ſunt per annum. cap.13.§.5.A.

4 Frater ſingularis aliquem de facto ad ordinem recipiens, voce careat, donec cum eo per Diffinitorium fuerit diſpenſatum. cap.16.in prin.

5 Clericus, qui (poſt præfixum ei à Vicario generali congregationis annum ad diſcendum) legere non didicerit competenter, in electione prælati ad curam animarum perpetuò ſit voce priuatus. cap.16.§.4.

6 Superior loci, & etiam frater priuatus, qui aliquem ad ordinem ſimoniacæ receperit, voce caret per quinquennium. cap.16.§.7.

7 Nouitij etiam vſque ad triennium in religione completũ, vocem non habeant in electione Prioris, Vicarij, vel diſcreti. cap.18.§.8.

8 Conuerſi nunquam vocem habeant in electione Prioris, nec Vicarij. cap.18.§.8. Commiſsi in nullo capitulo vocem habeant. cap.18.§.8.

9 Fratres hoſpites vocem non habeant in capitulo conuentus in qua hoſpitantur. cap.19.§.3.

10 Subditus vadens extra conuentum abſque ſocio fratre, vel commiſſo, voce priuatus eſt per annum. cap.20.in prin.

11 Deferentes capam, aut caputium nigrum ex raſsia, ſiue far

gia

gia duplici,vel ſimplici,priuati ſunt voce per annũ. c 23.§.4.
12 Procurans vocem pro ſe, vel alio fratre ad curam animarum, vel ad aliquod officium congregationis eligendo, voce careat per triennium. cap.28.§.6.
13 Qui aliquid operatus fuerit propter quod vota fratrũ nil addito,vel diminuto ad Præſidentem, & Diffinitores capituli non perueniant,per annum voce careat. cap.28.§.7.
14 Qui Vicario congregationis per duos dies, & noctes integras obſtinatus obedire recuſauerit, voce careat per triennium. cap.31.§.10.
15 Qui cum ſcandalo læſionem enormem in perſonam priuilegio clericali decoratam intulerit, poſtquam de carcere extractus fuerit,voce careat per quinquennium. cap.36.§.2.
16 Reuelans ſcienter ex deliberatione ſecretum cuiuſcunque capituli, ſiue domus noſtræ congregationis extraneis, vltra pœnitentiam alias taxatã,voce careat per trienniũ. c.36.§.9.
17 Accuſans aliquem de falſo coram aliquo prælato,vel officiali ordinis,aut alio principe,iudice,vel prælato, aut falſum teſtimonium dans,vel inducens,aut dari faciens,vltra excommunicationem voce,& officio prædicationis careat in perpetuum, niſi cum eo fuerit per duo Diffinitoria diſpenſatum. cap.37.§.1.
18 Scribens,aut mittens,vel mitti faciens, vel procurans, aut conſentiens literas infamatorias, aut per quas poſsint ordinis,vel congregationis,aut alicuius fratris ſecreta ſciri alicui perſonæ,exceptis ſuperioribus ad quos illorum correctio de quibus ſcriberet, pertineret, voce, & officio prædicationis perpetuò priuatus eſt. cap.37.§.2.
19 Diffamans aliquem per ritmos, vel cãtilenas, aut libellos, vel cedulas, ſeu deſcriptiones in quouis loco, etiam in parietibus deſignatas,vltra ſententiam excommunicationis,& pœnam ieiunij,ac diſciplinæ,voce careat per annum. ca.37.§.2.
20 Scribens,aut mittens, vel mitti faciens, aut procurans, vel conſentiẽs literas infamatorias,aut per quas poſsint ordinis, vel congregationis, ſeu alicuius fratris ſecreta ſciri, vltra excommunicationem,& pœnam ieiunij,& diſciplinæ, voce careat,& officio prædicationis in perpetuum, niſi per duo Diffinitoria cum eo fuerit diſpenſatum. cap.37.§.2.

Qui

¶ *Qui pœnam culpæ grauioris incurrant, ſecundùm Conſtitutiones.*

EVntes ad balnea, vel ſtuffas, quæ ſint extra congregationem ſine licentia patris Vicarij congregationis in ſcriptis, & de conſilio medicorum, per dies octo pœnæ ſubiaceant culpæ grauioris. cap. 13. §. 5.

1 Superior loci, & etiam frater priuatus, qui aliquem ad ordinem ſimoniacæ receperit, per tres menſes pœnæ ſubiaceat culpæ grauioris. cap. 16. §. 7.

2 Superior localis non recipiens fratres congregationis hoſpitio caritatiuè iuxta loci poſsibilitatem, per quindecim dies ſubiaceat. cap. 20. §. 8.

3 Qui aliquid operatus fuerit propter quod vota fratrum, nil addito, vel diminuto ad Præſidentem, & Diffinitores non peruenerint, per duos menſes ſubiaceat. cap. 28. §. 7.

4 Qui Vicario congregationis per duos dies, & duas noctes integras obſtinatus obedire recuſauerit, per menſem ſimiliter ſubiaceat. cap. 31. §. 10.

5 Qui contra præceptum, aut ſententiam Diffinitorij, aut Vicarij generalis, vel Viſitatorum congregationis pertinax probabiliter inuentus fuerit, duobus menſibus ſubiaceat. cap. 33. §. 5.

6 Deſtruentes, vel aperientes, vel occultantes, aut falſificantes literas, vel ſigilla Reuerendiſsimi patris Prioris generalis noſtri ordinis, aut alicuius officialis noſtræ congregationis, per menſem ſubiaceat. cap. 35. §. 1.

7 Deſtruentes, aut falſificantes, vel occultantes, aut alienantes priuilegia, vel inſtrumenta publica, in fauorem ordinis, aut noſtræ congregationis, vel alicuius loci, aut perſonæ facta, aut Regulam beati Auguſtini, aut Cõſtitutiones, vel Diffinitiones noſtræ congregationis per tres menſes ſubiaceant. cap. 35. §. 2.

8 Qui irato animo alicui percuſsionem comminatus fuerit, per quindecim dies, ſi autem percuſſerit, per menſem, ſi verò fratrem alterius ordinis percuſſerit, per duos menſes ſubiaceat, & ſecunda, quarta, & ſexta feria in pane, & aqua ſine diſpenſatione ieiunet. cap. 36. §. 1.

9 Reuelans ſcienter ex deliberatione ſecretum cuiuſcunque capituli,

capituli, ſiue domus noſtræ congregationis extraneis, per menſem ſine diſpenſatione ſubiaceat. cap.36.§.9.

10 Abſoluens aliquem ab aliqua ſententia cenſuræ eccleſiaſticæ lata à Conſtitutionibus, vel Diffinitionibus, vel à Diffinitorio, aut Vicario generali, aut Viſitatoribus congregationis, abſq; Diffinitorij, vel Vicarij generalis licentia ſpeciali, per duos menſes ſubiaceat. cap.37.§.4.

11 Si quis proprietarius fuiſſe, aut furtum notabile cõmiſiſſe conuincatur, per duos menſes ſubiaceat pœnæ culpæ grauioris, deinde à congregatione licentietur. cap.38.§.1.

¶ *Pœnam furti, quis incurrat, ſecundùm Conſtitutiones.*

FRater, qui aliquid ab extraneis receperit, & eodem die Priori, aut Procuratori nõ cõſignauerit, vt ibi.c.29.§.9.

¶ *Qui pœnam apoſtaſiæ incurrant, ſecundùm Conſtitutiones.*

FRater, qui ſine licentia ſuperioris deprehenſus fuerit ſeptam loci cum deliberatione exijſſe, niſi ineuitabile detrimentum, aut arduus caſus, vt ibi excuſet, & ſuperior ſolus ſimiliter exiens. cap.20.§.5.

1 Pernoctans in domo ſæcularium, vbi ſunt loca noſtrę congregationis abſq; licentia ſuperioris loci. cap.20.§.8.

2 Fratres, qui ſine teſtimonio literarum ſui ſuperioris conuentum exierint, ad loca noſtra venientes, ſi inueniantur, quod ſint fugitiui, tanquam apoſtatæ puniantur. cap.20.§.3.

¶ *Incarcerandi, ſecundùm Conſtitutiones.*

FRatres, qui ſine licentia à congregatione abierunt, ad loca venientes incarcerentur. cap.20.§.4.

1 Pernoctans in domo ſæcularium, vbi ſunt loca noſtræ congregationis ſine licentia ſuperioris loci. cap.20.§.8.

2 Appellans indebitè à proceſsibus, viſitationibus, aut correctionibus officialium cõgregationis incarceretur, donec per Diffinitorium, aut Vicarium extrahatur. cap.32.§.3.

3 Inuentus portare, vel tenere arma per quæ merito poſsit haberi ſuſpectus, ipſo facto per ſex menſes pœnæ carceris adiudicatur. cap.36.in prin.

4 Quicunq; enormi læſione atrocem iniuriam in perſonam clericali priuilegio decoratam intulerit, ſiue ratione læſionis, ſiue perſonæ, ſiue loci læſio ipſa iure reddatur enormis, incarceretur, nec inde ſine licentia Diffinitorij extrahatur,

&

& ſecunda, quarta, & ſexta feria in pane, & aqua ſine diſpenſatione ieiunet. cap.36.§.2.
5 Si quis in homicidium lapſus fuerit, perpetuò carceri detrudatur, & ter in hebdomoda pane ſolo, & aqua reficiatur. cap.36.§.3.E.
6 Si quis de vitio indicibili conuictus, vel coram fide dignis confeſſus fuerit, incarceretur per duos menſes, & ſecundis, quartis, ac ſextis ferijs in pane, & aqua ieiunet, deinde à congregatione licentietur. cap.36.§.6.
7 Si quis de fornicatione conuictus fuerit incarceretur, nec inde ſine licentia Vicarij generalis extrahatur, extractus verò à congregatione licentietur. cap.36.§.7.
8 Sacerdos, qui conuictus fuerit confeſsionem aliquo modo reuelaſſe, incarceretur, nec inde ſine licentia Diffinitorij extrahatur. cap.36.§.11.
9 Accuſans de falſo coram aliquo prælato, vel officiali ordinis, aut alio principe, iudice, vel prælato, aut falſum teſtimonium reddens, vel inducens, vel dari faciens, per ſex menſes pœnæ carceris in compedibus mancipetur, & ſecundis, quartis, ac ſextis ferijs in pane, & aqua ſolùm reficiatur. c.37.§.1.
10 Scribens, aut mittens, vel mitti faciens, aut procurans, vel conſentiēs literas infamatorias, vel per quas poſsint ordinis, aut alicuius fratris ſecreta ſciri alicui perſonæ, quæ non ſit ſuperior illius de quo ſcribitur, vel ad quam illius correctio nō pertineat, per ſex menſes carceri in compedibus mācipetur, & ſecunda, quarta, & ſexta feria, pane ſolo, & aqua reficiatur, & voce, ac officio prędicationis careat in perpetuū. c.37.§.2.
11 Si quis alicui pro ſuis demeritis incarcerato, vllo modo per ſe, vel per alium ad fugiendum dederit auxilium, conſiliū, vel fauorem, ipſe in eadem pœna ponatur. cap.38.§.2.
12 Cuſtos captiuorum, ſi per ipſius negligētiam fugerint, incarceretur. cap.38.§.2.
13 Incarceratus propter ſua demerita, ſi fugerit, & poſtmodū capi poterit, in eadem pœna reponatur. cap.38.§.2.

¶ *Expellendi à congregatione ſecundùm Conſtitutiones, nec in ea amplius recipiendi.*

NOuitius de aliquo vitio notabili infamatus, ab ordine expellatur. cap.16.§.1.

Nouitius,

Nouitius, qui modum ſibi traditum non ſeruauerit, aut aliquid de inibi expreſsis commiſerit, ſtatim ab ordine expellatur. cap.16.§.E.

1 Receptus ad ordinem ſimoniacæ, etiam ſi profeſsionem fecerit expellatur. cap.16.§.7.

2 Conuictus de fornicatione, vel vitio indicibili, poſt pœnam carceris expletam, de congregatione licentietur. cap.36.§.6.& §.7.

3 De furto notabili conuictus, poſt pœnam grauioris culpæ per duos menſes, à congregatione licentietur. cap.38.§.1.

4 Qui perpetrato aliquo delicto à congregatione apoſtatauerit, rediens recipiatur ad pœnitentiam, qua expleta, à congregatione licentietur. cap.39.§.1.

5 Incorrigibiles, à congregatione proijciantur. cap.vltimo. §.1.

¶ *Non recipiendi in congregatione, ſecundùm Conſtitutiones.*

NOuitius, qui ſemel ab ordine receſſerit, nunquam amplius recipiatur. cap.16.§.6.

1 Nullus frater alterius profeſsionis, licèt ſit laxior, in congregatione recipiatur. cap.16.§.5.

2 Nullus à noſtra congregatione licentiatus recipiatur. cap.16.§.5.

¶ *Excommunicati ſecundùm Conſtitutiones.*

SAcerdos abſoluens fratrem à furto notabili, fornicatione, & lapſu carnis voluntario, ſine ſui Prioris licentia ſpeciali. cap.8.§.2.

1 Quicunque alienat, impignorat, vel obligat librum, ad vſum chori, aut librariæ conuentus deputatum, aut calicem, vel alia mobilia pretioſa, niſi ſeruata forma inibi præfixa. cap.34.§.2.

2 Deſtruentes, vel aperientes, vel occultantes, aut falſificantes literas, vel ſigilla Reuerendiſsimi patris Prioris generalis noſtri ordinis, aut Vicarij generalis noſtræ congregationis, tam quas ipſi mitterent, quàm ipſis directas. cap.35.§.1.

3 Accuſans aliquem de falſo coram aliquo prælato, vel officiali ordinis, vel alio iudice, principe, vel prælato, vel falſum teſtimonium reddens, vel inducens, aut dari faciens. cap.37.§.1.

4 Apoſtatans à congregatione, qui per diem naturalem non redierit. cap.39.in prin.

REPERTORIVM CENSVRARVM, ET POEnarum, quæ in Diffinitionibus taxantur.

¶ *Suſpendendi ab officio, ſecundùm Diffinitiones.*

SVperiores locales dantes pecunias fratribus pro indumentis. rub.9.c.4.

1 Superiores locales dantes licentiam fratribus ſine ſcriptis, aut ſine cauſa rationabili accedendi ad monaſteria monialiũ. rub.19.c.10.§.1.

2 Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ monaſteriorum noſtrorum dantes aditum religioſis ad parlatorium ſine licentia Prioris loci in ſcriptis. rub.19.c.9.§.2.

3 Superior loci permittens moniales ingredi ſeptam ſui cõuentus ſine licentia Vicarij congregationis in ſcriptis. rub.19.c.12.

¶ *Suſpenſi ab officio, ſecundùm Diffinitiones.*

SVperior loci, qui ſacerdotem ad audientiam confeſsionum iuxta priuilegiorum formam non electum, etiam cũ auctoritate Epiſcopi ad audientiam confeſsionum ſæcularium, aut monialium admiſerit, ab officio ſuſpenſus eſt. rub.5.c.3.

1 Superior loci retinens alienum ſubditum, vltra tres dies ſine licentia ſui Prioris, niſi vt ibi. rub.12.c.1.in prin.

2 Subditus, qui ſine licentia ſui Prioris in alio conuentu contra præceptum ſuperioris loci illius, vltra tres dies immorari præſumpſerit, ab executione cuiuſlibet ordinis, & officij ſuſpenſus eſt. rub.12.c.1.

3 Frater miniſtrans ſacramenta monialibus, præter ibidem exceptos, ab audientia confeſsionum ſuſpenſus eſt per tres annos. rub.19.c.2.

¶ *Priuandi officio, ſecundùm Diffinitiones.*

SVperior loci non perlegens, & manu propria nõ ſubſcribens, aut ſuo ſigillo non obſignans literas ſubditorũ ſuorum ſibi præſentatas, à Vicario congregationis ab officio ſuſpendatur, vel alias puniatur. rub.7.c.1.

Reci-

1 Recipiens, aut mittens literas, vel occultas ambaſiatas fratribus à noſtra congregatione egreſsis, ſine notitia, & licentia Vicarij congregationis. rub.7.c.2.

2 Retinentes legata, aut donationes priuatas, vel annuos cenſus, niſi, vt ibi. rub.9.c.3.

3 Priores, qui infra ſex menſes poſtquam ad loca peruenerint, non fecerint carceres tutos cum compedibus, & alijs opportunis. rub.10.c.5.

4 Prior, qui ad capitulum congregationis nõ portauerit collectam Reuerendiſsimo patri generali noſtri ordinis debitã, Prioratus officio priuandus eſt. rub.16.c.5.

5 Priores, qui non fecerint ſcribi Regulam, Conſtitutiones, & Diffinitiones congregationis infra ſex menſes, & de eis legere ad menſam. rub.20.c.3.

¶ *Priuati officio, ſecundùm Diffinitiones.*

SVperior alicuius de locis inibi expreſsis, tenens in locis illis nouitios contra formam inibi expreſſam, ipſo facto eſt priuatus officio. rub.4.c.2.in prin.

1 Superiores pertinaciter aſſerentes, quòd Priores, & alij ſuperiores religionis præcipere non poſſunt ſubditis ſuis, ita quòd ipſi in iuſtis, & rationabilibus obedire teneantur de neceſsitate ſalutis. rub.18.c.1.

¶ *Inhabiles ad officia, ſecundùm Diffinitiones.*

COnuerſi quanquam literati ad clericatus honorem non admittantur, nec ad Procuratoris, aut Sacriſtæ officium eligantur, vel deputentur. Nec ipſe quidem pater Vicarius congregationis ipſos ad aliquod præmiſſorum habilitare, aut Prioribus eorum ſuper hoc licentiam valeat impartiri. rub.2.c.1.

1 Nullus frater, qui non fuerit in congregatione à ſæculo receptus, & in ea educatus, aut qui extra congregationem per annum ſteterit, ad curam animarum in ipſa congregatione poſsit aſſumi, illis dumtaxat exceptis, quibus ab anno domini 1520. & antea animarum cura commiſſa fuit. rub.3.c.3.

2 Commiſsi nunquam induãtur habitum fratrum, etiam pro conuerſis. rub.4.c.1.

3 Nullus frater ſine licentia patris Vicarij congregationis, aut Viſitatorum, tempore viſitationis ipſorum habita, ad ſacros ordines promoueatur. rub.4.c.4.

4 Nullus frater etiam annoſus ad ſacerdotium admittatur, niſi ſaltem tres in congregatione compleuerit annos. rub.4.c.4.

5 Nullus etiam ſacerdos, qui non fuerit iuxta iuris formam, & priuilegiorum tenores ad audientiam confeſsionum electus, & deputatus, ſæcularium, aut monialium confeſsiones audire præſumat, etiam ſi à proprio Priore cum auctoritate ordinarij de facto promoueretur, ac etiam ſi ſæculares, aut moniales, huiuſmodi eligendi ſibi ſacerdotem cuiuſuis ordinis in confeſſorem facultatem haberent. rub.5.c.3.

6 Sacerdos, qui, vt ſupra dicitur, ad audientiam confeſsionum ſæcularium, aut monialium temerè ſe ingeſſerit, vſque ad tres annos tunc futuros, & donec cum eo per Diffinitorium fuerit diſpenſatum, ad audientiam confeſsionum huiuſmodi inhabilis permanebit. rub.5.c.3.

7 Frater, qui totum officium, diurnum, pariter, & nocturnũ, cum cantu eccleſiaſtico ſecũdùm vſum Romanæ curiæ, & noſtræ congregationis ritum, non congruè didicerit, ſtudio alicuius ſcientiæ vacare non poteſt. rub.14.c.2.

8 Fratrem, qui vigeſimumquintum ætatis annum exceſſerit, ad adiſcenda grammaticæ rudimenta, inhabilem iudicamus. rub.14.c.2.§.1.

9 Fratres quorum humilitas, & ſufficientia à Priore, & fratribus ſui conuentus non fuerit laudata, & à Diffinitorio approbata, ad ſtudium mitti non poſſunt. rub.14.c.3.

10 Conuentus non habẽs decem fratres profeſſos, diſcretum ad capitulum mittere non poteſt. rub.16.c.2.

11 Priores non facientes inuentarium librorum, contractuũ, & bonorum immobilium ſui conuentus, per biennium inhabiles ſunt ad Prioratum. rub.18.c.4.

12 Confeſſores monialium, anno proximè ſequenti in eodem officio eiuſdem monaſterij confirmari non poſſunt. rub.19.c.3.

13 Nullus frater ſimul cum alio eiuſdem diœceſis, qui Diffinitorio quouis titulo adeſſe habeat, in Diffinitorem eligi poteſt,

teſt, diœceſi loci illius in quo tunc generale capitulum celebratur, ac diœceſi Prioris ipſius loci dumtaxat exceptis. rub.16.c.6.

14 Nullus frater in Priorem eligi, vel inſtitui poteſt in conuentu, quo alius frater ſuæ diœceſis immediatè Prior extitit. rub.16.c.8.

15 Nullus Prior, vel Vicarius conuentus poſt trinam renunciationem in capitulo generali congregationis eligi poteſt, vel inſtitui in Priorem eiuſdem loci immediatè. rub.16.c.7.

¶ *Priuandi rebus ad vſum conceſſis, ſecundùm Diffinitiones.*

FRatres tenentes pecunias apud ſe, niſi vt ibi, ipſis priuentur, & in communi redigantur. rub.9.c.2.in fi.

1 Tenentes libros manu Vicarij congregationis non ſignatos, ipſis priuentur. rub.9.c.8.

2 Imprimi facientes libros ſine licentia Diffinitorij in ſcriptis habita, omnibus libris ſibi ad vſum conceſsis priuentur. rub.9.c.9.

¶ *Qui diſciplinam facere debent in publico.*

SVperior loci, qui ſuſtinuerit fratrem, vt pœnitentiam ſibi à Diffinitorio, vel patre Vicario, aut Viſitatoribus cõgregationis iniunctam non faceret, in conuentu ſuo diſciplinam faciet in refectorio. rub.18.c.6.

¶ *Pœnitentia ieiunij in pane, & aqua, ſecundùm Diffinitiones.*

MIttens literas, quas Prior ſuus non perlegerit, & manu propria, aut proprio ſigillo non obſignauerit, & conceſſerit, vltra priuationem vocis per annum, etiam tribus diebus in pane, & aqua ieiunet, & ter diſciplinam faciat. rub.7.c.1.

1 Comedens in domo ſæcularium in ciuitatibus, ſuburbijs, aut terris, in quibus ſunt domus noſtræ congregationis. rub.8.c.2.

2 Superior loci, qui fratres ſine ſui ſuperioris licentia venientes retinere præſumpſerit, in pane, & aqua ſolùm, quamdiu eos tenuerit, ieiunet. rub.13.c.3.§.1.

3 Confeſſores monialium extra confeſsiones ordinarias ſine Prioris licentia apud ipſa monaſteria moram trahentes, aut ſæcularium confeſsiones ibi audientes, per diem vnam in pane, & aqua pro qualibet vice ieiunent. rub.19.c.5.

4 Cum monialibus, aut mantellatis ſine ſuperioris licentià loquentes, aut ambaſiatas, vel literas, vel munera eis mittentes, vel recipientes, vel ad loca forinſeca dum ibidem fuerint accedentes, vel cum eis hoſpitantes, tribus diebus pro qualibet vice in pane, & aqua ieiunent. rub.19.c.8.

¶ *Priuandi voce, ſecundùm Diffinitiones.*

CAntantes alium cantum, quàm firmum in eccleſijs noſtræ congregationis. rub.1.c.2.in prin.

¶ *Priuati voce, ſecundùm Diffinitiones.*

COnuerſi vocem non habent in electione officialis, cui annexa eſt cura animarum. rub.2.c.2.

1 Si qui eorum, qui à congregatione receſſerũt in eadem recepti fuerint, perpetuò ſint voce priuati, & nouiſsimum locũ teneant, ac ſi tunc à ſæculo venirent. rub.3.c.4.§.1.

2 Promittens per ſeipſum, vel alium noſtræ congregationis fratrem prædicare in eccleſia aliqua extra loca noſtræ congregationis, in Aduentu, vel Quadragesima, ſine Vicarij generalis licẽtia ſpeciali in ſcriptis habita, aut de hoc ſuſpectus in canonica purgatione deficiens, voce careat per quinquennium. rub.6.c.1.§.1.

3 Superior localis procurans, vel admittens prædicatores à noſtra congregatione extraneos, in locis noſtris, aut quæſtis locorum noſtrorum, congregationis noſtræ nomine prædicare, aut de hoc ſuſpectus in canonica purgatione deficiens, voce priuatur per quinquennium. rub.6.c.1.§.1.

4 Frater ſubditus mittens literas alicui (exceptis ſuperioribus Prioris) quas Prior ſuus non viderit, & perlegerit, ac manu propria ſubſcripſerit, vel ſigillo ſuo obſignauerit, & conceſſerit, voce priuatur per annum. rub.7.c.1.

5 Procurans literas, vel preces importunas pro quacunque promotione, vel confirmatione, aut abſolutione officij, vel obedientiæ ordinis, & qui de hoc ſuſpectus in canonica purgatione defecerit, per quinquẽniũ voce careat. rub.7.c.4.§.1.

6 Comedens pinguia à feſto omnium Sanctorum, vſq; ad Natiuitatem Domini, voce careat per annum. rub.8.c.1.§ 3.

7 Fratres, qui pro maiore parte anni de familia conuentus deputati non fuerint, in illo vocem non habeant illo anno in electione Prioris, aut Vicarij conuentus, aut diſcreti, exceptis prædi-

prædicatoribus ordinariæ deputatis. rub.16.c.2.

8 Eligens alta voce, priuatur voce illa vice. rub.16.c.3.

9 Accedens ad capitulum generale congregationis ſine licentia patris Vicarij,aut Viſitatorum congregationis,niſi ſit alias vocalis in capitulo ipſo, voce priuatur per annum. rub.16.c.4.

10 Procurantes directè, vel indirectè, aut dantes auxilium, conſilium,vel fauorem,quod aliquæ moniales curæ,aut regimini noſtræ congregationis, quouis modo committantur, & qui de hoc ſuſpectus in canonica purgatione defecerit, voce priuatur per quinquennium. rub.19.c.1.§.1.

¶ *Qui pœnam culpæ grauioris incurrunt, ſecundùm Diffinitiones.*

PRomittens per ſeipſum, vel alium noſtræ congregationis prædicatorem prædicare in aliqua eccleſia extra loca noſtræ congregationis, in Aduentu,vel Quadrageſima, ſine licentia ſpeciali patris Vicarij congregationis in ſcriptis, vel de hoc ſuſpectus in canonica purgatione deficiens, per vnum menſem pœnæ ſubiaceat culpæ grauioris.rub.6.c.1.§.1.

1 Superior localis procurans,aut admittens prædicatorem à noſtra cõgregatione extraneum in aliqua eccleſia noſtra, vel quæſta locorum noſtrorum congregationis noſtræ nomine prædicare, aut de hoc ſuſpectus in canonica purgatione deficiens,per menſem pœnæ ſubiaceat ſupradictæ.rub.6.c.1.§.1.

2 Procurans literas, aut preces importunas pro quacunque promotione,vel confirmatione,aut abſolutione officij ordinis, & qui de hoc ſuſpectus in canonica probatione defecerit,per mēſem pœnæ ſubiaceat culpæ grauioris. ru.7.c.4.§.1.

3 Organa de nouo facientes, aut deſtruentes, vel alienantes, abſque Diffinitorij licentia in ſcriptis habita, pœnam culpæ grauioris incurrant per quindenam. rub.10.c.4.

4 Procurantes directè,vel indirectè,aut dantes cõſilium,auxilium,vel fauorem,quòd aliquæ moniales, curæ,aut regimini noſtræ congregationis,quouis modo committantur,& qui de hoc ſuſpectus in canonica purgatione defecerit, pœnæ grauioris culpæ ſubijcitur per menſem. rub.19.c.1.§.1.

¶ *Qui furti pœnam incurrunt, ſecundùm Diffinitiones.*

PRædicatores non conſignantes integrè omnes elemoſinas habitas, Priori in cuius eccleſia, aut quæſta prædicauerint,

¶ *Excommunicandi ſecundùm Diffinitiones.*

MIttens, aut recipiens literas, vel occultas ambaſiatas fratribus à nc.. a congregatione egreſsis, abſque notitia,& licentia Vicarij congregationis. rub.7.c.2.

¶ *Excommunicati ſecundùm Diffinitiones.*

1 Facientes quæſtas per ſe, vel per alium occaſione eundi Hieroſolymam abſque duorum Diffinitoriorum licentia ſpeciali in ſcriptis, aut elemoſinas cum licentia huiuſmodi collectas, Diffinitorio, aut Vicario congregationis non integre conſignantes. rub.9.c.13.

2 Vendens, vel promittens, aut impignorans, vel in feudum, aut emphyteoſim, vel affictum vltra triennium dans, aut aliquo alienationis titulo obligans bona immobilia, vel contractui huiuſmodi publicè votum præſtans, abſque Vicarij generalis, aut Viſitatorum congregationis licentia in ſcriptis. rub.10.c.2.

3 Accedentes ad monaſteria monialium noſtrarum, vel aliarum ſine licentia Vicarij congregationis, aut ſuperioris loci, vt ibi. rub.19.c.10.

4 Ingredientes monaſteria monialium, aut mãtellatarum domos collegiales noſtrarum, vel aliarum ſine licentia Vicarij generalis in ſcriptis, exceptis perſonis,& caſibus inibi expreſsis. rub.19.c.14.

¶ *Exemplum literarum Confraternitatis.*

FRATER A. de B. Vicarius generalis congregationis Obſeruantiæ Lõbardiæ, vulgariter nuncupatæ, ordinis fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, Nobili, ac ſapienti viro domino C. de B. ac Nobili matronæ E.D. eius conſorti pudiciſſimæ, necnõ D.E.& F. eorundem iugalium vtriuſque ſexus liberis ingenuiſſimis, ſalutem in domino ſempiternam. Quia ſancti propoſiti deſiderium ex humanæ conditionis infirmitate, à ſalutari ſuo ſepius retardatur affectu, ac varijs ſurrepentium malarum ſuggeſtionũ præpeditur illecebris, niſi diuinis ſuffragijs obten-

tis,

tis, pia fidelium ſupplicatione iuuetur, veſtræ huci ſinceritas, fratrum, ac ſororum noſtrę congregationis (q̃uos Dei credit domeſticos, & amicos) adhiberi ſibi ſpiritualia ſuffragia poſtulauit, & alias promeretur. Veſtram igitur fidem, ac deuotionem (quam pro reliqua veſtra in Deum pietate, venerationeque in ſanctos eius, & regulares perſonas) ad noſtram geritis religioſam congregationem, repetito animi voluentes examine, vices rependere[a] congruas adnitemur. Quo circa vos, ac veſtrum quemlibet in noſtræ congregationis, & caritatis[b] gremio diuino intuitu ſuſcipientes, & confratrum noſtrorum numero harum ſerie literarum conſcribentes, omnium orationum, miſſarum, diuinorum officiorum, deuotionum, meditationum, contemplationum, ſanctarum lectionum, piarum lacrimarum, & prædicationum: Pręterea ieiuniorum, abſtinentiarum, diſciplinarum, vigiliarum, macerationum, peregrinationũ, obedientiarum, cęterorumq; laborum, ac bonorum operum ſingulorum, quæ per fratres, & moniales, ac vtriuſque ſexus mantellatas perſonas noſtræ cõgregationis, per vniuerſum orbem operari dignabitur clementia Saluatoris, quantum cum Deo poſſumus, ac noſtrũ eſt iuriſdictionis officio elargiri, participationem vobis harundem tenore cõcedimus, & impartimur in vita[c] pariter, & in morte, ac poſt mortem[d]. Addentes, vt cum obitus veſter, vel alicuius veſtrum (quem dominus felicem indulgeat) noſtræ congregationis generali capitulo fuerit intimatus, ea etiam pro vobis deuotè fieri ſuffragia iubeantur, quæ pro defunctis eiuſdem noſtrę congregationis fratribus, in dicto capitulo exolui mandant noſtri ordinis inſtituta[e]. In nomine[f] Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amẽ. In quorum fidem[g] perpetuumque

a ¶ Arg. in c. cum in officiis. de teſta.

b ¶ Arg. Aug. ca. eccleſiæ caritas. de conſe. diſt. 4. Aug. ca. multæ ſunt. 1. q. 1.

c ¶ Arg. in c. ipſi ſacerdotes. 1. q. 1. & ca. ſi quis vult. in ſi. diſt. 36.

d ¶ Arg. Aug. c. tempus. 13. q. 2. & Augu. c. non æſtimemus. & 4. cap. ſeq. Greg. c. pro obeũtibus. & c. animæ defunctorũ. Hiero. ca. in præſenti ſæculo. Ambro. c. quia alii ca. q. & ca. Hiero. c. nõ mediocriter. in §. cũ igitur pſalmus. de conſ. diſt. 5

e ¶ In conſtitut. ca. 30. § 8. & §. 69.

f ¶ Arg. ad Coll. c. 3.

g ¶ Arg. in c. in nomine patris. diſt. 73. ex Con. Toler. c. ſi. 20. q. 1. c. ſcriptura. de ſi. inſtr. c. cura. 11. q. 3. ca. cum medicinalis. §. quiſquis igitur. de ſen. exco. in 6. ex Conc. generali Lugdu. c. ſi canonici. in princi. de offic. ordi. in 6.

que robur, præſentes fieri mandauimus, ac ſigilli noſtri maioris appenſione muniri, & manu propria ſubſcripſimus. Datum in conuentu noſtro ſancti Auguſtini C. die &c.

¶ *Exemplum licentiæ permutandi bona immobilia.*

FRATER Auguſtinus de C. Vicarius generalis congregationis Obſeruantię Lombardiæ, vulgariter nuncupatæ, ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini Venerabilibus religioſis in Chriſto Priori, fratribus, & capitulo conuentus, & domus ſancti Barnabæ B. ſalutem, & felices ad vota ſucceſſus. Nuper nobis exponi feciſtis, cōuentum, ac domum veſtram præfatam habere quandam petiam terrę aratoriæ, & arboratæ in villa Boteſini diſtrictus Brix. in loco, qui vulgariter dicitur. Gazolo, &c. bubulcarum quinque, vel circa, cui cohæret à mane A. de B. à ſero B. de C. à meridie C. de D. ſaluis, &c. quæ ſi in alias terras cæteris terris veſtris viciniores, aut alias permutaretur, profectò in maiorem, & euidentem dictæ domus veſtræ cederet vtilitatem, ſuper quibus licentiam à nobis prouidè poſtulaſtis. Nos igitur (qui ex crediti nobis officij debito[a] omnium, ac ſingularum domorum, & locorum noſtræ congregationis profectibus non ſolùm ſpiritualibus, verumetiam temporalibus (ſine quibus ſpiritualia ipſa in hac lacrimarum valle diu durare[b] non poſſint) libenter conſulimus, vt debemus, permutādi[c] dictam petiam terræ in alijs terris, vel alijs bonis immobilibus, ſeu etiam vendendi[d] ad permutandum dictam petiam terræ, & pretium inde proueniens, in emptionem aliorum bonorum immobilium totaliter conuertendi pro eadem domo veſtra licentiam vobis in hac literarum forma concedimus, videlicet,

a ¶ Argu. in c. cū ad monaſteriū. §. ad ampliationem. de ſta. reg.

b ¶ C. ſi quis obiecerit. 1. q. 3.

c ¶ Arg. ex Cō. apud Siluan. c. 1. de rerum permu.

d ¶ Arg. ī c. ad quæſtiones. de rerum permu.

delicet, quòd lectis prius his literis noſtris in capitulo coram fratribus de conuentu, pluribus præcedentibus tractatibus[e] ſolemnibus in ſimilibus fieri conſuetis, maioris[f], & ſanioris partis canonicæ congregationis capituli veſtri conuentualis liberè ad id conſenſus accedat, & in maiorem ac euidentem dictæ domus veſtræ cedat vtilitatem[g], necnon præſentium literarum noſtrarum tenores in omnibus, ac ſingulis publicis inſtrumentis ſuper inde conficiendis de verbo, ad verbum formaliter inſerãtes, veſtras in omnibus, ac ſingulis præmiſſis conſcientias aggrauantes, auctoritatem nihilominus qua vigore indulti apoſtolici fungimur in hac parte, permutationi, & venditioni, & emptioni, & ſeu emptionibus bonorum immobilium huiuſmodi, vt præfertur faciendis, ac omnibus, & ſingulis actibus legitimis in præmiſſis actitandis, ac publicis inſtrumentis ſuper inde conficiendis reſpectiuè interponentes pariter, & decretum. Ratificamus approbamus, & confirmamus ex nunc, prout ex tunc, & èconuerſo omnes, & ſingulos actus legitimos, ac omnia, & ſingula publica inſtrumenta huiuſmodi in præmiſſis, vt præfertur, ritè conficienda, eaque omnia, & ſingula inuiolabilia eſſe decernimus, ac integram, & perpetuam obtinere iuris, ac roboris firmitatem. In nomine[h] Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. In quorum fidem[i] præſentes fieri iuſſimus, & ſigilli noſtri maioris impreſſione roborari, ac manu propria ſubſcripſimus. Datas in conuentu noſtro ſancti Auguſtini C. die &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ordo

e ¶De reb.ecc.alie. c.dudum. §.quia etiam.lib.6. & ex conſti. Leonis papæ.cap.ſine exceptione.12.q.2. ex Con Cartag.c.placuit.ea. c.tua nuper.§.alterius. de his, quæ fi.à prel. c.cum apoſtolica. §.ècontrario. eo. tit.

f ¶Ex Con.apud Valenciam. ca.irrita erit.de his,quę fi. à prelat.in d.c.cũ apoſtolica. § ècõtrario. c.quanto. c.ea noſcitur. eo. tit.c.vt ſuper aliqua. §. poſſeſſiones. de reb.eccle. alie. ex Con generali.c.fi. & ex Cõ. Lugdu.c.1.& c.ad audiẽtiam.eo.tit. d.c.ſine exceptione.12.q.2. d.cap. placuit.ea.

g ¶Ex d.conſt.Leo. d.c.ſine exceptione.12.q.2. d.c.cũ apoſtolica. §.ecõtrario. de his,quę fi.à præla.d.c.tua nuper.eo.ex Cõc. apud Siluan.ca.1. de rerum permu. ca.ad aures.§.niſi fortè.de reb.eccl. alie. cle.p.de reb. eccl.non alie. eo. tit c.ob ius. §.ſed & permutare. 10. q.2.ex Con.Agat. c.terrulas.12.q.2. Paulus papa 2. in cõſti.de reb.eccl. non alien.

h ¶Arg.ad Coll.c.3.

i ¶ Arg.in iuribus. in ver. fidem. ſupra alleg.

ORDO CONVENTVVM CONGREGATIONIS.

S.Auguſtini Crem: ...
S.Mariæ de Populo ...
S.Nicolai de T...ntino.
S.Mariæ de Cellæ ...
S.Auguſtini Bergomi.
S.... Coronatæ Mediolani.
...e Populo ad ſanctum ...tium ...ntiæ.
...uguſtini Comi.
S.Auguſtini Cremonæ.
S.Mariæ Gratiarum Terdonæ.
S.Nicolai Vitellianæ.
S.Auguſtini Taurini.
S.Barnabæ Brixiæ.
... Agnetis Mantuæ.
S.Io.Boni Mantuæ.
S.Mariæ Annunciatæ Hæremi.
S.Auguſtini Sauonæ.
S.Auguſtini Ciuitatis Caſtelli.
S.Auguſtini Lucæ.
S.Auguſtini Mutinæ.
S.Pauli Papiæ.
S.Martini Alexandriæ.
S.Mariæ Gratiarum Grabedonæ.
S.Mariæ Annunciatæ Spilamberti.
S.Auguſtini Sauiliani.
...ariæ Miſericordiarum Bononiæ.
S.Mariæ Annunciatæ Pontremuli.
S.Andreæ Ferrariæ.
S.Mariæ Gratiarum Carignani.
S.Catherinæ Baſſani.
S.Crucis Caſalis.
S.Auguſtini Cherij.
S.Mariæ Gratiarum Auilianæ.
S.Auguſtini Forliuij.
S.Mariæ de Angelis Vigolzoni.
S.Auguſtini Imolæ.
S.Ioannis Euangeliſtæ Fauentiæ.
S.Mariæ Miſericordiarum Rumani.
S.Mariæ Miſericordiarum Vercellarum.
S.Petri Bugellæ.
S.Mariæ Conſolationis Leminis.
S.Auguſtini Hipporegiæ.
S.Mariæ de Horto Villetrarum.
S.Mariæ Gratiarum Ciriaci.
S.Mariæ Miſericordiarum Pontiſuici.
S.Auguſtini Regij.
S.Nicolai Nimbrij.
S.Nicolai Clauaſij.
S.Illuminatæ Montisfalconis.
S.Mariæ Gratiarum Soroſinæ.
S.Mariæ Annunciatæ, aliâs Gratiarum Luzariæ.
S.Crucis, aliâs Gratiarũ Aſulæ.
S.Mariæ Conſolationis Maſſæ.
S.Auguſtini Caballarij maioris.
S.Auguſtini Salutiarum.
S.Mariæ Gratiarum Bargiarũ.
S.Nicolai Nouariæ.
S.Mariæ ad Paſcua Raudæ.
S. Nicolai de Tollentino Burgi Brixiæ.
S. Mariæ Conſolationis ſancti Germani.

S.Ma-

S. Mariæ de Fonte M[illegible]ceratæ.
S. Mariæ de Angelis Cab[illegible].
S. Mariæ Annunciatæ B[illegible].
S. Mariæ Gratiarum Aſ[illegible].
S. Mariæ de Populo Claraſ[illegible]i.
S. Agnetis Laudæ.
S. Stephani Villæ Franchæ.
S. [illegible]bi in Calignano Ia[illegible]æ.
[illegible] Mariæ Lachrimarum Caſtel[illegible].
[illegible]ari[illegible] Gr[illegible]tiarum Enzaghi.
S. Blaſij [illegible]oniæ.
S. Mariæ Be[illegible].
S. Crucifixi [illegible]natis.

Error in Epiſtola.

Folio	2.	linea	1.	Reſp.	dic	Rep.

Errores in Expoſitione Regulæ.

Folio	9.	linea	16.	à tergo ſiauti	dic	ſicuti
Folio	10.	linea	18.	à tergo ilcita	dic	illicita
Folio	16.	linea	4.	commendantur.	dic	commendatur.

Errores Conſtitutionum, ac Diffinitionum.

Folio	25.	linea	22.	deliquid	dic	deliquit
Folio	38.	linea	2.	à tergo ieiunet	dic	ieiunent
Folio	74.	linea	25.	petrem	dic	patrem.

Laboratorio
Restauro
Pandimiglio
ROMA

1969

Digitized by Google

Digitized by Google